This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Digitized by Google

108

2941 e 111

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

Digitized by Google

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre-Fils, n° 16.
DEBURE frères, Libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
F. DIDOT, Impr.-Lib. rue Jacob, n° 24.
DONDEY-DUPRÉ, Imp.-Lib. rue de Richelieu, n° 47 *bis*.
TREUTTEL et WURTZ, Libraires, rue de Bourbon, n° 17.
BOSSANGE, Libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, Libraire, quai des Augustins, n° 33.
J. RENOUARD, Libraire, rue de Tournon, n° 6.
REY ET GRAVIER, Libraires, quai des Augustins, n° 55.
H. VERDIERE, Libraire, quai des Augustins, n° 25.
Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

Digitized by Google

OMNIA OPERA

QUÆ VULGO EXSTANT SUB NOMINE

L. A. SENECÆ

PHILOSOPHICA

DECLAMATORIA ET TRAGICA

Digitized by Google

EXCUDEBAT DONDEY-DUPRÉ.

Digitized by Google

L. ANNÆI SENECÆ

PARS PRIMA

SIVE

OPERA PHILOSOPHICA

QUÆ RECOGNOVIT

ET SELECTIS TUM J. LIPSII, GRONOVII, GRUTERI, B. RHENANI, RUHKOPFII, ALIORUMQUE COMMENTARIIS

TUM SUIS ILLUSTRAVIT NOTIS

M. N. BOUILLET

IN SANCTÆ BARBARÆ COLLEGIO PHILOSOPHIÆ PROFESSOR

VOLUMEN QUARTUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

M DCCC XXIX

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVI EDITORIS PRÆMONITIO.

Quem, in præfatione primi voluminis, ad partem hanc L. A. Senecæ publicandam, sequi constitueramus ordinem, paululum immutare in hocce condendo volumine necesse fuit.

Quum enim pleraque Fragmenta, tum vetera, tum recens inventa, ad moralia opera pertinerent, ea statim post *Epistolas Morales*, quæ moralium scriptorum seriem concludunt, collocare satius erat.

Præterea quum *Moralibus Epistolis* subjicere promisissemus commercium *Litterarum Senecæ et Pauli apostoli* [1], visum est ab his non disjungenda esse nonnulla, quæ Senecæ pariter, nec minus falso, tribuuntur, e. c. libros *de Quatuor Virtutibus*, *de Paupertate*, etc.

Unde fit ut ista omnia, quæ sexto volumini antea destinabantur, aptius nunc quarto contineantur.

Denique hoc volumen, ne cæteris prorsus impar

[1] Vide Præfat. I volum. p. xv.

Digitized by Google

fuisset, implevimus addendo J. Lipsii *Physiologiam Stoicorum*, quæ quinti voluminis, cui antea præfigi debebat, molem nimis auxisset.

Nec censemus nos ulla excusatione indigere quod tres hos *Physiologiæ Stoicorum* libros integros inseruerimus, quum optimam certe ad L. A. Senecæ *Quæstiones Naturales* et multa alia ejusdem non secus ac multorum veterum opera introductionem præbeant, et quum, in sexcentis nostrorum commentariorum locis, lector ad hoc tanti tamque eruditi viri opus remittatur.

Digitized by Google

L. ANNÆI SENECÆ

AD LUCILIUM

EPISTOLÆ MORALES.

Digitized by Google

Digitized by Google

L. ANNÆI SENECÆ

AD LUCILIUM

EPISTOLÆ MORALES.

EPISTOLA LXXXIX.

PHILOSOPHIÆ DIVISIO : DE LUXU ET AVARITIA SUÆ ÆTATIS.

Roganti amico, ut discrimen explicet Philosophiæ et Sapientiæ, ita illud statuit, ut sit illa studium virtutis, hæc illius effectus et præmium. Illius quidem tres partes, moralem, naturalem et rationalem constitui affert, ab aliis aliter. Senecæ tripartitam esse placet : quarum quamque rursus dividit, moralem in tres, naturalem in duas, rationalem s. Logicam in Dialecticen et Rhetoricen. Quæ omnia quanquam suadet ut legat amicus, tamen monet, ut ad mores et suos et publicos emendandos omnibus utatur, atque divitiarum luxusque cupidissimos castiget.

Jam etsi accuratis et subtilioribus Philosophiæ cultoribus noster vix satisfecisse videri debeat, quandoquidem principia divisionis non satis subtiliter posuerit deduxeritque, tamen conspectum haudquaquam contemnendum dedit, nec quidquam aliud daturum sese professus est. Atque si qui sint qui multa in hac divisione omisisse eum querantur, ii cogitent, quæso, ea omnia haudquaquam latuisse nostrum, veteresque philosophos, sed non sub iis eos titulis posuisse, quibus nostri ea assignare solent. Sic leges cogitandi in loco qui erat de animo tractaverunt.

Cf. Tiedemanni *System der stoisch. Philos.* I, p. 1 sqq. et amicissimum Buhlium in Commentatt. Soc. Reg. Gotting. To. XI, p. 254 sqq.

Digitized by Google

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Rem utilem desideras, et ad Sapientiam properanti utique necessariam, *dividi Philosophiam,* et ingens corpus ejus in membra disponi. Facilius enim per partes in cognitionem totius adducimur. Utinam quidem [1], quemadmodum universa [2] mundi facies in conspectum venit, ita Philosophia tota nobis posset occurrere; simillimum mundo spectaculum! Profecto enim omnes mortales in admirationem sui raperet [3], relictis his, quæ nunc magna, magnorum ignorantia, credimus. Sed, quia contingere hoc non potest, sic erit a nobis aspicienda [4], quemadmo-
2 dum mundi secreta cernuntur. Sapientis quidem animus totam molem ejus amplectitur, nec minus illam velociter obit, quam cælum acies nostra : nobis autem, quibus perrumpenda caligo est, et quorum visus in proximo deficit, singula quæque ostendi facilius possunt, universi nondum capacibus. Faciam ergo quod exigis, et Philosophiam in partes, non in frusta, dividam : dividi enim illam, non concidi, utile est; nam comprehendere, quemadmodum maxima, ita minima, difficile est. De-
3 scribitur in tribus populus, in centurias exercitus. Quidquid in majus crevit, facilius agnoscitur, si discessit in partes; quas, ut dixi, innumerabiles esse et [5]parvulas

1. *Utinam quidem.* Posteriorem vocem adjeci ex ed. *A.* et ms. *c.* et Gruteri libris. *Schw.*

2. *Universa.* Non *universi,* dedere *R. A. c. Schw.*

3. *Profecto enim.... raperet.* Conferri videtur Philosophiæ laus a Cic. Tusc. Disp. V, 2 celebrata : ob oculos ei forsitan fuerint illa Platonis in Phædro To. X p. 329 bip. : ἡ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται· δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἰ τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐνεργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν. Quæ verba Cic. de Off. I, 5, et de Fin. II, 16 respexit et expressit. *Ruhk.*

4. *Aspicienda.* Mirum quid ita libri in vocula nota turbent. Nam alii, *abscienda*, *adscienda*; meus *abscidenda. Lips.*

5. *Parvulas.* Ed. *A.* cum ms. *c.* e

Digitized by Google

non oportet. Idem enim vitii habet nimia, quod nulla divisio; simile confuso est, quidquid usque in pulverem sectum est.

Primum itaque, sicut videtur[1], tibi dicam, inter Sapientiam et Philosophiam quid intersit[2]. *Sapientia* perfectum bonum est mentis humanæ, *Philosophia* sapientiæ amor est et affectatio. Hæc ostendit, quo illa pervenit. Philosophia unde[3] dicta sit, apparet; ipso enim nomine fatetur. Quidam *Sapientiam* ita finierunt, ut dicerent 4
eam « divinorum[4] et humanorum scientiam. » Quidam ita : « Sapientia est, nosse divina et humana, et horum causas[5]. » Supervacua mihi videtur hæc adjectio, quia *causæ* divinorum humanorumque partes sunt. *Philosophiam* quoque fuerunt qui aliter atque aliter finirent : alii *studium* illam *virtutis* esse dixerunt; alii *studium corrigendæ mentis*; a quibusdam dicta est *appetitio rectæ ra-*

Gruteri omnibus. Vulgo *parvas* ex ed. *R. Schw.*

1. *Sicut videtur, tibi dicam.* Rectius puto jungentur ista, *sicut videtur tibi*, quomodo distincta oratio in ed. *R.* Vitiose *si ut videtur* ed. *A.* et ms. *c. Schw.*

2. *Inter Sapientiam et Philosophiam quid intersit.* Eam ob causam hæc distinctio affertur, quod aliter visum erat Platoni e. c. in Euthydemo To. III p. 40 bip. philosophia est acquisitio sapientiæ; quum esse debeat quæstio studiumque. De Rep. V, p. 57 Vol. VII bip. appellat philosophos τοὺς τῆς ἀληθείας φιλοθεάμονας: item Aristoteli Metaphys. II, 1 (modo hic liber pro sincero haberi debeat) scientia veritatis (ὀρθῶς δὲ ἔχει, καὶ τὸ καλέσαι τὴν φιλοσοφίαν, ἐπιστήμην τῆς ἀληθείας θεωρητικήν). Ciceroni tamen : « Nec quidquam aliud est Philosophia præter studium sapientiæ. » Cf. Lipsii Manud. ad stoic. philos. II, 4. *Ruhk.*

3. *Philosophia unde... fatetur.* Cic. de Legg. I, 22 : « Ita fit, ut mater omnium bonarum artium sapientia sit: a cujus amore græco verbo Philosophia nomen invenit etc.» Pythagoræ vero inventum esse hoc nomen constat ex Pontico Heraclide apud Ciceron. Tusc. V, 3. *Ruhk.*

4. *Divinorum.* Hieronymus in Isaiæ cap. v : « Inter sapientiam et prudentiam hoc dicunt interesse Stoici, quod illa sit rerum divinarum et humanarum notitia, ista autem tantum mortalium. » Nota de Stoicis : nam Platonici aliter distinguunt, et illam in contemplatione, hanc in actione ponunt. *Lips.*

5. *Horum causas.* Stoicas esse has definitiones constat, vel e Plut. de

Digitized by Google

tionis. Illud quasi constitit[1], aliquid inter Philosophiam et
5 Sapientiam interesse : neque enim fieri potest, ut idem sit quod affectatur, et quod affectat. Quomodo multum inter avaritiam et pecuniam interest, quum illa cupiat, hæc concupiscatur; sic inter philosophiam et sapientiam. Hæc enim illius effectus et præmium est; illa venit, ad hanc itur. *Sapientia* est, quam Græci σοφίαν vocant. Hoc verbo Romani quoque utebantur, sicut *philosophia* nunc
6 quoque utuntur. Quod et togatæ[2] tibi antiquæ probabunt, et inscriptus Dossenni monumento titulus :

Hospes resiste, et sophiam Dossenni[3] lege.

Quidam ex nostris, quamvis philosophia studium virtutis esset, et hæc peteretur, illa peteret, tamen non putaverunt illas distrahi posse : nam nec philosophia sine
7 virtute est, nec sine philosophia virtus est. Philosophia studium virtutis est, sed per ipsam virtutem; nec virtus autem[4] esse sine studio sui potest, nec virtutis studium

Placit. Philos. To. XII. p. 345 Hutt. οἱ μὲν Στωϊκοὶ ἔφασαν, σοφίαν εἶναι θείων καὶ ἀνθρωπίνων ἐπιστήμην. Nota est hæc definitio e Cicerone et bene explicata ab Ernestio in Clav. Cic. voc. *Divinus*. Cf. Ep. Senec. 98, 28 et 30. Rerum cognoscere causas Virg. Ge. II, 490 jam pro scopo philosophiæ declaravit. Cæteras definitiones, quas noster affert, esse stoicas observavit etiam Lipsius in Manud. II, 2. *R.*

1. *Constitit*. *R. A. c.* Pinc. Grut. Vulgo *constet* ab Erasmo. *Schw.*

2. *Togatæ*. Fabulæ dicuntur, quæ scriptæ sunt secundum ritus et habitus hominum togatorum, id est, Romanorum : toga namque Romana est : sicut græcas fabulas, ab habitu æque, palliatas Varro ait nominari, quia pallium Græcorum erat. (Diomed. de Arte Grammat. lib. 3, p. 486; inter Grammat. Lat. Auct. antiq. edit. Hanov. 1605). Confer. et Fest. de verbor. signif. voce *Togatarum* lib. 18. (E notis *Lagrange*.)

3. *Dossenni*. Fuit Fabius Dossennus auctor satis celeber fabularum togatarum, in quibus mores vestitusque romani erant. Laudat eum Plin. N. H. XIV, 15 bip. nec Fabric. Bibl. Lat. Vol. III, p. 238, 240, nominare eum in Comicis vett. lat. omisit. *R.*— Eidem Dossenno Horatius exprobrat quod negligenter fabulas scribat, et nihil aliud quam lucrum ex illis captet: Epist. 1. lib. II. v. 173 et sqq. «Quantus sit Dossennus edacibus in parasitis; Quam non adstricto percurrat pulpita socco; Gestit enim nummum in loculos demittere, post hoc Securus cadat, an recto stet fabula talo.»

4. *Nec virtus autem*. I. e. nec præ-

Digitized by Google

sine ipsa. Non enim, quemadmodum in his, qui aliquid ex distanti loco ferire conantur, alibi est qui petit, alibi quod petitur; nec, quemadmodum itinera, quæ ad urbes perducunt, extra ipsas sunt. Ad virtutem venitur per ipsam. Cohærent ergo inter se Philosophia Virtusque.

Philosophiæ tres *partes*[1] esse dixerunt et maximi et 8
plurimi auctores[2] : *Moralem, Naturalem,* et *Rationalem*. Prima componit animum; secunda rerum naturam scrutatur; tertia proprietates verborum exigit, et structuram, et argumentationes, ne pro vero falsa subrepant. Cæterum inventi sunt, et qui in pauciora philosophiam, et qui in plura diducerent. Quidam ex Peripateticis quartam partem adjecerunt, *Civilem*[3]; quia propriam quamdam exercitationem desideret, et circa aliam materiam occupata sit. Quidam adjecerunt his partem, quam Græci 9
οἰκονομικὴν vocant, *administrandæ rei familiaris scientiam*. Quidam et *de géneribus vitæ* locum separaverunt[4]. Nihil autem horum non in illa parte[5] Morali reperietur.

terea, adhæc. Cf. Heusing. ad Cic. Off. I, 28, 9. I, 4, 2. *Ruhk.*

1. *Philosophiæ tres partes*. Facilis est transgressus a præcedentibus ad ea, quæ nunc sequuntur. Quum nimirum virtus et philosophia inter se aptæ et nexæ sint, sequitur, et philosophiæ easdem esse partes tres, quas virtuti tribuimus. Moneo hoc propter Tiedemanni System. I. p. 8 qui Senecam negligentiæ insimulavit. *Ruhk.*

2. *Tres partes... dixerunt... auctores*. Aristoteles, Xenocrates (Tiedemann *Geist der spek. Ph.* II. p. 331 coll. p. 433.) et Stoici : cf. Lipsii Manud. II, 5. 9. *Ruhk.*

3. *Civilem*. Politicam. — Easdem omnino divisiones præbet et persequitur Cicero, Acad. I, c. v, § 19, etc.

4. *Quidam... separaverunt. Nihil autem*, etc. Quinam hi fuerint, non liquet. Recte observat Seneca, his partibus tribus contineri moralem partem. Ethica enim, civilis s. politica, et Œconomica una cum technica (*de generibus vitæ*) constituebant Aristotelis philosophiam practicam. Cf. Buhlii *Lehrbuch der Gesch. d. Philos.* II. p. 362 sqq. *Ruhk.* — Et nunc ita fit in plerisque scholis et in libris de hac materia editis; v. c. in illo nuper edito opere : *Morale appliquée à la Politique, par M. Jouy.*

5. *Non in illa parte Morali reperietur*. Vulgo *reperitur*, invitis libris nostris et Gruteri. Cum hoc verbo vulgo jungebatur *non* particula, quam.

Digitized by Google

Epicurei[1] duas partes philosophiæ putaverunt esse, *naturalem* atque *moralem*; rationalem removerunt. Deinde, quum ipsis rebus cogerentur ambigua secernere, falsa sub specie veri latentia coarguere, ipsi quoque locum, quem *de Judicio et Regula* appellant, alio nomine rationalem induxerunt; sed eum accessionem esse naturalis
10 partis existimant. Cyrenaici[2] naturalia cum rationalibus sustulerunt, et contenti fuerunt Moralibus: sed hi quoque, quæ removent[3], aliter inducunt. In quinque enim partes Moralia dividunt; ut una sit de Fugiendis et Expetendis, altera de Affectibus, tertia de Actionibus, quarta de Causis, quinta de Argumentis. Causæ rerum ex naturali parte sunt; argumenta ex rationali; actiones
11 ex morali. Ariston Chius[4], « non tantum supervacuas esse, dixit, naturalem et rationalem, sed etiam contrarias: » moralem quoque, quam solam reliquerat, circumcidit. Nam eum locum[5], qui *Monitiones* continet, sustulit, et *pædagogi* esse dixit, *non philosophi*: tanquam

nos, veteres libros secuti, ante ista *in illa parte* posuimus. *Schw.*

1. *Epicurei... removerunt... existimant.* Confirmant hæc Diog. Laert. X, 31; Sext. Emp. adv. Mathem. VII, 203. Epicurus, spinis et tricis dialecticis, quas Megarici et Stoici commenti erant, rejectis, pauca tantum præcepta de vero et falso quæ recte tradantur, *canonum* nomine insignire, quam Dialectices, maluit, et exposuit de iis in libro unico, qui Canon s. Regula inscribebatur. Epicurei Canonicam Naturali conjungere consueti appellant illum librum, judicandi instrumentum et principium s. prima philosophiæ elementa. Diog. Laert. X, 30. Adeas Buhlii Commentat. in Commentatt. Soc. Reg. Gott. Vol. XI, p. 257 sqq.. *Ruhk.*

2. *Cyrenaici... actiones ex morali.* Idem narrat Sextus Empir. adv. Mathem. VII, 11. Alii aliter de his Aristippi (cujus vitam moresque egregie nuper descripsit Wielandus) discipulis judicaverunt. Cf. Tiedemanni *Geist der spek. Phil.* II, p. 52 sq. *R.*

3. *Quæ removent.* Sic recte ed. *R.* Vulgo *qui removent* cum *A. c. S.*

4. *Ariston Chius.* De Aristone Chio cf. philol. Bibl. II, 1 sq. Fuit stoicus philosophus, Zenonis auditor, Cleanthis amicus, Chrysippi inimicus. Cæterum idem et Sextus Emp. p. 140, narrat, qui ex eodem fonte hausisse videtur, quo noster usus est. Contra eum argumentatur Seneca Ep. XCIV. *R.*

5. *Nam eum locum qui Monitio-*

Digitized by Google

quidquam aliud sit Sapiens, quam humani generis pædagogus.

Ergo, quum tripartita sit Philosophia, *Moralem* ejus 12
partem primum incipiamus disponere. Quam in tria rursus dividi placuit; ut prima esset[1] *Inspectio suum cuique distribuens,* et æstimans quanto quidque dignum sit; maxime utilis: quid enim est tam necessarium, quam pretia rebus imponere? secunda *de Impetu*[2]; tertia *de Actionibus*. Primum enim est, ut, quanti quidque sit, judices: 13
secundum, ut impetum ad illa capias ordinatum temperatumque: tertium, ut inter impetum tuum, actionemque conveniat, ut in omnibus istis tibi ipse consentias. Quidquid ex his tribus defuerit, turbat et cætera. Quid enim prodest, intus æstimata habere omnia, si sis impetu nimius? quid prodest, impetus repressisse, et habere cupiditates in tua potestate, si in ipsa rerum actione tempora ignores; nec scias, quando quidque, et ubi, et quemadmodum agi debeat? Aliud est enim, dignitates 14

nes continet. Practicam philosophiam moralem, quæ quid cuique personæ faciendum sit, docet, ideoque specialia præcepta continet, τόπους ὑποθετικούς, s. παραινετικοὺς vocat Sextus Emp. l. 1. *Ruhk.*

1. *Ut prima esset Inspectio.* Hæc divisio tenuis aut sterilis est, inquit Lips., præ illa quæ in Laertio ponitur, ex mente et usu plurium stoicorum (de qua infra). — Contra autem Ruhk. Egregiam hanc, inquit, divisionem esse omnes cum veteres tum recentiores agnoverunt. Quare Catonem induxit Cic. de Fin. III, 22 eximie laudantem Stoæ auctores et stoicos philos. Aliam divisionem tradit Diog. Laert. VII, 84, quæ quidem diffusior est, sed non plura complectitur. In ordine tamen aliam nostri philosophi dispositionem optaverint, ut qui metaphysicum, s. malis, theoreticum ethices locum, qui est de officiorum principiis notioneque, non in calce sed in fronte totius disciplinæ rectius collocant. *Ruhk.*

2. *Secunda, de Impetu*, etc. Receptam lect. invertens Schweigh., dat *secunda de Actionibus; tertia, de Impetu.* Sic, inquit, vett. libri, *R. A. c.* et Grut. Vulgo, *secunda de Impetu, tertia de Actionibus*, ex Erasmi ingenio; scilicet, quia impetus, ut mox ipse auctor significat, præcedere debet actionem. At nihil magnopere obstat, quo minus credamus in ordine docendi præmissum fuisse caput *de Actionibus* alteri *de Impetu.*

Digitized by Google

et pretia rerum nosse, aliud articulos[1], aliud impetus refrænare, et ad agenda ire, non ruere. Tunc ergo vita sibi concors est, ubi actio non destituit impetum[2], impetus ex dignitate rei cujusque concipitur; proinde remissus acriorque[3], prout illa digna est peti.

15 *Naturalis pars Philosophiæ* in duo scinditur[4] : Corporalia, et Incorporalia. Utraque dividuntur in suos, ut ita dicam, gradus. Corporum locus in hos : primum in ea quæ faciunt[5], et quæ ex his gignuntur; gignuntur autem elementa. Ipse elementi locus[6], ut quidam putant, simplex est[7]; ut quidam, in materiam, et causam omnia mo-
16 ventem[8], et elementa, dividitur. — Superest ut *Rationalem partem philosophiæ* dividamus[9]. Omnis oratio aut continua est, aut inter respondentem et interrogantem discissa[10]. Hanc διαλεκτικὴν, illam ῥητορικὴν placuit vocari. Hæc verba curat, et sensus, et ordinem. Διαλεκτικὴ in

1. *Articulos*. Temporis. Officia enim, καθήκοντα περιστατικὰ καὶ ἄνευ περιστάσεως Diog. Laert. VII, 109. *R.*

2. *Actio non destituit impetum*. H. e. hic cum illa convenit, illa hunc comitatur. *Ruhk.*

3. *Proinde remissus acriorque*. Sic *R. A. c.* et Grut. non ut vulgo *perinde remissus acriorve*. *Ruhk.*

4. *In duo scinditur*. Secundum Diog. Laert. VII, 132, 133 alii aliam divisionem amplexi sunt. Physicam autem Stoæ plura continuisse quam nostram, facile est intelligere; ut quæ et Theologiæ et Ontologiæ locum præbuit, atque adeo multa comprehendit, quæ licet ad nos, tamen supra nos sint. Sed cf. Tiedemanni Syst. I, 47 sqq. *Ruhk.*

5. *Corp. locus in hos : primum in ea quæ faciunt*. I. e. Doctrina de corporibus dividitur in hos gradus : primum in ea quæ gignunt, deinde in ea quæ ex his gignuntur.—Duo sunt prima principia, Deus et materia.

6. *Ipse elementi locus*. Non satis hæc capio : ut quid enim jam elementa cum principiis confundit? Nisi si Elementum aliter a quibusdam capi vult, et ut ipsa principia contineat, atque etiam elementa : hoc apparet. *Lips.*

7. *Simplex est*. Int. in partes dividi non potest.

8. *Causam omnia moventem*. Ipsum Deum, sive (ut stoici sæpe) ejus rationem.

9. *Rationalem partem Philosophiæ dividamus*. De hac quoque *rationalis partis* divisione non omnes Stoici sibi conveniebant. Cf Diog. Laert. VII, 40 sqq., qui et reliquas divisiones attulit. Tiedemann l. l. p. 21 sq. *Ruhk.*

10. *Discissa A. c.* et Grut. *Diffusa*

Digitized by Google

duas partes dividitur, in verba et significationes; id est, in res, quæ dicuntur, et vocabula, quibus dicuntur. Ingens deinde sequitur utriusque divisio. Itaque hoc loco finem faciam,

..... Et summa sequar fastigia rerum [1];

alioqui, si voluero facere partium partes, quæstionum liber fiet.

Hæc, Lucili, virorum optime [2], quo minus legas non 17
deterreo; dummodo, quidquid legeris, ad mores statim referas. Illos compesce, marcentia in te excita, soluta constringe, contumacia doma, cupiditates tuas publicasque, quantum potes, vexa; et istis dicentibus: *Quousque eadem?* responde: « Ego debebam [3] dicere: *Quousque eadem peccabitis?* Remedia ante vultis, quam vitia desi- 18
nere: ego vero eo magis dicam, et, quia recusatis, perseverabo. Tunc incipit medicina proficere, ubi in corpore alienato dolorem tactus expressit. Dicam etiam invitis profutura. Aliquando aliqua ad vos non blanda vox veniat; et, quia verum singuli audire non vultis, publice audite. Quousque fines possessionum [4] propagabitis? ager uni domino, qui populum cepit [5], angustus est. Quousque arationes vestras porrigetis, ne provinciarum [6] quidem satione contenti circumscribere prædiorum modum? Il- 19

ed. *R.* Inde *diffisa* ed. Er. *Divisa* ed. Mur. et sqq. *Schw.*

1. *Rerum.* Hemistichium est Virg. Æn. I, 342. *Ruhk.*

2. *Hæc, Lucili, virorum optime.* Meus aliique scripti hic ordiuntur novam epistolam: neque abs re videtur. *Lips.* — At saltem non nulla deesse facile crediderim.

3. *Debebam.* Scripsi cum *A. c.* Pal. 2. et Col. Vulgo *debeo*, ex ed. *R. Schw.*

4. *Quousque fines possessionum.* Spectant hæc ad latifundiorum possessiones, quæ causa præcipua Reipubl. laborantis erant: de quibus cf. Senec. de Vita Beat. c. 17, 3. Ep. CXIV. 6. 7. Horat. Carm. I, 1, 9, et 10 ubi vid. Mitscherlich. *Ruhk.*

5. *Qui populum cepit.* In quo populus continebatur.

6. *Ne provinciarum quidem.* En vix credenda latifundia, et his sequentibusque lucem, aut fidem etiam

Digitized by Google

lustrium fluminum per privatum decursus est[1], et amnes magni, magnarumque gentium termini, usque ad ostium a fonte vestri sunt. Hoc quoque parum est, nisi latifundiis vestris maria cinxistis; nisi trans Hadriam et Ionium Ægæumque vester villicus regnet; nisi insulæ, ducum domicilia magnorum, inter vilissima rerum numerentur. Quam vultis late possidete; sit fundus, quod aliquando imperium vocabatur; facite vestrum, quidquid potestis! —dum plus sit alieni[2]. Nunc vobiscum loquor, quorum æque spatiose luxuria, quam illorum avaritia, diffundi-
20 tur. Vobis dico: Quousque[3] nullus erit lacus, cui non villarum vestrarum fastigia immineant; nullum flumen, cujus non ripas ædificia vestra prætexant? Ubicumque scatebunt aquarum calentium venæ, ibi nova[4] diversoria luxuriæ excitabuntur[5]. Ubicumque in aliquem sinum littus curvabitur, vos protinus fundamenta jacietis; nec contenti solo[6], nisi quod manu feceritis, maria agetis intror-
21 sus. Omnibus licet[7] locis tecta vestra resplendeant, ali-

mutuare ex III de Benef. cap. VIII; item Epist. LXIV, et nostris Admirandis libro, II, cap. XV. *Lips.*

1. *Decursus est.* Aberat *est* vulgo: dedit ed. *A.* cum ms. *c.* Pinciani et Gruteri. *Schw.*

2. *Facite vestrum... dum plus sit alieni.* Intell.: et si omnia appetatis, non omnia habebitis, et plus erit semper, quod alii possideant.

3. *Quousque..... immineant.* Conf. Horat. II, 18, 20; III, 1, 33-40; III, 24 init. et Gronovii Diatribe ad Statium c. 39. *Ruhk.*

4. *Diversoria. Deversoria* præbent edd. Mat. aliis refragantibus libris. *S.*

5. *Ubicumque excitabuntur.* E. c. Baiis, Cutiliæ, Thesprotiæ etc. Gronov. Diatrib. l. l. *Ruhk.*

6. *Nec contenti solo.* Aggeres, pilas s. moles in ipso mari struebant, iisque ædificia superstruebant, ut notum est. Cf. Tibull. II, 3, 45; Heyne ad Virg. Æn. IX, 711. Conf. Sallust. Bell. Catil. 13. Horat. II, Carm. 2, 9 sq. III, 1, 45. *Ruhk.*

7. *Omnibus licet locis...in altitud... educta.* Similia et illustrantia loca collegit Mitscherlich. ad Horat. To. I, p. 384; et To. II, p. 15 et 19: ubi inter alia legimus hæc: « Nonne hoc ipso animum inquietum produnt divites Romani, quod, prioribus in fastidium adductis, novis usque sese immergant deliciarum generibus? Jam quibus opes suas explicarent, animique ægritudinem et faterentur, et expellere conarentur, plura genera Ho-

Digitized by Google

cubi imposita montibus, in vastum terrarum marisque prospectum, alicubi ex plano in altitudinem montium educta; quum multa ædificaveritis, quum ingentia, tamen et singula corpora estis, et parvula. Quid prosunt multa cubicula? in uno jacetis. Non est vestrum[1], ubicumque non estis. Ad vos deinde transeo, quorum profunda et insatiabilis gula hinc maria scrutatur, hinc terras. Alia hamis, alia laqueis, alia retium variis gene- 22
ribus cum magno labore persequitur; nullis animalibus, nisi ex fastidio[2], pax est. Quantulum enim ex istis epulis, quæ per tot comparatis manus, fesso voluptatibus ore libatis? quantulum ex ista fera, periculose capta, dominus crudus ac nauseans gustat? quantulum ex tot conchyliis, tam longe advectis, per istum stomachum inexplebilem labitur? Infelices etiam, quod non intelligitis, majorem vos famem habere, quam ventrem. » — Hæc aliis dic, ut, dum dicis, audias ipse; scribe, ut, dum scribis, legas; omnia ad mores, et ad sedandam rabiem affectuum referens. Stude, ut non plus aliquid scias, sed ut melius. Vale.

ratius adnumerat : ac primo quidem loco tangit sæculi sui insaniam, villas in mari ædificandi : tum pisces ipsos inducit *contracta æquora sentientes jactis in altum molibus ;* et sic piscinarum maritimarum amplitudinem præclare oculis subjicit : denique ædificia splendida, pretiosam supellectilem, etc. etc. » — *Resplendeant R. A. c.* Vulgo *splendeant. S.*

1. *Non est vestrum.* Usu videlicet : quorsum autem, sine usu? *Lips.*

2. *Nisi ex fastidio.* Quæ jam edisse non libet. *Lips.*

Digitized by Google

EPISTOLA XC.

LAUS PHILOSOPHIÆ : AD ILLAM SOLIUS ANIMI CURAM PERTINERE.

Laudes continet Philosophiæ, quæ hoc efficit, ut bene vivamus. A Diis quidem non data est, sed facultas philosophandi omnibus tributa est. Ea de gravissimis, i. e. de divinis humanisque rebus verum invenire docuit, vitam formavit, consortia et imperia instituit, natura duce. Primo enim sæculo, quod aureum vocant, sapientes regnabant, quibus primæ leges debentur. Artes quoque invenit philosophia. Hactenus Posidonio assentiendum est: sed reliquas artes, quibus vita communis quotidie utitur, Philosophiæ non tribuendas esse, quippe quæ neque avaritiæ neque luxuriæ aliisque vitiis inserviisse non dicenda est. Neque ferramenta fabrilia, neque ferri metalla et æris, neque malleus forcipesve, etc., sapientibus viris ortum suum debent, quum sapientiæ sit, necessaria emendare, delicias despicere, verbo, naturam sequi; quippe quæ non omisit offerre omnia, quæ ad vestitum, ad frigoris calorisve vim arcendam idonea, et ubique facilia inventu, sine tot artibus, præsto essent. Enimvero a natura descivimus, nec contenti iis, quæ terra in summo ferret, magnas multasque artes commenti sumus, quæ supervacua, contraria quærunt et corpori atque libidinibus inserviunt. Parum itaque Posidonio assentiaris, qui textricum adeo artem a sapientibus dixit inventam et agriculturam, pistrinum panificiumque. Sed enim ratio quidem humana hæc invenit, sed non recta ratio. Nec a sapiente inventa sunt illa minora, quæ ut se minus digna, sordidioribus commisit ministris reperienda: qui idcirco etiamnunc ea tractant, ut multa exempla earum artium Senecæ tempore inventarum docent, a vilissimis servis profectarum. Enimvero Philosophia alia eademque præstantiora invenit et curat: utilia molitur, paci favet, genus humanum ad concordiam vocat, vitam format instruitque, regit vitam ideoque artes. Mala adhæc monstrat, iis homines liberat, etc. Proinde ad illas artes quippe non dignas perpetuo usu non venit, nec Anacharsis rotam figuli tanquam sapiens invenit, sed qua homo. Quod de aliis inventis item valet.

Præstantiora sunt, quæ sapiens stoicus invenit, § 34 sq. Attamen sapientes illo rudi sæculo, quod aureum vocant, nondum fuisse verisimile est. Omni quidem fortunæ genere fruebantur illi homines primi, sed quum ars sit, bonum et sapientem fieri, illa autem nondum iis esset, sequitur sapien-

Digitized by Google

tia eos caruisse. Virtutis et sapientiæ materia iis erat, virtus et sapientia non erat.

Memorabilis est hæc epistola duplici nomine. Ac primum quidem ideo, quod decretum de sapiente Stoæ tractat contra Posidonium, quem hoc in loco de stoicis veteribus descivisse videmus. Deinde propterea pretii non contemnendi est, quod artium historiam egregie juvat, atque adeo a Gogueto, in primis vere a Jo. Beckmanno aliisque harum rerum curiosis sæpe in partes vocata est.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Quis dubitare, mi Lucili, potest, quin Deorum immortalium munus sit, quod vivimus; Philosophiæ, quod bene[1] vivimus? itaque tanto plus huic nos debere, quam Diis, quanto majus beneficium est bona vita, quam vita? Pro certo deberetur[2], nisi ipsam Dii philosophiam tribuissent; cujus scientiam nulli dederunt, facultatem omnibus. Nam si hanc quoque bonum vulgare fecissent, et prudentes nasceremur; sapientia, quod in se optimum habet, perdidisset, inter fortuita esset[3]. Nunc enim hoc in illa pretiosum atque magnificum est, quod non obvenit, quod illam sibi quisque debet, quod non ab alio petitur. Quid haberes quod in Philosophia suspiceres, 2
si beneficiaria res[4] esset? Hujus opus unum est, de di-

1. *Philosophiæ, quod bene.* Aristotelis illud assidet: « Qui docuissent nos, magis venerabiles debere esse iis qui nos genuissent; hos enim vivendi tantum, illos bene vivendi esse auctores. » *Lips.* — Egregie hanc et sequentem Philosophiæ laudem jam exornaverat Cic. Tusc. Disp. V, 2 in loco celeberrimo: « O vitæ Philosophia dux! o virtutis indagatrix, etc., » quæ Muretus opinatur Ciceronem e Posidonio hausisse. Ab eodem, de Fin. III, 2, 21, philosophia ars vitæ vocatur. Attigit hæc Upton. ad Arriani Diss. Epict. I, 15 init. p. 184 ed. Schweigh. *Ruhk.*

2. *Pro certo deberetur.* Int. certum est nos debituros magis Philosophiæ quam Deo, nisi, etc.

3. *Inter fortuita esset.* Senecæ sermoni et sententiæ ordini hæc lectio aptissima est, quam cum Gron. ex Gruteri conj. recepi. Codd. enim dabant vel, *quia inter fortuita nunc esset*, vel, *quod*, sive, *quia inter fortuita esset*, vel, *quia inter f. non e.* Editio vetus: *quia inter fortuita jam esset.* Vides vacillationem codd. *Quod inter fortuita non est* occupavit plerasque edd. auctore Mureto. *R.*

4. *Si beneficiaria res.* Beneficii alieni, quæque tribui posset. *Lips.*

Digitized by Google

vinis humanisque verum invenire; ab hac [1] nunquam recedit justitia, pietas, religio, et omnis alius comitatus virtutum consertarum, et inter se cohærentium. Hæc docuit colere divina, humana diligere, et penes Deos imperium esse, inter homines consortium; quod aliquandiu inviolatum mansit, antequam societatem avaritia distraxit, et paupertatis causa [2] etiam his, quos fecit locupletissimos, fuit. Desierunt enim [3] omnia possidere, dum
3 volunt propria. Sed primi mortalium, quique ex his geniti naturam incorrupti sequebantur, eamdem habebant et ducem, et legem, commissi melioris arbitrio [4]. Naturæ est [5] enim, potioribus deteriora submittere. Mutis quidem gregibus aut maxima corpora præsunt, aut vehementissima. Non præcedit armenta degener taurus, sed qui magnitudine ac toris cæteros mares vicit; elephantorum gregem excellentissimus [6] ducit; inter homines
4 pro maximo est optimum [7]. Animo itaque rector eligebatur; ideoque summa felicitas erat gentium, in quibus

1. *Ab hac nunquam... cohærentium.* Stoicum hoc dogma esse, et virtutes esse pares et inter se consertas, sæpe jam attigimus. Cf. Tiedemanni Syst. III, p. 137. *Ruhk.*

2. *Paupertatis causa... fuit.* Nam antea omnia possidebant cum cæteris hominibus communiter: nunc, etiamsi multa habeant, pauperes fiunt, si respicias ad illa quæ amiserunt.

3. *Desierunt enim omnia... propria.* Avaritia fecit, ut ea, quæ communia fuerant, singulis dividerentur tanquam propria. *Ruhk.*

4. *Commissi melioris arbitrio.* Vertit *Lagrange : Ils remettaient leurs intérêts entre les mains du meilleur d'entre eux.*

5. *Naturæ est... submittere.* Jam antiqua est opinio virorum prudentium, a natura ita omnia esse constituta, ut deteriora potioribus submittantur : quæ, modo ne cupide interpreteris et premas, veritate sua non destituitur. Paucis attigit hæc Upton. p. 325 ad Arrian. Diss. I, 29, 13: τὸ κρεῖσσον ἀεὶ περιγενέσθω τοῦ χείρονος. Cf. Gataker ad M. Antonin. VII, 55. *Ruhk.*

6. *Excellentissimus.* Sic *A. c. Excelsissimus* ed. *R.* et aliæ ante Gron. quod teneri fortasse debuerat, quum præsertim mox dicat, *inter homines pro maximo. Schw.*

7. *Pro maximo est optimum. Pro summo* vulgo, ex ed. Ven. Vitiose *proximos* ed. *R. Proximo A. c.* Veram script. *pro maximo* unus ser-

Digitized by Google

non poterat potentior esse, nisi melior. Tantum enim, quantum vult, potest, qui se, nisi quod debet, non putat posse.

Illo ergo sæculo, quod aureum perhibent, penes Sapientes fuisse regnum, Posidonius[1] judicat[2]. Hi continebant manus, et infirmiores a validioribus tuebantur; suadebant, dissuadebantque, et utilia atque inutilia monstrabant. Horum prudentia, ne quid deesset suis, providebat; fortitudo arcebat pericula; beneficentia[3] augebat ornabatque subjectos. Officium erat imperare, non regnum. Nemo, quantum posset adversus eos, experiebatur, per quos cœperat posse; nec erat cuiquam aut animus in injuriam, aut causa; quum bene imperanti bene pareretur, nihilque rex majus minari male parentibus posset, quam ut abiret e regno[4]. Sed postquam, subre- 5

vavit Pal. 3. Dein placuit quidem *optimus*, quod cum ed. Ven. agnoscit ed. *A.* et ms. *c.* sed in *optimum* consentiunt ed. *R.* et Gruteri codd. omnes. *Schw.*

1. *Posidonius*. Posidonii Rhodii, s. Apameensis, (non Olbiopolitæ, quod male affirmat Fabric. Bibl. Gr. III p. 573) magna ut philosophi et historici fama erat in Antiquitate: sed nihil nisi fragmenta operum ejus satis copiosorum nobis relicta sunt: quæ utinam collecta haberemus! Celeberrimum ejus opus τὰ μετὰ τὸν Πολύβιον expressit Trogus Pompeius ideoque Justinus etiam lib. 36–42, quod acutissime observavit amiciss. Heeren: cf. *Gotting. gel. Anz.* anni 1800, p. 393 sq. 1802 p. 641 sq. Unde autem hæc, quæ Seneca affert, petita sint, non liquet. Locus tamen huic tractationi de sapiente esse potuit in libro ejus περὶ τελῶν (de summo bono, quem Diog. Laert. VII, 87; cf. ibi Menag. laudat): ubi quum posuisset, summum bonum esse, ita vivere, ut et veritatem et ordinem omnium rerum contempleris (τὸ ζῆν θεωροῦντα τὴν τῶν ὅλων ἀλήθειαν καὶ τάξιν) imaginem quoque sapientis atque ejus virtutem depinxisse videri potest. *R.*

2. *Judicat*. Sequens Æschylum Prometh. vinct. 446 sq. Egregie sententiam hanc extulit Horat. Art. poet. 396 sq. Cf. I Sermon. 3, 99 sqq. qui Lucret. V, 923, sq. expressit. *Ruhk.*

3. *Beneficentia augebat ornabatque s.* Recte: quanquam alii Codd. et plurimi habent *agebat*. Accedit quod augere et ornare jungi solent. Cf. Grævii Lectt. Hesiod. p. 2 sqq. *Ruhk.*

4. *Quam ut abiret e regno*. Mss. *abirent*. Sed placeret magis: *quam abire se regno*. *Gronov.* — Si de conatu intellexeris, locum tueberis. *R.*

Digitized by Google

pentibus vitiis, in tyrannidem regna conversa[1] sunt, opus esse cœpit legibus, quas et ipsas inter initia tulere Sapientes. Solon, qui Athenas æquo jure fundavit, inter septem ævi sapientia notus[2] : Lycurgum si eadem ætas tulisset, sacro illi numero arcessisset octavum[3] : Zaleuci
6 leges[4] Charondæque laudantur. Hi non in foro, nec in consultorum atrio, sed in Pythagoræ tacito illo sanctoque secessu didicerunt jura, quæ florenti tunc Siciliæ et per Italiam Græciæ ponerent.

Hactenus Posidonio assentio[5] : artes quidem a philosophia inventas, quibus in quotidiano usu vita utitur, non concesserim; nec illi fabricæ asseram[6] gloriam.

1. *Conversa*, *R. A. c. Versa* vulgo, ab Erasmo. *Schw.*

2. *Notus*. Tenui cum Ruhkopfio, non quidem (ut ille putabat) Pinciani codicibus firmatum, sed ex conjectura editum ab Erasmo : *notos* ex libris suis commendaverat Pincianus, quod rsceperunt Mur. Lips. et Gron. consentientibus nostris *A. c.* Pal. 2. et Col. Alii *natos* cum ed. *R. Schw.*

3. *Arcessisset octavum*. Hoc verum judicavi cum Grutero. *Accensuisset octavum* ed. Er. Vulgo *accessisset octavus*, a Mur. ex ora Erasmi, nullo libro prorsus assentiente. *Accessisset* dedit quidem ed. *R.* cum ms. *c.* et Pal. 3. sed *arcessisset* ed. *A.* et ms. Col. *Accersisset* Pal. 2. Posterior vox miris modis in vett. libris corrupta. *Schw.*

4. *Zaleuci leges... ponerent*. Hos legumlatores, illum Locrorum Epizephyriorum in Italia (circa ann. ante Christ. 660), hunc haud ita longe post Catanæ, verum *diu ante* Pythagoram floruisse constat. Nam istum errorem cum multis aliis, quos Bentleius in Diss. supra Phalaridis Epist. p. 338 sq. ed. Lips. refellit, errasse ne putes Posidonium ἱστορικώτατον hominem, cui Aristoteles de Rep. II, 12, ob oculos fuisse videtur, sed hanc intelligas potius Posidonii fuisse sententiam : hos legumlatores, more aliorum legumlatorum, e. c. Minois, Numæ in solitudine, quali *Pythagoras* utebatur, meditatos, præparasse sese ad leges ferendas. Sic (Tacit.) et Dialog. c. 13 init. « malo securum secretum Virgilii secessum » i. e. eum, quem Virgil. amabat. Conf. Meinertis *Geschichte und Ursprung der Wiss.* Vol. I. p. 472 ubi notam corrigas. Vide Heynii Opusc. acad. Vol. II. *R*

5. *Assentio*. *Assentior* vulgo, invitis libris vett. *Schw.*

6. *Nec illi fabricæ asseram gloriam*. Sic edd. ante Mur. cum *R. A. c.* et Gruteri libris. *Nec illam fabr.* ed. Mur. et seqq. ex Pinciani libris. Denique *assertam* ed. Lips. et Gron. non ex sphalm. typogr. ut Ruhk. existimavit, sed ex Lipsii conjectura. *S.* — Ruhkopfius edidit : *nec illam fabr. Illam*, inquit, Pinc. ex vet. lect. scriberemus suasit. Obsecutus est Mu-

Digitized by Google

« Illa, inquit, sparsos, et aut cavis tectos[1], aut aliqua rupe suffossa, aut exesæ arboris trunco, docuit tecta moliri. » Ego vero philosophiam judico non magis excogitasse has machinationes tectorum supra tecta surgentium, et urbium urbes prementium[2], quam vivaria[3] piscium in hoc clusa, ut tempestatum pericula non adiret gula, et, quamvis acerrime pelago sæviente, haberet luxuria portus suos, in quibus distinctos piscium greges saginaret. Quid ais? Philosophia docuit homines habere clavem et seram? Et quid aliud erat, avaritiæ signum 7

retus recte. Erasmus et alii : *illi*. Gruterus quid sibi velit *illam* non satis assequi se fatetur. Sensus est: non concedo illis artibus vilioribus gloriam, ipsas quoque esse inventas a philosophia. *Assertam* per plures edd. propagatum sustuli.

1. *Et aut cavis tectos*. Hanc Lipsii et Gronov. conjecturam, et sequentibus auctoris verbis optime consentaneam, et scriptorum lectionibus *caucasis*, *caucalis*, *causis*, *casis*, quam maxime propinquam nos omnibus aliis prætulimus, quas tamen legere vacat. — Ruhkopf. dat *et e Caucasiis lectos*. Recepi, inquit, secutus omnes fere codd. mss. qui *e Caucasis lectos*, s. *Caucasis l.* s. *e causalis l.* habent: quod quum editores ad unum omnes non exputassent, mutatum est in : *sparsos e casis*. Erasmus, quem Muretus secutus est, emendavit *sparsos et casulis tectos* : utrumque perperam, quandoquidem tecta moliri nondum callerent primi homines. Sed enim Posidonius de Prometheo cogitasse dicendus est, quem ex Æschyl. Prom. 446 sq. et multis aliis veterum locis, quæ sciens omittam, liquido constat, circa Caucasum tradi humanitatem excoluisse et præsertim Caucasios edocuisse. Τοὺς σπορέδας καὶ ἐκ τῶν Καυκασίων ἐκλεκτοὺς; fortasse scripserat Posidonius, docte opinione illa de Prom. sapientia, qua de hominibus meruit, in usum suum conversa. — Schweigh. dat *et causiis tectos*. Ut Erasmi et Gruteri codices, inquit, sic et nostri libri vitiose : *e causis leetos* ed. *R.*; *e casis lectos* ed. Ven.; *e caucasis lectos* ed. *A.* et ms. *c.*; *et casulis tectos* ex conject. ed. Erasm. Mur. et Lips.; *et aut cavis tectos* ed. Gron. ex Lipsii conject.; *et e Caucasiis lectos*, ut unice verum, tuetur Ruhk. Ego mea de conject. *et causiis tectos* scripsi. *Causia* autem non solum vocabatur, ut Lexicographi veteres docent, *pilei barbarici genus*; sed eodem nomine etiam intelligebatur (ut ex Veget. IV, 15, distinus) *vinea* sive *crates*. Itaque in loco huic parallelo (paulo infra, § 15) ubi ad idem argumentum redit auctor, ait : *Quid ergo? non quamlibet virgeam cratem texuerunt manu?* Eodemque pertinent (§ 9) *spissata ramalia, ac frons congesta et in proclive disposita. Schw.*

2. *Et urbium urbes prementium*. Sic Gronovii et quinque Grut. codd. cum Erasm. et edit. vet. Antea : *et urbes prementium. Ruhk.*

3. *Vivaria*. Jam Tibull. II, 3, 45

Digitized by Google

dare? Philosophia hæc cum tanto habitantium periculo
8 imminentia tecta suspendit? Parum enim erat fortuitis tegi, et sine arte et difficultate naturale sibi invenire aliquod receptaculum! Mihi crede, felix illud sæculum ante ἀρχιτέκτονας fuit. Ista nata sunt jam nascente luxuria, in quadratum tigna decidere, et, serra[1] per designata currente, certa manu trabem scindere.

Nam primi cuneis scindebant fissile lignum[2].

Non enim tecta cœnationi, epulum[3] recepturæ, parabantur; nec in hunc usum pinus aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine, vicis intrementibus[4], ut ex
9 illa lacunaria[5] auro gravia penderent. Furcæ utrimque suspensæ fulciebant casam: spissatis ramalibus, ac fronde congesta et in proclive disposita, decursus imbribus, quamvis magnis, erat. Sub his tectis habitavere securi. Culmus liberos texit; sub marmore atque auro servitus habitat. In illo quoque dissentio a Posidonio, quod « ferramenta fabrilia excogitata a sapientibus viris judicat. » Isto enim modo dicat licet *Sapientes*, per quos

Tunc laqueis captare feras, et fallere visco
Inventum, et magnos canibus circumdare saltus[6].

10 Omnia enim ista sagacitas hominum, non sapientia invenit. In hoc quoque dissentio, « Sapientes fuisse, qui

et Varro R. R. III, 17 memorant hunc luxum. *Ruhk.*

1. *Serra* cum Grut. Lips. et Gron. e codd. Pinc. al. recepi. Antea *ferro*. *R.*

2. *Lignum*. Versus est Virgilii, Ge. I, 144. *Ruhk.*

3. *Epulum*. Magnum et amplum convivium. Nec displiceat scribi, *populum*; ita Seneca epist. CXV. *Capacem populi cœnationem. L. — Epulum*, inquit Ruhk., quod populo dabatur convivium. De Benef. I. 12.

4. *Vicis intrementibus*. Juvenalis Sat. III: « ...Modo longa coruscat Sarraco veniente abies, atque altera pinum Plaustra vehunt: nutant alte, populoque minantur. »

5. *Lacunaria*. Quæ nos *plafonds* vocamus. Cf. Hor. Carm. II, 18, 2 intp. Ernesti ad Suet. Neron. 34. *R.*

6. *Saltus*. Mox versus est Virgil. Ge. I, 139. De progressu humanitatis similia habet Vitruv. II, 1 ed. Rodii. *Ruhk.*

Digitized by Google

ferri metalla et æris invenerint[1], quum incendio silvarum adusta tellus in summo venas jacentes liquefactas fudisset. » Ista tales inveniunt, quales colunt. Ne illa quidem tam subtilis quæstio mihi videtur, quam Posidonio : « Utrum malleus in usu esse prius, an forcipes cœperint. » Utraque invenit aliquis exercitati ingenii, acuti, non magni, nec elati; et quidquid aliud corpore incurvato, et animo humum spectante, quærendum est. Sapiens facilis victu fuit[2]. Quidni? quum hoc quoque 11
sæculo esse quam expeditissimus cupiat.

Quomodo[3], oro te, convenit, ut et Diogenem[4] mireris, et Dædalum[5]? Uter ex his sapiens tibi videtur? qui serram commentus est? an ille, qui, quum vidisset puerum cava manu bibentem aquam, fregit protinus exemptum e perula calicem, hac objurgatione sui : « Quamdiu homo stultus supervacuas sarcinulas habui? » qui se complicuit in dolio, et in eo cubitavit? Hodie[6] utrum tandem 12
sapientiorem putas, qui invenit quemadmodum in im-

1. *Invenerint. A. c.* Vulgo *invenerunt. Schw.*

2. *Sapiens facilis victu fuit.* Paratum victum habet, nullo labore impenso. De hac loquendi formula cf. Heynium ad Virgil. Æn. I, 443 Exc. Casaubon. ad Sueton. Cæs. 53, init. *Ruhk.*

3. *Quomodo... convenit.* Quomodo hæc simul stare possunt, ut tam diversos homines aliquis miretur? De *dolio* Diogenis Sinopensis multum disputatum est : et quidni in eo cubitasse dicatur? Cf. Bruckeri Hist. crit. I. p. 872 sq. *Ruhk.*

4. *Et Diogenem. R. A. c.* Abest vulgo prior vocula, quamvis ad sententiam necessaria. *Schw.*

5. *Dædalum.* Sic omnes codd. Grut. et edd. Muretus tamen invenisse dicit in suo codice : *Talum :* et verius est hoc. Sed Seneca æque Dædalum scripsit ac postea Plin. N. H. VII, 56 : fabricam materiariam invenit Dædalus et in ea serram. De re ipsa consulas Jo. Beckmann. *Beyträge zur Gesch. der Erfind.* II. p. 256 sq. *Ruhk.* — At Ovidius serræ inventorem fecit *Perdicem*, Dædali sororis filium. Ita enim de eo scribit octavo Metamorphoseon : « Ille etiam medio spinas in pisce notatas Traxit in exemplum ; ferroque incidit acuto Perpetuos dentes, et serræ repperit usum Primus. »

6. *Hodie.* Tenent libri omnes. Cur *Hoc die* scriberet Ruhk. nulla causa erat. — Qui Ruhk. e margine codd.

Digitized by Google

mensam altitudinem crocum latentibus fistulis [1] exprimat; qui Euripos [2] subito aquarum impetu implet aut siccat, et versatilia [3] cœnationum laquearia ita coagmentat, ut subinde alia facies atque alia succedat, et toties tecta, quoties fercula, mutentur? an eum, qui et aliis et sibi hoc monstrat, quam nihil nobis natura durum ac difficile imperaverit? posse nos habitare sine marmorario ac fa-
13 bro; posse nos vestitos esse sine commercio [4] Serum; posse nos habere usibus nostris necessaria, si contenti fuerimus his, quæ terra posuit in summo [5]. Quem si audire humanum genus voluerit, tam supervacuum sciet sibi coquum esse, quam militem [6]. Illi sapientes fuerunt, aut certe sapientibus similes, quibus expedita erat tutela cor-
14 poris. Simplici cura constant necessaria; in delicias laboratur. Non desiderabis artifices, si sequeris naturam: illa noluit esse districtos [7]; ad quæcumque nos cogebat,

Palatini tertii recepisse se dicebat.

1. *Crocum latentibus fistulis exprimat.* Jam Ovidius A. A. I, 103: « Tunc neque marmoreo pendebant vela theatro, Nec fuerant liquido pulpita rubra croco. » Prop. IV, 1, 15 et 16 ubi conf. Burmann. Nat. Quæst. II, 9. Erat hæc inventio romana, sed diu ante Senecam facta. *R.*

2. *Qui Euripos.* Fossas s. canales, quibus Cæsarem Dictatorem primum arenam s. Circum circumdedisse refert Plin. N. H. VIII, 7. Locum Frontini de Aquæduct. rom. c. 97, de inundatione Circi per occultos canales ex aquæductibus facta, ut Naumachiæ fierent, intellexerim: unde liquet, jam ante Senecæ ævum hæc etiam esse inventa. *Ruhk.*

3. *Versatilia.... mutentur.* I. e. quocumque novo ferculo subministrato tecta conclavis (*cœnationis*) mutabantur. Attigit Sueton. Neron. 31, 34 ubi vide not. *Ruhk.*

4. *Serum.* Seres in Sinæ finibus occidentalibus, nunc Tangut, habitabant. *D'Anville* monstravit hunc situm, probante Jo. Matth. Sprengelio in *Geschichte der wichtigsten geogr. Entdeck.* p. 126 ed. II. Vestes inde Romam advectæ, sericæ vocatæ. Cf. Intpp. ad Virgil. Ge. II, 121. *Ruhk.*

5. *Terra posuit in summo.* Non in imo, ut metalla. In summo sunt herbæ, fruges, stirpes. *Lips.*

6. *Quam militem.* Nam bella e talibus, ex auro, inquam, et luxu. *L.* — Nec ista locus eget interpretatione: supervacuus esset miles, quia sapiens omnes doceret virtutem, ideoque humanitatem; coquus inutilis, quia doceret sapiens temperantiam.

7. *Districtos.* Scil. Multis negotiis

Digitized by Google

instruxit. Frigus intolerabile est corpori nudo. Quid ergo? non pelles[1] ferarum et aliorum animalium a frigore satis abundeque defendere queunt? non corticibus[2] arborum pleræque gentes tegunt corpora? non avium plumæ in usum vestis conseruntur[3]? non hodieque magna Scytharum[4] pars tergis vulpium induitur ac murium, quæ tactu mollia et impenetrabilia ventis sunt? — Opus est tamen 15
calorem solis æstivi umbra crassiore propellere. — Quid ergo? non vetustas multa abdidit loca, quæ vel injuria temporis, vel alio quolibet casu excavata in specum recesserunt? Quid ergo? non quamlibet virgeam cratem texuerunt manu, et vili oblinierunt[5] luto, deinde stipula aliisque silvestribus operuere fastigium, et, pluviis per devexa labentibus, hiemem transiere securi? Quid ergo? 16
non in defosso[6] latent Syrticæ gentes? quibus propter nimios solis ardores nullum tegumentum satis repellendis caloribus solidum est, nisi ipsa arena humus.

ad illas delicias comparandas. *Ruhk.*

1. *Non pelles. A. c.* Pal. 2 et Col. Delevi *numquid*, e scholio vulgo præpositum. *Schw.*

2. *Non corticibus... corpora?* Sunt ἰσθῆτες φλοῖνοι ap. Herodot. al. de quibus vide Forster. de bysso antiquor. p. 30 sq. E cortice mori papyriferæ hodieque Otahitas vestes sibi conficere notum est. *Ruhk.*

3. *Non avium.... conseruntur.* Exemplo est Philoctetes in insula Lemno relictus, Attii ap. Cic. de Fin. V, 11. « Configo tardus celeres, stans volatiles, Pro veste pinnis membra textis contegens. » Ovid. Met. XIII, 53. Quintus Calab. IX, 356 sq., et Americani a Lipsio citati, qui plumatili veste hac utuntur. *Ruhk.*

4. *Non hodieque magna Scytharum... sunt.* Sunt isti mures scythici Martium et Hermelinarum nomine noti. — Justinus : « Lanæ iis usus ignotus : pellibus tantum ferinis aut marinis vestiuntur. » De *marinis* haud temere mutem : nam et in Tacito est de *pellibus belluarum*, quas exterior Oceanus gignit. Tamen alii *murinis*, quod esset hic pro Seneca, de *muribus*. Quod de Scythis Seneca, idem de Germanis Tacitus : « Gerunt et ferarum pelles, proximi ripæ negligentius, ulteriores exquisitius. » Isodorus : « Mastruca, vestis Germanica ex pelliculis ferarum. » *Lips.*

5. *Oblinierunt. R. A. c.* Vulgo *obleverunt. Schw.*

6. *Quid ergo? non in defosso.... arena humus.* Unde hæc sumpserit, dicere non habeo. Herodotus quidem de his populis, qui syrticam Africæ regionem ad mare mediterraneum si-

Digitized by Google

Non fuit tam inimica natura, ut, quum omnibus aliis animalibus facilem actum vitæ daret, homo solus non posset sine tot artibus vivere. Nihil horum ab illa nobis imperatum est, nihil ægre quærendum, ut possit vita produci. Ad parata[1] nati sumus : nos omnia nobis diffi-
17 cilia facilium fastidio fecimus. Tecta tegumentaque, et fomenta corporum, et cibi, et quæ nunc ingens negotium facta sunt, obvia erant, et gratuita, et opera levi parabilia; modus enim omnium, prout postulabat necessitas, erat; nos ista pretiosa, nos mira, nos magnis multisque conquirenda artibus fecimus. Sufficit ad id natura, quod poscit. A natura luxuria descivit; quæ quotidie se ipsa incitat, et tot sæculis crescit, et ingenio adjuvat vitia.
18 Primo supervacua cœpit concupiscere, inde contraria, novissime animum corpori addixit, et illius deservire libidini jussit. Omnes istæ artes, quibus aut [2]excitatur civitas aut strepit, corporis negotium gerunt; cui omnia olim tanquam servo præstabantur, nunc tanquam domino parantur. Itaque hinc[3] textorum, hinc fabrorum officinæ sunt, hinc odores coquentium, hinc molles corporis motus docentium, mollesque cantus et infractos.
19 Recessit enim ille naturalis modus, desideria ope necessaria finiens : jam rusticitatis et miseriæ est, velle quantum sat est.

Incredibile est, mi Lucili, quam facile etiam magnos

tam incolunt, exponens IV, 168 sq. hujus rei non meminit. Troglodytas ibi non habitasse constat. *Ruhk.*

1. *Ad parata.* Εὐτελῆ, quæ in promptu, ad manum sunt omnibus. Sic Horat. Carm. I, 31, 17 precatur : « Frui paratis et valido mihi, Latoe, dones. » *Ruhk.*

2. *Excitatur.* Pro *excitatur*, quæ vulgata lectio optimum præbet sensum, Schweigh. dat *circitatur* quod vix latinum est, sed quod præstant ed. *R.* cum ms. Arg. *a* (nam nunc tandem, inquit, nobis suppetias venit noster ille vetustissimus codex), et tres Pal. et Col. Vulgatum *excitatur* dare *A. c.* fatetur.

3. *Itaque hinc... infractos.* Cf. ad

viros dulcedo orationis abducat a vero. Ecce [1] Posidonius, (ut mea fert opinio, ex his [2] qui plurimum philosophiæ contulerunt), dum vult describere primum, quemadmodum alia torqueantur fila, alia ex molli solutoque ducantur; deinde, quemadmodum tela suspensis ponderibus 20 rectum stamen extendat; quemadmodum subtemen insertum, quod duritiam utrimque comprimentis tramæ remolliat, spatha coire cogatur et jungi; textrini [3] quoque artem a sapientibus dixit inventam, oblitus, postea repertum hoc subtilius genus [4], in quo

Tela jugo juncta est, stamen secernit arundo;
Inseritur medium radiis subtemen acutis,
Quod lato feriunt [5] insecti pectine dentes.

Ep. 15, 6. Luxum, quem hic taxat, recte caput omnium harum inventionum et artium prodit Seneca, qui tamen in fervore, quem Russavianum merito vocaveris, naturalem rerum indolem habitumque laudandi, modum excedit. *Ruhk.*

1. *Ecce Posidonius... sed nullum pudori est.* Descripserat itaque Posidonius, quomodo *alia fila plura in unum torqueantur*, gyrgillo adhibito, *alia ex molli solutoque* i. e. e lana ducantur, neantur: deinde explicaverat antiquiorem texendi artem, quum telæ s. tramæ stamina (*Kette*) a ligno transmisso suspensa, ideoque ad perpendiculum directa lapidum ponderibus infra appensis extenderentur, et subtemen mollius inter tramæ stamina duriora immissum sursum versus *spathâ* s. radio, non pectine, textorio, quam textrix manu regebat, impulsum percuteretur, atque ita tela densaretur. *Ruhk.* — Non facile est ex hac brevi Ruhk. explicatione plane intelligere qua ratione tela apud antiquos fieret: utile igitur nobis visum est, si difficilis illa quæstio longiori disputationi subjiceretur; ideo ad calcem hujus Epistolæ applicuimus, Excursus titulo, notas ex Nostratis *Lagrange* versione excerptas, quibus huic loco lux clarior admovetur. Quas vide.

2. *Ex his.* Sic ms. *a.* cum *R. A. c.* Vulgo *unus ex iis. Schw.*

3. *Textrini.* Hanc lect. dant Pinciani et Grut. codd. omnes. *Textricum* receperant jam Lips. et Gron. *R.*

4. *Subtilius genus* textrini, derelicta tela pendula atque recta, inventum est, scilicet tela plana s. jugalis, quam versibus Ovid. Met. VI, 54 sq. uno male omisso, describit Seneca. Egregie totam hanc artem texendi veterum explicavit Schneiderus in Indice editioni suæ Scriptorum de R. R. adjecto, sub voce *Tela*, unde mutuatus sum, quæ consilio meo convenirent. *Ruhk.*

5. *Feriunt.* Plerique scripti dant *pariunt*, pro quo Schweigh. conjicit *paviunt* quod idem fere significat ac *feriunt*. Gallice enim vertitur: *Battre pour aplanir.* Scripsi, inquit, ex certissima Gruteri conject. quum *pa-*

Digitized by Google

21 Quid si contigisset illi addere[1] has nostri temporis telas, quibus vestis nihil celatura[2] conficitur, in qua non dico nullum corpori auxilium, sed nullum pudori est? Transit deinde ad agricolas, nec minus facunde describit proscissum aratro solum, et iteratum[3], quo solutior terra facilius pateat radicibus; tunc sparsa semina, et collectas manu herbas, ne quid fortuitum et agreste succrescat, quod necet segetem. Hoc quoque opus ait esse sapientium; tanquam non nunc quoque plurima cultores agro-
22 rum nova inveniant, per quæ fertilitas augeatur. Deinde non est contentus his artibus, sed in pistrinum sapientem submittit. Narrat enim, quemadmodum, rerum naturam imitatus, panem cœperit facere: « Receptas, inquit, in os fruges concurrens inter se duritia dentium frangit, et, quidquid excidit, ad eosdem dentes lingua refertur; tunc vero miscetur[4], ut facilius per fauces lubricas transeat: quum pervenit in ventrem, [5]aqualiculi
23 fervore concoquitur; tunc demum corpori accedit. Hoc aliquis secutus exemplar, lapidem asperum aspero im-

riunt dedissent veteres libri omnes. *Feriunt* ex vulgatis Ovidii libris invexit Mur. *Schw.*

1. *Si contigisset illi addere*, i. e. si addere potuisset, si contigisset illi ut addere potuisset. Vulgo *videre*, ex Erasmi ing. *Schw.*

2. *Vestis nihil celatura*. Int. bombycina, quæ Suidas διαφανῆ Λακωνικὰ vocat voce διαφανῆ. Sunt autem vestes Coæ, tenuitate sua infames, nebula linea ap. Publium Syrum Petronii 55. Hinc Horat. Serm. I, 2, 101 « Cois tibi pæne videre est nudam. » Cf. post Lipsium ad Tacit. Ann. II, 33, Heynium ad Tibull. II, 3, 54. *R.*

3. *Et iteratum* a Pinciano est, etsi omnes mss. habent: *inter aratrum*. Sed bene bonus censor, ait Lipsius; est enim agriculturæ vox. *R.*

4. *Tunc vero miscetur*. Sic ed. *R.* et *A.* cum ms. *a.* et *c.* quibus et alii (ut suspicor) veteres libri assentiuntur. Vulgo *tunc vero saliva miscetur*, ab Erasmo. Sed, ut *vinum miscere* dicimus, intelligentes *aqua*, sic et hic nude *miscetur* stare potuerit. *S.*— Sens.: Quidquid excidit miscetur saliva, et in minutissimas partes teritur, ut dempta asperitate, non lædat fauces delicatas, et facilius descendat.

5. *Aqualiculi*. I. stomachi. Cæterum suo consilio res attemperasse Posidonium liquet ex iis, quæ Jo. *Beckmann Beytr. zur Gesch. der Erf.* II, nr. I, docte exposuit. Spectat huc

Digitized by Google

posuit, ad similitudinem dentium, quorum pars immobilis motum alterius exspectat; deinde utriusque attritu grana franguntur, et sæpius regeruntur, donec ad minutiam frequenter trita redigantur. Tunc farinam aqua sparsit, et assidua tractatione perdomuit, finxitque panem; quem primo cinis calidus et fervens testa percoxit: deinde furni paulatim reperti, et alia genera, quorum fervor serviret arbitrio. » — Non multum abfuit[1], quin 24
sutrinum quoque inventum a sapientibus diceret.

Omnia ista ratio quidem, sed non recta ratio, commenta est. Hominis enim, non Sapientis, inventa sunt; tam mehercules, quam navigia, quibus amnes, quibusque maria transivimus, aptatis ad excipiendum ventorum impetum velis, et additis a tergo gubernaculis, quæ huc atque illuc cursum navigii torqueant : exemplum a piscibus tractum est, qui cauda reguntur, et levi ejus in
utrumque momento velocitatem suam flectunt[2]. « Omnia, 25
inquit, hæc Sapiens quidem invenit; sed minora, quam ut ipse tractaret, sordidioribus ministris dedit. » Imo non ab aliis[3] excogitata ista sunt, quam a quibus hodieque curantur. Quædam nostra demum prodiisse memoria scimus : ut speculariorum usum[4], perlucente testa cla-

enigma Symposii LI in Wernsdorf. Poet. Lat. Min. VI, 2. p. 527. De *panificio* eruditissime egit Heynius in Opusc. Acad. Vol. I. p. 363 sq., nostri loci non immemor. *Ruhk.*

1. *Non multum abfuit.... diceret.* Satis facete his verbis pro lemmate usus est Petrus Camperus in libro celebratissimo, *sur la meilleure forme des Souliers.* 1781. *Ruhk.*

2. *Velocitatem suam flectunt.* Vide *Buffon* verbo *cygne* pulcherrimam hujus avis cum nave comparationem.

3. *Non ab aliis... quam a quibus.* Duæ præpositiones, *ab* et *a* desunt veteribus libris omnibus. *Schw.*

4. *Speculariorum usum.* Specularia, quadræ sive orbes fenestris inserti, ad lucem intermittendam, ventos excludendos : vicem et usum hodie vitreorum. Dicta a lapide speculari : cui hoc nomen a natura tralucente. Creber olim in Hispania, Cypro, Cappadocia, Africa; nunc sitne in notitia, nescio, vix in usu, at olim frequenti : neque enim cœnationes

Digitized by Google

rum transmittentium lumen; ut suspensuras [1] balneorum, et impressos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima simul ac summa foveret æqualiter.
26 Quid loquar marmora [2], quibus templa, quibus domus fulgent? Quid lapideas [3] moles in rotundum ac leve formatas, quibus porticus et capacia populorum tecta suscipimus? quid verborum notas [4], quibus quamvis citata excipitur oratio, et celeritatem linguæ manus sequitur? Vilissimorum mancipiorum ista commenta sunt: sapientia altius sedet, nec manus edocet; animorum magistra est.
27 Vis scire, quid illa eruerit, quid effecerit [5]? Non dedecoros [6] corporis motus, nec varios per tubam ac tibiam cantus, quibus exceptus spiritus, aut in exitu [7], aut in transitu [8], formatur in vocem; non arma, nec muros, nec bella: utilia molitur, paci favet, et genus humanum ad

solum aut cubicula illustrabant, sed balnea (supra Epist. LXXXVI) sed totas porticus, in Plinii Epist. XVII lib. II. Item pomaria et hortos (tanta copia erat) contra cæli injurias sic claudebant: ex Martiali palam lib. VIII, Epig. XIV et LXVIII; adde nostrum de Provid. cap. IV. § 9. — Sæpe occurrit speculariorum usus, e. c. E. 86, 9. Cf. Wernsdorf. Poet. Lat. Min. VI, 2 p. 542 sq. *Ruhk.*

1. *Suspensuras balneorum.* Recte explicat Lipsius de balneis antea simpliciter solo instructis, nunc autem a terra paullum allevatis super hypocausta et camerationes suppositas, ubi ignis erat; at superiora per *impressos parietibus tubos* calefiebant. Cf. ad 4, 9 de Provid. Propter hanc elevationem pensilia balnea vocata, de quibus cf. Schneider. ad Pallad. I, 40. p. 44, et Jo. Beckmann *Beytrage sur Gesch. d. E.* II, 3 p. 428 qui nostro loco et Winckelmanno usus est. *R.*

2. *Quid loquar marmora... fulgent?* Vid. ad Ep. LXXXVI, 5. *Ruhk.*

3. *Quid lapideas... suscipimus?* I. e. quare columnas, quibus suspendimus, suffulcimus etc. *Ruhk.*

4. *Verborum notas.* De Verborum notis, *Short hand* vocant Angli, exsecutus est Lipsius in Epist. XXVII Centur. I ad Belgas. Wower de Polymathia c. VI, p. 40 sq. (notæ præpetes, quibus tachygraphi utebantur, σημεῖα, Manil. IV, 197. Plut. Caton. min. To. I. p. 770. B. C.) *Ruhk.* — Quæ ars apud nos, *stenographiæ* nomine nota, nunc a multis excolitur.

5. *Quid effecerit.* Sic *a. c. A.* Vulgo *quidve eff.* ex ed. *R. Schw.*

6. *Dedecoros.* Dedere *a. c. A. Dedecores* ed. *R.* ne id quidem male. *Indecoros* vulgo. *Schw.*

7. *Aut in exitu.* Sicut in tuba. *L.*

8. *Aut in trans.* In foratili tibia. *L.*

Digitized by Google

concordiam vocat. Non est, inquam, instrumentorum ad usus necessarios opifex.

Quid illi tam parvula assignas? Artificem vides vitæ. Alias quidem artes sub dominio habet; nam cui vita, illi vitæ quoque ornamenta serviunt: cæterum ad beatum statum tendit; illo ducit, illo vias aperit. Quæ sint mala, 28
quæ videantur [1], ostendit; vanitatem exuit mentibus, dat magnitudinem solidam; inflatam vero, et ex inani speciosam reprimit; nec ignorari sinit, inter magna quid intersit et tumida: totius naturæ notitiam, ac suæ, [2] tradit. Quid sint Dii, qualesque, declarat; quid inferi, quid lares et genii [3]; quid in secundam numinum formam animæ perpetitæ [4]; ubi consistant [5], quid agant, quid possint, quid velint. Hæc ejus initiamenta sunt, per quæ non mu- 29
nicipale sacrum [6], sed ingens Deorum omnium templum, mundus ipse, reseratur; cujus vera simulacra, verasque facies cernendas mentibus protulit: nam ad spectacula tam magna hebes visus est. Ad initia deinde rerum redit, æternamque rationem toti inditam [7], et vim omnium se-

1. *Quæ sint mala, quæ vid.* I. e. quæ sint vere mala, quæ tantum in opinione. — Vides hic et sqq. §. compendium totius philosophiæ stoicæ, quod in Epist. LXXXIX, 12 sq. pluribus exsecutus est. Moralis pars pertinet usque ad verba: Quid sint dii etc. ubi naturalis pars incipit, quem §. 30 excipit pars rationalis. *Ruhk.*

2. *Ac suæ, tradit.* Alludit ad finem, vivere secundum naturam universi, ac suam: de quo ego Manud. III aliquot Dissertationibus. *Lips.*

3. *Lares et genii.* Quum totum mundum, cælum et terram animæ replent, tum cælum i. e. ætherem heroibus, laribus et geniis attribuebant stoici. Genii per totum sparsi tutelares agunt, lares cuique domo præsunt. Cf. Lips. Physiol. I, 18. *Ruhk.*

4. *In secundam numinum formam animæ perpetitæ. Numinum* e conject. correxit Erasm. Mendose *nominum R. A. a. c.* (Similiter pro *numinis* est *nominis* in ms. *a.*) Tum vero *perpetitæ* dedit idem ms. *a.* id est, perpetuatæ, immortalitate donatæ et in secundam numinum formam (i. e. ordinem) translatæ. Alii vulgo *perpetuæ. Schw.*

5. *Ubi consistant.* Circa imum ætherem, et cælum lunæ. Nos in Physiol. Diss. XIV. *Lips.*

6. *Sacrum.* Intellige ædem sacram, ἱερόν: ut apud Quintil. I. 4, 6. *Schw.*

7. *Rationem toti inditam.* In cor-

Digitized by Google

minum[1] singula proprie figurantem. Tum de animo cœpit inquirere, unde esset, ubi, quamdiu, in quot[2] membra
30 divisus. Deinde a corporibus[3] se ad incorporalia transtulit, veritatemque et argumenta ejus excussit : post hæc, quemadmodum discernerentur vitæ ac vocis ambigua[4]; in utraque enim falsa veris immixta sunt.

Non abduxit[5], inquam, se, ut Posidonio videtur, ab istis artibus Sapiens, sed ad illas omnino non venit. Nihil enim dignum inventu judicasset, quod non erat dignum perpetuo usu judicaturus; ponenda non sumeret. — « Anacharsis[6], inquit, invenit rotam figuli, cujus circuitu vasa
31 formantur. » Deinde, quia apud Homerum[7] invenitur figuli rota, mavult videri versus falsos esse, quam fabulam. Ego nec Anacharsin auctorem hujus rei fuisse contendo; et, si fuit, sapiens quidem hoc invenit, sed non tanquam sapiens; sicut multa sapientes faciunt, qua homines sunt, non qua sapientes. Puta velocissimum esse sapientem : cursu omnes anteibit, qua velox est, non qua sapiens.

poralem illam rationem, de qua Physiol. I. Diss. VII. *Toti* autem id est Mundo. Nam stoicus sermo disparat hoc ab *universo*. Nos quoque in Physiol. II Dissert. V. *Lips.*

1. *Vim omnium seminum.* De qua vide Physiolog. Stoic. lib. III, Dissertation. IV. *Lips.*

2. *In quot membra.* Ita partes appellat : quæ stoicis octo sunt. Vide Physiolog. Stoic. lib. III, Dissertation. XVII. *Lips.*

3. *Deinde a corporibus.* I. e. animo. Cf. Ep. 113. *Ruhk.*

4. *Vitæ ac vocis ambigua.* Sic noster ms. *c.* Sed *vitæ aut vocis amb.* præferunt edd. *R. A. c.* et ms. *a.* quibus haud dubie alii codices assentiuntur. Mireris vero ridiculum erratum, *vitæ ac necis*, ex ed. Er. in alias omnes editiones propagatum, nemine ne dubitationem quidem ullam significante, nedum melius quidpiam requirente. *Schw.*

5. *Non abduxit.... venit.* Spectant ad § 25. « Omnia, inquit, hæc sapiens quidem invenit, sed minora, quam ut ipse tractaret, sordidioribus ministris dedit » : quæ refutat Seneca. — *Ponenda*; i. deponenda. *Ruhk.*

6. *Anacharsis, inquit... formantur... fabulam.* Diogen. Laert. I, 105 ubi Menag. Ephorus Strabonis VII, 3, 9 p. 370 ed. Lips. idem tradunt. *Ruhk.*

7. *Apud Homerum.* Homeri versus extat Iliad. σ, vs. 600, ubi conf. Heyne. *Ruhk.*

Digitized by Google

Cuperem[1] Posidonio aliquem vitriarium[2] ostendere, qui spiritu vitrum in habitus plurimos format, qui vix diligenti manu effingerentur. Hæc inventa sunt, postquam 32
sapientem invenire desivimus. — « Democritus[3], inquit, invenisse dicitur fornicem, ut lapidum curvatura paulatim inclinatorum medio saxo alligaretur. » — Hoc dicam falsum esse. Necesse est enim, ante Democritum et pontes et portas fuisse, quarum fere summa curvantur. Excidit porro vobis[4], eumdem Democritum invenisse, 33
quemadmodum ebur molliretur[5], quemadmodum decoctus[6] calculus in smaragdum converteretur, qua hodieque coctura inventi lapides in hoc utiles[7] colorantur. Ista sapiens licet invenerit, non, qua sapiens erat, invenit:

1. *Cuperem... effingerentur.* Hæc formatura, quæ hodieque obtinet, nova isto tempore fuisse videtur. Cf. *Miscellaneous Works of Middleton* Vol. IV p. 43, qui ante Wessel. ad Diod. 3, 16, Gesneri, Hambergeri et Michaelis disquisitiones super vitro, diligenter hæc exsecutus est, et hunc locum advertit. *Ruhk.*

2. *Vitriarium*, non *vitrarium*, dedere libri nostri. *Schw.*

3. *Democritus.* De Democrito unus Posidonius hæc exposuit: quæ quum Seneca refellat, non cogitavit, et pontes portasque fuisse ligneos nullam curvaturam poscentes. *R.*

4. *Vobis.* Sic. ms. *a.* cum edd. *Nobis* dant *A. c. Schw.*

5. *Molliretur.* Sic optime codd. et vett. edd. *Poliretur* est Pinciani conjectura non admittenda. — *Ebur* enim *molliebatur* ζύθῳ, cerevisiæ genere, si fides habenda est Plut. Vol. X. p. 89, quem Gronovio ad h. l. debeo. Plura dedit Heyne in Nov. Commentar. Soc. Reg. Gott. To. I. nr. VI, de veterum ebore eburneisque signis. Cf. Schneider ad Eclog. phys. p. 16. *Ruhk.*

6. *Decoctus... colorantur.* De fluore vitreo intelligam, quo gemmas, murrhina s. murrham etc. imitari solebant veteres, calce metallica vitreo crystallino purissimo jam liquefacto addita. Sic colorantur. Hoc hodieque fit. Jo. Beckmann tamen in *Beytragen zur Gesch. der Erf.* I. p. 376 de cæmentatione, qua crystallo montano color viridis additus sit, intelligere mavult. *Ruhk.* — Sic *Lagrange* hunc locum explicat in notis: *On suit, dans la préparation des émaux, un procédé qui nous donne l'explication de ce passage de Sénèque. On parvient à communiquer à une même composition d'émail une certaine dégradation de nuances, en exposant à un recuit plus ou moins long les plaques des émaux. C'est le procédé qu'on suit dans l'atelier où se préparent les émaux, pour servir au travail de la mosaïque de Rome.*

7. *In hoc utiles.* Mire *hic utique* ed. *R. Coctiles* vulgo, ex ed. Ven.

Digitized by Google

multa enim facit, quæ ab imprudentissimis aut æque fieri vidimus, aut peritius, aut exercitatius.

34 Quid Sapiens investigaverit, quid in lucem protraxerit, quæris? Primum rerum naturam; quam non, ut cætera animalia, oculis secutus est, tardis ad divina. Deinde vitæ legem; quam ad universa direxit: nec nosse tantum, sed sequi Deos docuit, et accidentia non aliter excipere, quam imperata. Vetuit parere opinionibus falsis, et, quanti quidque esset, vera æstimatione perpendit:

35 damnavit mixtas pœnitentiæ voluptates, et bona semper placitura laudavit: et palam fecit, felicissimum[1] esse, cui felicitate non opus est; potentissimum esse, qui se habet in potestate. Non de ea[2] philosophia loquor, quæ civem extra patriam posuit, extra mundum Deos, quæ virtutem donavit voluptati; sed de illa[3], quæ nullum bonum putat, nisi quod honestum est; quæ nec hominis, nec fortunæ muneribus deleniri potest; cujus hoc pretium est, non posse pretio capi.

36 Hanc philosophiam fuisse illo rudi sæculo, quo adhuc artificia deerant et ipso usu discebantur utilia, non credo:

cum Pal. 2 quæ scriptura efficta est ex ea quam habet ed. *A.* et ms. *c. ocutiles.* Exserte vero *hoc utiles* exhibet ms. *a.* In ora Erasm. notatur *ad hoc utiles;* quod in quatuor e suis repertum ait Gruterus. Puto, utrumque virum doctum voculam *ad* ex conjectura adjecisse: certe, si præpositionem adjecit Seneca, *in hoc* suo more dicturus fuisse nobis videtur (quomodo equidem mea de conjectura edidi), non *ad hoc.* Sed videndum est, ne familiari sermone etiam nude sic dicere latine licuerit, *hoc utiles*, pro *in* vel *ad hoc utiles:* rectius quidem nunc me facturum fuisse mihi videor, si istud tenuissem. *S.*

1. *Felicissimum... potestate.* Sapiens est, de quo sæpe noster, e. c. Ep. 75, 14, 93, 2. Horat. Serm. II, 7, 83 sqq. *Ruhk.*

2. *Non de ea... voluptati.* De Epicuro loquitur, qui a republica suos removet, et sibi ipsis vivere jubet, societatem solvit, etc. ἡδονή, voluptas Epicuri, hic taxatur male intellecta. Est enim nil nisi felicitas, quæ ex conscientia virtutis in vita oritur. Cf. Kant *Critik der prakt. Vernunft* p. 208 sq. ed. II. *Ruhk.*

3. *Sed de illa*, scilicet stoica philosophia. *Ruhk.*

Digitized by Google

sicut ante[1], fortunato tempore, quum in medio jacerent beneficia naturæ promiscue utenda, antequam avaritia atque luxuria dissociavere mortales, et ad rapinam ex consortio discurrere, non erant illi sapientes viri, etiamsi faciebant facienda sapientibus. Statum quidem generis 37
humani non alium quisquam suspexerit magis; nec, si cui permittat Deus terrena formare et dare gentibus mores, aliud probaverit, quam quod apud illos fuisse memoratur, apud quos

..... Nulli subigebant arva coloni,
Nec signare[2] quidem aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant; ipsaque tellus
Omnia liberius, nullo poscente, ferebat[3].

Quid hominum illo genere felicius? In commune rerum 38
natura fruebantur; sufficiebat illa, ut parens, in tutelam omnium: hæc erat publicarum opum secura possessio. Quidni ego illud locupletissimum mortalium genus dixerim, in quo pauperem invenire non posses? Irrupit in res optime positas avaritia, et, dum seducere aliquid cupit atque in suum vertere, omnia fecit aliena et in angustum ex immenso redacta; paupertatem intulit, et, multa concupiscendo, omnia amisit. Licet itaque velit nunc concurrere[4], et reparare quod perdidit; licet agros agris adjiciat,

1. *Sicut ante, fortunato tempore, quum*, etc. Vulgo *sicut ante fortunata tempora*, et sic edd. vett. et ms. c. hiante oratione. Vitiosius ms. *a. sicut aut fortunata tempora*. Gruterus in suis partim *aut*, partim *autem* scribi ait: unde Ruhk. *autem* arripiens, confectam rem esse existimavit, si, tanquam hinc nova orationis periodus inciperet, ita scripsisset: *Sicut autem fortunata tempora* etc. non videns, æque hiulcam et sensu cassam, atque ante, prodire orationem. Unice probanda atque adeo adoptanda mihi visa est Lipsii conjectura, *sicut ante, fortunato tempore*, etc. Sic quidem omnia recte procedunt. *Schw.*

2. *Signare. Separare* dabant *R. A. c. a.* ex scholio. *Schw.*

3. *Ferebat.* Versus sunt Virgilii Georg. I, 125 sqq. Sunt Ovidii versus similes, Metam. I, v. 102 seq. *R.*

4. *Concurrere.* Bene edd. cum libr.

Digitized by Google

vicinum vel pretio pellat æris[1], vel injuria; licet in provinciarum spatium rura dilatet, et possessionem vocet per sua[2] longam peregrinationem : nulla nos finium propagatio eo reducet, unde discessimus. Quum omnia fecerimus, multum habebimus : universum habebamus. Terra ipsa[3] fertilior erat illaborata, et in usus populo-
40 rum non diripientium larga. Quidquid natura protulerat, id non minus invenisse, quam inventum monstrare alteri, voluptas erat; nec ulli aut superare poterat, aut deesse : inter concordes dividebatur. Nondum valentior imposuerat infirmiori manum; nondum avarus, abscondendo quod sibi jaceret[4], alium necessariis quoque ex-
41 cluserat : par erat alterius, ac sui, cura. Arma cessabant, incruentæque humano sanguine manus odium omne in feras verterant. Illi, quos aliquod nemus densum a sole protexerat, qui adversus sævitiam hiemis aut imbris vili receptaculo tuti sub fronde vivebant, placidas transigebant sine suspirio noctes. Sollicitudo nos in nostra pur-

vett. i. e. agitare se, et magno motu laborare; quo sensu sæpe *concursationem* dixit Noster, ut Epp. III, et XVII, ubi *concursationes divitum ad divitias euntium*. Quo minus opus erat *occurrere* ex uno aut altero codice Gruteri adsciscere, quod Ruhk. faciendum sibi putavit. *S.* — Ruhk. diversas edidit script. lect. : Margo unius cod. *congerere*. Lipsius emend. *converrere* : Gronovius *conquirere*, qui tamen et *occurrere* probat. De circumcursione sedula, πολυπραγμοσύνη intelligas. *Ruhk.*

1. *Vel pretio pellat æris*. Erasmo debetur, qui tamen *arvis* conjiciebat, unde a Mureto factum *agris*. Codd. habent *eris*, unus *ejus*, unde Grut. fecit *ex his*, quomodo et adscriptum erat Palat. tertio. Lipsius : *ex eis* vel *terris*. Vulgata tamen ferri potest. *R.* — *Pellat æris*, ut inde ab ed. Ven. vulgatur, recte ms. *c*. In *A*. deest posterius vocab. Vitiose duo verba in unum contracta sunt in ms. *a*. et ed. *R. Schw.*

2. *Per sua*. Perperam vulgo *per suam*, quod et primum in ms. *a*. fuerat, sed litera *m* obelo transfixa ab eadem manu. *Schw.*

3. *Terra ipsa... illaborata* : auget magis quam poetæ, qui fertilitatem prædicantes, non deprimunt diligentiam cultorum. Conf. Moschion Stobæi Ecl. p. 242 ed. Heer. « Μίλαινα καρποῦ βῶλος ὀμπνίου τροφός » rel. *Ruhk.*

4. *Quod sibi jaceret*. Sine usu et

Digitized by Google

pura versat et acerrimis excitat stimulis : at quam mollem
somnum illis dura tellus dabat[1] ! Non impendebant cæ- 42
lata laquearia[2], sed in aperto jacentes sidera superlabe-
bantur et insigne spectaculum noctium ; mundus in
præceps agebatur[3], silentio tantum opus ducens. Tam in-
terdiu illis, quam noctu, patebant[4] prospectus hujus pul-
cherrimæ domus ; libebat intueri signa, ex media cæli
parte vergentia, rursus ex occulto alia surgentia. Quidni 43
juvaret vagari inter tam late sparsa miracula? At vos ad
omnem tectorum pavetis sonum[5], et, inter picturas ves-
tras si quid increpuit, fugitis attoniti. Non habebant
domos instar urbium[6]. Spiritus, ac liber inter aperta per-
flatus[7], et levis umbra rupis aut arboris, et perlucidi
fontes, rivique non opere, nec fistula, nec ullo coacto
itinere obsolefacti[8], sed sponte currentes, et prata sine
arte formosa ; inter hæc agreste domicilium, rustica po-
situm[9] manu. Hæc erat secundum naturam domus ; in qua
libebat habitare, nec ipsam, nec pro ipsa, timentem :
nunc magna pars nostri metus tecta sunt.

fructu : abditum aut sepositum. *Lipsius.*

1. *At quam mollem.... dura tellus dabat !* Sic Gruter. et Gronovii mss. Haud dubie verum. Edd. multæ carent voculis : *at quam. Ruhk.*

2. *Cælata laquearia.* Cf. supra ad § 8, ubi lacunaria i. q. laquearia. *R.*

3. *Mundus in præceps agebatur.* Natura, mundus et Deus idem valent ap. Stoicos. Hinc Manilius II, 114: « Materiæque datum est cogi, sed cogere mundo. » Cf. Lipsii Physiol. stoic. I, 5. *Ruhk.*

4. *Patebant, a. c. R. A.* Non *patebat. Schw.*

5. *Pavetis sonum.* Ruinæ metu. *L.*

6. *Non habebant domos instar urbium.* Conf. supra ad § 7. Lipsius docuit in Admirandis, Romæ sic fuisse. *Ruhk.*

7. *Perflatus* dedit ms. *a.* Vulgo *flatus. Schw.*

8. *Rivique... obsolefacti.* I. e. ad utilitatem redacti ac servitutem. Rivi, aqua ad libram exacta, *opere* arcuato, et substructionibus supra terram, ducebantur in castella s. dividicula (*bassins*), unde per fistulas, aqua quaquaversus in fundum etc., et tandem Romam dirigebatur ibique dividebatur. De his aquæductibus rom. cf. post Frontinum, *Adlers Beschreib. der Stadt Rom.* p. 66 sqq. *Ruhk.*

9. *Positum.* Sic omnes edd. Schw. dat *politum*, nulla allata ratione,

Digitized by Google

44 Sed, quamvis egregia illis vita fuerit et carens fraude, non fuere sapientes, quando hoc jam in opere maximo nomen est. Non tamen negaverim fuisse alti spiritus viros, et, ut ita dicam, a Diis recentes[1] : neque enim dubium est[2], quin meliora mundus nondum effœtus ediderit. Quemadmodum autem omnibus indoles fortior fuit, et ad labores paratior, ita non erant ingenia omnibus consummata. Non enim dat natura virtutem : ars est,
45 bonum fieri[3]. Illi quidem non aurum, nec argentum, nec perlucidos lapides[4] [in] ima terrarum fæce quærebant, parcebantque adhuc etiam mutis[5] animalibus : tantum aberat, ut homo hominem, non iratus, non timens, tantum spectaturus, occideret. Nondum vestis

ita ut timendum sit, ne sit typographi sphalma. Non despiciendus tamen sensus.

1. *A Diis recentes.* Ab illis conditos factosque, nulla adhuc progenie humana ab illis separatos.

2. *Neque enim dubium est... ediderit.* Poetarum hanc opinionem de *mundo*, *effœto* i. tam imbecilli et affecto, ut mulieri ætate jam defessæ similis, animalia deteriora pareret, ideoque cognatam cum illa opinione de sæculo aureo, Democrito acceptam retulit, opinor, Epicurus Lucretii II, 1150, rel. et Stoici recentiores, quorum peculiare hoc erat dogma, primos mortales multo sapientiores fuisse posteris. Hoc ipsum monuit Sextus Empir. p. 555 Fabric. Conf. Lipsii Physiol. stoic. III. c. 4 et 5. Egregie explicatam ac refutatam eam dederunt Viri præstantissimi Reimarus (*die vornehmsten Wahrheiten der natürl. Relig.* p. 110 sq. ed. IV) et Wielandus (*samtl. Werke* B. XIV p 353 sq. 391 sq.) *Ruhk.*

3. *Ars est bonum fieri.* Nam Stoa docet, virtutem disci debere et posse. Lipsii Manuduct. in Philos. stoic. II, 10. Ars est Philosophia vitæ. Conf. Cic. Fin. lib. III, cap. 2. Upton. ad Arrian. Dissert. Epict. p. 184 Schweighæus. *Ruhk.*

4. *Perlucidos lapides* [*in*] *ima terrarum fæce.* Voculam *in*, quæ ante *ima* excidere facile potuerat, ex conjectura adjeci. Vocab. *lapides*, ex ed. *R.* vulgatum, desideratur in mss. *a. c.* et ed. *A.* Nescio utrum ex vulgari sermonis usu potuerit abesse, an post *quærebant* poni debuerit (ubi in Pal. sec. ponitur), et dein temere fuerit omissum. — Leviora nonnulla, passim e veteribus libris a nobis correcta, aut jam a Ruhkopfio, sive ante eum ab aliis recte curata, prætermitto. *Schw.*

5. *Mutis animalibus.* I. e. brutis, cæteris animalibus, hominum respectu. Bene hæc observavit contra Lipsium, qui pisces intellectos maluerat, Gronov. Cf. Nostrum, Epist. XCII, 7. *Ruhk.*

Digitized by Google

illis erat picta, nondum texebatur aurum [1]; adhuc nec eruebatur. Quid ergo? ignorantia rerum innocentes erant : multum autem interest, utrum peccare aliquis nolit, an nesciat. Deerat illis justitia, deerat prudentia, deerat temperantia ac fortitudo. Omnibus his virtutibus habebat similia quædam rudis vita : Virtus non contingit animo, nisi instituto ac edocto, et ad summum assidua exercitatione perducto. Ad hoc quidem, sed sine hoc, nascimur : et in optimis quoque, antequam erudias, virtutis materia, non virtus est. Vale.

1. *Nondum texebatur aurum.* Ut fila lanea tramam, aurea subtemen constituerent. Plin. Natur. Hist. lib. VIII, cap. 48 tribuit hanc artem Attalo Pergi regi, unde nomen venit Attalicis. *Ruhk.*

EXCURSUS

AD L. A. SENECÆ LOCUM

DE TEXENDI ARTE APUD VETERES.

« *Ecce Posidonius.... dum vult describere..... quemadmodum alia torqueantur fila*, etc. » Epist. XC, § 19, 20.

Sic totum locum vertit *Lagrange :*

Posidonius, qui, à mon jugement, est un de ceux qui ont rendu le plus de services à la philosophie, tandis qu'il s'occupait à décrire d'abord comment certains fils étaient filés tors, comment d'autres fils étaient tirés d'une matière ouverte, et qui

Digitized by Google

se prêtait à un tortillage ménagé ; ensuite comment les fils de la chaîne d'une étoffe étaient maintenus droits et parallèles par plusieurs poids suspendus à ses fils ; comment la trame introduite entre les deux parties de la chaîne, qui s'entrelacent de chaque côté, en faisait disparaître la tension et la roideur, surtout après que cette trame était réunie et jointe à la chaîne par l'action d'une lame de bois en forme de couteau : Posidonius, dis-je, attribuait aux sages l'invention de l'art des tissus. Il oubliait que l'on avait trouvé depuis une manœuvre de fabrication plus adroite, suivant laquelle « l'étoffe est attachée à des rou-
» leaux ou ensubles; la chaîne séparée en deux parties par un
» équipage qui les entr'ouvre, et la trame introduite par une
» navette pointue aux deux bouts, et frappée et serrée contre
» la chaîne, par les dents multipliées d'un peigne qui embrasse
» la largeur de l'étoffe. »

Deinde, in notis, dat totius loci fusam explicationem, quam viro harum rerum peritissimo se debere profitetur :

Ces passages de Sénèque et d'Ovide étant bien discutés, on peut se former une idée des principales manœuvres suivies successivement par les anciens dans la fabrication de leurs tissus. On y parle d'abord de fils tors pour la chaîne (*stamen*) : ces fils étaient ou filés tors à la quenouille, ou retordus par une machine particulière (*alia torqueantur fila*). C'est du mot *stamen* que sont venus les termes *étaim*, *étame*, sous lesquels sont connus dans nos fabriques les fils de la chaîne de plusieurs étoffes de laine, et surtout de celles qu'on appelle *étamines*, et qui sont très-tordus. On distingue de cette espèce de fils les fils doux employés pour le remplis, ou *la trame* (*subtemen*) : ces fils de trame étaient tirés (*ducantur*) d'une matière ouverte par la carde, ou autrement (*ex soluto*), et qui suivait mollement la main de la fileuse (*mollique*).

Nous trouvons ensuite l'exposition de deux systèmes de fabri-

Digitized by Google

cation, ou de l'emploi de ces deux espèces de fils imaginés successivement par les anciens. Dans le premier, les fils de la chaîne étaient suspendus verticalement, et fixés dans une situation droite et parallèle par des poids assez semblables aux plombs qui maintiennent les fils de l'équipage de la tire dans nos métiers (*tela suspensis ponderibus rectum stamen extendat*). La trame (*subtemen*) était introduite (*insertum*) entre les deux parties de la chaîne, dont chacune se nommait *trama*, et ses fils transversaux étaient réunis et serrés contre les deux parties de la chaîne qui les entrelaçaient, par une lame de bois en forme de couteau (*spatha*). On peut prendre une idée de ce couteau et de son effet, en observant les fabricans de sangles qui en emploient un semblable au lieu de châsse armée de peigne.

Voilà l'art décrit par Sénèque d'après Posidonius, art que ce philosophe regardait comme une invention des sages : mais Sénèque, pénétré de l'idée que cette découverte est indigne de son sage, reproche à Posidonius d'avoir oublié le second système de fabrication beaucoup plus ingénieux, et qui avait été inventé depuis les sages. Suivant ce système, la chaîne des étoffes était roulée sur des cylindres ou ensubles (*tela jugo juncta est*) fixées aux deux extrémités d'un bâti; et cette chaîne se présentait à l'ouvrier dans une situation horizontale : elle était, outre cela, divisée en deux parties, et entr'ouverte par un bâton (*stamen secernit arundo*). La trame (*subtemen*), portée par une navette, ou fuseau pointu au deux bouts (*radiis acutis*), était introduite entre les deux parties de la chaîne entr'ouvertes (*inseritur medium*), et formait un tissu serré, étant frappée par les dents multipliées d'un peigne (*quod feriunt dentes*), entre lesquelles les fils de la chaîne étaient engagés (*insecti*), et qui embrassait toute la largeur de l'étoffe (*lato pectine*).

On doit faire observer ici que, dans les deux descriptions que nous venons de paraphraser, il manque beaucoup de pièces né-

Digitized by Google

cessaires à la manœuvre de la fabrication : on ne dit pas comment, dans le premier système, les deux parties de la chaîne verticale (*utrinque comprimentis tramæ*) pouvaient s'ouvrir et se fermer en croisant, ni comment on pouvait y introduire la trame; comment les fils de la chaîne, quoique maintenus par les poids, ne se dérangeaient pas lorsqu'on les ouvrait, ou qu'on les entrelaçait. Nous pouvons suppléer à ce silence, en supposant que d'abord les anciens introduisaient la trame en démêlant les fils de la chaîne, et les croisant à mesure, comme le font les sauvages de la Nouvelle-Hollande et de la Nouvelle-Zélande : cette manœuvre longue étant finie, ils frappaient la trame avec leur couteau de bois (*spatha*). On peut ensuite présumer que, pour ouvrir la chaîne et la croiser, ils ont adopté un mécanisme équivalant à ce que nous appelons *haute-lice* dans les tissus dont les chaînes sont encore restées verticales, comme dans les tapisseries, etc.

Il manque de même, dans le second système de fabrication décrit par Ovide, le mécanisme équivalant à celui des marches et des lices : car l'*arundo*, en le supposant un bâton rond qui traversait la chaîne (*pertica transoersa*, comme le disent les commentateurs), ne peut qu'entr'ouvrir et séparer les deux parties de la chaîne; mais il s'opposerait à la croisure des fils. Il a été nécessaire, pour que les fils d'une des parties de la chaîne pussent s'élever ou s'abaisser, pendant que l'autre était en repos, que ces fils fussent attachés à des lices, et que ces lices fussent élevées ou abaissées par des leviers. Il est vrai que peut-être la main aidait l'introduction de la navette, qu'elle faisait mouvoir l'équipage des lices, avant qu'on eût trouvé le moyen de les *fouler* aux pieds : toujours est-il certain que, du tems de Pline, on avait introduit le jeu des lices dans le mécanisme du métier des anciens. Plusieurs écrivains se réunissent à cet auteur, pour nous apprendre qu'*on attachait à des lices les fils de la chaîne des*

Digitized by Google

étoffes; qu'on employait et qu'on faisait jouer plusieurs rangs de lices : *plurimis liciis texere... Alexandria instituit* (PLIN. *lib.* VIII, *cap.* 48). Nous trouvons ensuite dans Ammien Marcellin (*l.* XIV, *cap.* 6) que, par le jeu de ces lices, on était parvenu à figurer des animaux sur les étoffes, comme sur nos toiles damassées, ou nos damas en soies : *tunicæ varietate liciorum effigiatæ species animalium multiformes;* ce qui annonce, dans le travail des anciens, un degré de perfection égal à ce que nous exécutons de plus savant par le moyen de *la tire*, dont *les lices* font l'office dans ce cas.

EPISTOLA XCI.

DE INCENDIO LUGDUNI : INDE, DE MORTE COGITATIONES.

Commemorat, quomodo amicum communem, Liberalem, Lugdunensi colonia oriundum, atque ejus amantissimum, quum horribili incendio exusta esset, consolatus sit. Magnitudine hujus calamitatis vividis coloribus depicta, atque adeo tristitiæ causis concessis, monuerat, nihil ex humanis rebus non esse fragile, ideoque in omnia, quæ accidere possint, præmittendum esse animum, eumque ad ea præparandum, quum fortuna parcat nemini, et multis modis calamitatum et mortis utatur, quin nimia felicitas ipsa cladis causas inveniat et cito pereant subitoque, quæ diu crevissent. Deinde cogitemus, non esse tam magnum, quicquid acciderit, quam rumore jactetur. Tum, esse hanc quum omnium rerum, tum naturæ communem sortem. Omnia cadent, quomodocumque id fiat. Accedit, quod major fortuna sæpe ex injuria oriatur : quod et Lugduno eventurum esse auguratur et optat. Quum itaque nihil inausum intentatumque sit fortunæ, vel his legibus, quas det hæc necessitas, parendum vel subtrahendum est quacumque via velis : omnes autem hoc respectu similes paresve sumus. Exemplo est Alexander magnus. Æquanimitate omnia feruntur, quum nihil eorum malum sit nisi verba quæ metum injiciunt sine causa : ut adeo mors et iniqui rumores eodem loco habendi sint.

Comparari meretur Senecæ liber de Tranquillitate animi egregius pluribus locis : nec ei, qui tres Consolationes Senecæ tribui solitas legerit, occurrent nondum dicta.

Digitized by Google

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Liberalis[1] noster nunc tristis est, nuntiato incendio, quo Lugdunensis colonia exusta est[2]. Movere hic casus quemlibet posset, nedum hominem patriæ suæ amantissimum. Quæ res effecit, ut firmitatem animi sui quærat; quam videlicet ad ea, quæ timeri posse putabat, exercuit. Hoc vero tam inopinatum malum, et pæne inauditum, non miror si sine metu fuit[3], quum esset sine exemplo : multas enim civitates incendium vexavit, nullam abstulit. Nam etiam ubi hostili manu in tecta ignis immissus est, multis locis defecit; et, quamvis subinde excitetur, raro tamen sic cuncta depascitur, ut nihil ferro
2 relinquat. Terrarum quoque vix unquam tam gravis et perniciosus fuit motus, ut tota oppida everteret[4]. Nunquam denique tam infestum ulli[5] exarsit incendium, ut nihil alteri superesset incendio[6]. Tot pulcherrima opera, quæ singula illustrare urbes singulas possent, una nox

1. *Liberalis*. Videtur esse idem ille *Æbutius Liberalis*, cui de Beneficiis inscripsit, de quo vid. nostræ edit. II vol., pp. 309, 313.

2. *Lugdunensis colonia exusta est*. Illa colonia, quæ nunc *Lyon* audit, ducta est a L. Munat. Planco, a. U.C. 711 (cf. Dio Cass. XLVI, 50) et exusta est a. U. C. 811, post Chr. nat. 59, regnante Nerone. E cælesti igne incendium erat. Conf. Tacit. Ann. XVI, 13. Hujus cladis vestigia apparere et nunc Lugduni docemur ab auctore Antiquitatum lugdunensium, p. 248. Cf. *Ménétrier* in *Histoire civile et consulaire de la ville de Lyon. fol. Lyon*. 1696.

3. *Si sine metu fuit*. Si nulli timendum visum sit, si nemo de eo timendo cogitaverit.

4. *Terrarum... vix... tam gravis... motus, ut tota oppida everteret*. Ipse tamen haud raro memoravit Burin Helicenque, Achaiæ urbes, quæ terrarum hiatu et aquarum irruptione penitus dirutæ sunt. Conf. Nat. Q. l. VI, c. 23; Strab. I. Omnibus præterea occurrit urbis illius florentissimæ, Olisipponis, casus, quæ proxime elapso sæculo (1755) tam terribili et inopino terrarum motu oppressa fuit ut vix ullæ ædes supersteterint.

5. *Tam infestum ulli*. Sc. oppido, urbi : moneo, ne cum Lipsio *ullibi* vel *ullum* emendes. *Ruhk*.

6. *Exarsit... superesset incendio*. Hoc tamen de Troja narrant veteres. Et nuperrime apud nos, urbs Galliæ (*Salins*) flammis fere tota deleta est, ita ut pars incolarum maxima, ha-

Digitized by Google

stravit : et in tanta pace[1], quantum ne bello quidem timeri potest, accidit. Quis hoc credat? ubique armis quiescentibus, quum toto orbe terrarum diffusa securitas sit, Lugdunum, quod ostendebatur in Gallia, [2] quæritur! Omnibus fortuna, quos publice afflixit, quod passuri 3
erant timere permisit; nulla res magna non aliquod habuit ruinæ suæ spatium : in hac, una nox interfuit[3] inter urbem maximam, et nullam. Denique diutius illam tibi perisse, quam periit, narro. Hæc omnia Liberalis nostri affectum inclinant[4], dum adversus sua[5] firmum et erectum. Nec sine causa concussus est : inexspectata plus aggravant; novitas adjicit calamitatibus pondus : nec quisquam mortalium non magis, quod etiam miratus est, doluit[6].

Ideo nihil nobis improvisum esse debet. In omnia præ- 4
mittendus est animus, cogitandumque[7], non quidquid solet, sed quidquid potest fieri. Quid enim est, quod

bitationibus destituta, vicinarum urbium hospitium implorare coacta fuerit, donec urbs patria ex collecta per totam Galliam pecunia iterum instauraretur.

1. *In tanta pace*. Nam bellum parthicum sequenti demum anno 812 acriter sumebatur. Tacit. Ann. XIII, 34. *Ruhk*.

2. *Quæritur!* Tuentur *a. c. R. A. Quæri?* ed. Ruhk. ex nonnullis Pinc. et Grut. *Schw.*—*Quæritur*. Int. desideratur, quæritur ubi sit.

3. *Interfuit*. Plurimi codd. et edd. sic præstant. Ex uno Gruteri recepit Lipsius *una nox fuit inter* etc. At est hæc loquendi ratio Senecæ familiaris, e. c. Ep. 101, 9. *Gron.*—Nonnulli codd. *una nox non interf. Ruhk*.

4. *Affectum inclinant, dum adversus sua firmum*. I. e. quum interim adversus sua firmus sit. Vulgo *inclinant*, absque *dum*. At *inclinandum* dabant *a. c. R. A.* in quo duæ istæ voces haud dubie latebant. In ed. *R.* est *inclinandum movent adv.* ubi scil. *movent* ex scholio interpolatum. *Schw.*

5. *Adversus sua*. I. e. ea, quæ ad ipsum pertinebant, ideoque privata et propria. *Ruhk*.

6. *Nec quisquam majorem* percepit dolorem ejus rei, quam, quum accideret, etiam miratus erat ut inopinatam et insolitam. *Ruhk*.

7. *Cogitandumque... fieri*. Pertinet huc versus Publii Syri mimographi, « cuivis potest accidere, quod cuiquam potest, » laudatus a Seneca in Consol. ad Marc. c. 9 fin. de Tranq. an. 11, 6. *Ruhk*.

Digitized by Google

non fortuna[1], quum voluit, ex florentissimo[2] detrahat? quod non eo magis aggrediatur et quatiat, quo speciosius fulget? Quid illi arduum, quidve difficile est? Non una via semper, ne tota quidem, incurrit. Modo nostras in nos manus advocat; modo, suis contenta viri-
5 bus, invenit pericula sine auctore. Nullum tempus exceptum est; in ipsis voluptatibus causæ doloris oriuntur. Bellum in media pace consurgit, et auxilia securitatis in metum transeunt; ex amico inimicus, hostis ex socio. In subitas tempestates, hibernisque majores, agitur æstiva tranquillitas. Sine hoste patimur hostilia; et cladis causas, si alia deficiunt, nimia sibi felicitas invenit. Invadit temperantissimos morbus, validissimos phthisis, innocentissimos pœna, secretissimos tumultus.
6 Eligit aliquid novi casus[3], per quod velut oblitis vires suas ingerat. Quidquid longa series[4] multis laboribus, multa Deum indulgentia, struxit, id unus dies spargit ac dissipat. Longam moram[5] dedit malis properantibus, qui diem dixit[6]: hora, momentumque temporis, ever-

1. *Quod non fortuna.* Sæpius Noster eadem habet, e. c. de Tranq. an. 10, 2; 11, 4: et quis non? *Ruhk.*

2. *Ex florentissimo.* Sic omnes Gruteri codices et editio vetus. Antea *et florent. Ruhk.*

3. *Eligit aliquid novi casus.* In illa Lugdunensi calamitate.

4. *Quidquid longa series.* Scil. temporis. De tempore simpliciter vox *series* ævo Senecæ usurpari cœpta: quem morem etiam postea, v. c. ap. Ausonium nondum obliteratum videmus. *Ruhk.*

5. *Longam moram... suffecere.* Est Euripides, in cujus Phœnissis 561 nunc legitur: ὁ δ' ὄλβος οὐ βέβαιος, ἀλλ' ἐφήμερος: et in fragm. ex ej. Inone, dramate nunc deperdito: ἃς μακρὰ τὰ σφάλλοντα, καὶ μί' ἡμέρα Τὰ μὲν καθεῖλεν ὑψόθεν, τὰ δ' ἦρ' ἄνω. Ὁρᾷς τυράννους διὰ μακρῶν πύξημένους. (Vides tyrannos, longo tempore potentiam adeptos, quam parva labefactent, et una dies hunc ab alto dejecit, illum evexit.) In quibus versibus Demetrius Phalereus, quem sequitur Seneca, observavit, præstare, si non unam diem, sed punctum temporis dixisset Euripides, ap. Plutarch. Consol. ad Apollon. Vol. VII p. 323 Hutt. Cf. Valcken. ad Eurip. Phœn. p. 211; et Diatrib. p. 177. *Ruhk.*

6. *Qui diem dixit: hora, momentumque temporis, evertendis imperiis suffecere.* Ex Gruteri emenda-

Digitized by Google

tendis imperiis suffecere! Esset aliquod imbecillitatis nostræ solatium rerumque nostrarum, si tam tarde perirent cuncta[1], quam fiunt; nunc incrementa lente exeunt, festinatur in damnum. Nihil privatim, nihil publice sta- 7
bile est; tam hominum, quam urbium, fata volvuntur. Inter placidissima terror exsistit; nihilque extra tumultuantibus causis[2], mala, unde minime exspectabantur, erumpunt. Quæ domesticis bellis steterant regna, quæ externis, impellente nullo ruunt. Quotaquæque felicitatem civitas pertulit?

Cogitanda ergo sunt omnia, et animus adversus ea, quæ possunt evenire, firmandus. Exsilia, tormenta, 8
bella, morbos, naufragia meditare[3]! Potest te patriæ, potest patriam tibi casus eripere; potest te in solitudinem abjicere; potest hoc ipsum, in quo turba suffocatur, fieri solitudo. Tota ante oculos sortis humanæ conditio ponatur; nec, quantum frequenter evenit, sed quantum plurimum potest evenire, præsumamus animo, si nolumus opprimi, nec ullis inusitatis velut novis obstupefieri. In plenum cogitanda fortuna est: quoties 9
Asiæ[4], quoties Achaiæ urbes uno tremore ceciderunt?

tione: Lipsius cum Gronov. probat. Antea: *horum m. suff. Ruhk.*

1. *Si tam tarde perirent cuncta, quam fiunt.* Gruterus, Lipsius et Gron. e codd. nonnullis receperunt: aliis alia præbentibus, ut in sententiis fit, quæ a sciolis et librariis sæpe mutari, augeri, depravari solent. *R.*

2. *Nihilque extra tumultuantibus causis.* Int. et quum nullæ externæ causæ tumultum denuntient.

3. *Exsilia.... meditare.* Eamdem præceptionem noster *Molière* egregie tractavit, *Fourberies de Scapin, acte* II, *scène* VIII: *La vie est mêlée de traverses; il est bon de s'y tenir sans cesse préparé: et j'ai oui dire, il y a long-temps, une parole d'un ancien, que j'ai toujours retenue. —Quoi?—Que, pourpeu qu'un père de famille ait été absent de chez lui, il doit promener son esprit sur tous les fâcheux accidens que son retour peut rencontrer; se figurer sa maison brûlée, son argent dérobé, sa femme morte, son fils estropié, sa fille subornée; et tout ce qu'il trouve qui ne lui est point arrivé, l'imputer à bonne fortune.*

4. *Quoties Asiæ.* De his calami-

Digitized by Google

quot oppida in Syria? quot in Macedonia devorata sunt? Cyprum quoties vastavit hæc clades? quoties in se Paphus corruit? Frequenter nobis nuntiati[1] sunt totarum urbium interitus; et nos, inter quos frequenter ista nuntiantur, quota pars omnium sumus? Consurgamus itaque adversus fortuita; et, quidquid inciderit, sciamus non esse tam magnum, quam rumore jactetur. Civitas[2] arsit
10 opulenta, ornamentumque provinciarum, quibus et inserta erat, et excepta; uni tantum[3] imposita, et huic non altissimo, monti. Omnium istarum civitatum, quas nunc magnificas ac nobiles audis, vestigia quoque tempus eradet. Non vides[4], quemadmodum in Achaia clarissimarum urbium jam fundamenta consumpta sint, nec quidquam exstet, ex quo appareat illas saltem fuisse? Non tantum manu facta labuntur; non tantum humana arte atque industria posita vertit dies: juga montium dif-
11 fluunt; totæ desedere regiones; operta sunt fluctibus,

tatibus cf. Senec. Nat. Quæst. VI, 1 et Geographi, imprimis Mannertus, quocum conferri meretur *Villoison*, Prolegom. Homer. *Ruhk.*

1. *Frequenter nobis nuntiati.... interitus.* Interpretatione vocem *interitus* mitiges, ne sibi ipse adversetur Seneca. Cf. § 1, 2. *Ruhk.*

2. *Civitas... monti.* Erat quidem *Lugdunum* urbs opulenta et ornamentum provinciarum Galliæ, quibus loco et positu *inserta* erat, i. annumerabatur, sed conditione excepta, quum colonia juris romani (cf. *Laccary* Histor. Colon. p. 192) facta esset, ideoque multo præstantior ejus conditio quam status urbium provincialium. Cf. Heineccii antiquit. rom. syntagma, p. 365 sq. 391 sqq. ed. IV. Multas familias romanas habebat Lugdunum. Cf. P. de Marca de primatu Lug. Vienna erat juris italici colonia. Ambitus tamen Lugduni non ita magnus erat, et unum tantum montem occupabat. Nunc tamen quum ambitus ejus multo amplior est, tum plures montes s. clivos tenet, ut secunda post Parisios urbs Regni gallici habeatur, et sit. Conf. *Busching* III, p. 807. ed. VIII. *Ruhk.*

3. *Uni tantum... monti.* Sic ed. Ruhk. ex Pal. 3. et 4. Alii libri omnes vulgatum olim *tamen* tenent, quod restitutum velim. *Schw.*

4. *Non vides, quemadmodum.... fuisse.* Imprimis Helice et Buris, quæ terræ motu demergebantur. Cf. Ovid. Met. XV, 293; Senec. Q. Natur. VI., 1 fin. 23, 25, 32. Si tamen Scrofani, qui nuper illas regiones adiit, itinerario fides haberi possit, Helices mersæ urbis interdum et mu-

Digitized by Google

quæ procul a conspectu maris stabant; vastavit[1] ignis colles per quos relucebat, erosit et quondam altissimos vertices, solatia navigantium[2]; ac speculas ad humile deduxit. Ipsius naturæ opera vexantur, et ideo æquo animo ferre debemus urbium excidia. Casura exstant[3]; omnes hic exitus manet : sive interna vis[4], flatusque præclusi violentia, pondus, sub quo tenentur, excusserint; sive torrentium in abdito vastior[5] obstantia effregerit; sive flammarum violentia compaginem soli ruperit; sive vetus- 12
tas, a qua nihil[6] tutum est, expugnaverit minutatim; sive gravitas cæli ejecerit[7] populos, et situs deserta cor-

ri, domus ac templa hodieque æque ac Ovidii tempore conspiciuntur. *R.*

1. *Vastavit... relucebat* (sic Schw. vulgo *eluceb.*) Vertit *Lagrange : Le feu a ravagé entièrement des collines dont il annonçait autrefois les habitations dispersées.* Videtur enim Seneca contulisse incendium ingens quo omnes collis domus vorantur, cum spectaculo ignium vespere ex intervallo in colle relucentium.

2. *Solatia navigantium; ac speculas ad humile deduxit.* Rectius sic distinguetur oratio, *solatia navigantium ac speculas, ad* etc. Vulgo *ad humilem arenam deduxit*, inde ab ed. Ven. et sic ms. Pal. 2. Col. et Lipsii codex : sed nude *ad humile deduxit* ed. *R.* et *A.* cum ms. Pal. 4, quod et Pincianus laudaverat. Casu factum arbitror, ut *ad humilem* scriberetur in nonnullis, ut in Arg. *a. c.* et Pal. 1. 3. unde *tumulum* legendum suspicatus est Grut. Alii *arenam* adjecerunt, quod in ms. *a.* adlevit recentissima manus. *Schw.*

3. *Casura exstant; omnes* (intell. urbes) *hic exitus manet.* Sic plane et commodissime ms. *a.* nec multum abeunt *A.* et *c.* Vulgo, *Casura omnia exstant; omnibus exitus manet. S.*

4. *Interna vis, flatusque præclusi violentia.* Tenui hoc a doctissimo Matth. ex conject. editum : nec male vero Ruhkopfius, *interna vis, flatusque præclusi ac violenti.* Vulgo olim, *interna vi flatuque præclusa violenti.* Sed *vis flatusque* habet ms. *a.* cum Pinc. tenet autem *præclusa violenti. Schw.*—Alias addit variantes Ruhkopfius : Plurimi codd. *interna vis flatusque præclusa violenti*, unde Pinc. emend. *præclusi.* Lipsius probabat, et *violente* adjiciebat. Hinc feci : *præclusi ac violenti.* Muretus habet *interna vi flatuque præclusi venti. R.*

5. *Torrentium in abdito vastior.* Sic *a. c. R. A.* Ubi ex præcedd. et seqq. facile *violentia* subintelligebatur. Nec vero displicet *vastorum*, quod in suorum nonnullis repererat Pincianus. *Vis vastior* edidit Ruhk. e mss. tis, ut ait; quos quidem nec ipse nominavit, nec nos, ullos novimus. Nude *vis* posuit Matth. omissa voce *vastior*, quam libri tamen omnes agnoscunt. *Schw.*

6. *A qua nihil*, etc. Sic vulgo. Schw. dat *in qua*, cum *a. c. R. A.*

7. *Ejecerit.* Ex Mureti conj. pri-

Digitized by Google

ruperit. Enumerare omnes fatorum vias, longum est. Hoc unum scio : omnia mortalium opera mortalitate damnata sunt; inter peritura vivimus.

13 Hæc ergo [1] atque ejusmodi solatia admoveo Liberali nostro, incredibili quodam patriæ suæ amore flagranti; quæ fortasse consumpta est, ut in melius excitaretur. Sæpe majori fortunæ locum fecit injuria; multa ceciderunt, ut altius surgerent, et in majus[2]. Timagenes[3], felicitati Urbis inimicus, aiebat, Romæ sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quod sciret meliora resurrectura, quam arsissent. In hac quoque urbe verisimile est certaturos omnes esse, ut majora certioraque, quam amisere, restituant.

mus recepit Lipsius, dein ed. Bipont. et Ruhk. Et ego hoc præferendum judicavi vulgato olim *egesserit*, quod quidem veteres libri dabant, et tacite revocaverat Gron. Sæpe homines isti, quorum manibus olim exempla harum Epistolarum multiplicata sunt, dictantis vocem minus recte accipientes, literam *g* et *j*, item *c* et *s*, vel *ss*, inter se permutarunt. Sic pro eodem verbo *ejecit*, Ep. XXIV, quod recte ibi noster cod Arg. *b*. tenuit, *ejessit* scribitur in ed. *A*. et novo accedente errore *egesserit* in ms. *c*. quomodo hic *egresserit* scribitur in vetusto nostro ms. *a* Obiter hic observemus, e vetustissimis msstis, atque etiam e codicibus multo vetustioribus quam his, qui ad ætatem nostram pervenerunt, propagatos esse illos errores, qui e male accepta dictantis voce nati sunt. Tum, quod ad nostrum ms. *a*. spectat, illud moneo, quod in Præf. monere oblitus sum, codicem hunc, vetustate quidem præstantem aliis omnibus, ab eo homine esse exaratum, qui eorum quæ scriberet nihil intellexerat; ita imperite frequenter verba (quæ in exemplari, quod ante oculos habuerat, nullis interstitiis distincta fuerant) vel jungit vel disjungit, multaque alia verborum et orationis monstra ostendit ex inscitia prognata. Contra, idem codex multo rariores, quam alii libri, interpolationes habet; nihil ex scribæ ingenio mutatum; plurimas autem verissimas lectiones ex vetustiore exemplari propagatas, ubi corrupti sunt recentiores libri. *Schw.*

1. *Hæc ergo*. Sic cum Grutero et edd. rescripsi. Antea, *hæc ego*. *R.*

2. *Ut altius surgerent, et in majus*. Cæterum mox Lugdunum ita surrexit, ut vix novem annis a clade elapsis pro Vitellio contra Galbam steterit, Tacito Hist. I, 51, 65, narrante. *Ruhk.*

3. *Timagenes*. Nic. Faber sic emend. optime lect. codd. *ymagines*, *imagines*.—Timagenes ille, ait *Lagrange* in notis, vixit ætate Augusti. Seneca pater sic hominem descripsit : « Asinius Pollio sæpe solebat apud Cæsarem cum Timagene confligere, homine acidæ linguæ, et qui nimis liber erat;

Digitized by Google

Sint utinam diuturna, et melioribus auspiciis in ævum 14
longius condita! Nam huic coloniæ ab origine sua centesimus annus est, ætas ne homini quidem extrema. A Planco[1] deducta, in hanc frequentiam, loci opportunitate, convaluit; quæ tamen gravissimos casus intra spatium humanæ pertulit senectutis.

Itaque formetur animus ad intellectum patientiamque
sortis suæ, et sciat nihil inausum esse fortunæ; adversus 15
imperia illam idem habere juris, quod adversus imperantes; adversus urbes idem posse, quod adversus homines. Nihil horum indignandum est: in eum intravimus mundum, in quo his legibus vivitur. Placet? pare! non placet? quacumque vis, exi! Indignare, si quid in te iniqui proprie constitutum est: sed si hæc summos imosque necessitas alligat, in gratiam cum fato revertere, a quo omnia
resolvuntur. Non est quod nos tumulis metiaris, et his 16
monumentis[2], quæ viam disparia prætexunt; æquat omnes cinis: impares nascimur, pares morimur. Idem de ur-

puto quia diu non fuerat. Ex captivo cequus, ex coquo lecticarius, ex lecticario usque ad amicitiam Cæsaris felix, usque eo utramque fortunam contempsit, et in qua erat, et in qua fuerat, ut quum illi multis de causis iratus Cæsar interdixisset domo, comburet historias rerum ab illo gestarum; quasi et ipse illi ingenio suo interdiceret, disertus homo et dicax, a quo multa improbe, sed venuste dicta. » Controvers. lib. V. Controv. 34, circa fin. pag. 392. Tom. III. edit. varior. — De hoc Timagene, conf. ad III de Ira 23, 3. sqq. not. Non hic Timagenes idem fuisse videtur ac ille, quem Quintil. Inst. or. X, 1, 75 post Clitarchum recenset, et ex quo I, 10, 10 quædam affert, sed rhetor et historicus ejusdem ætatis, Alexandria ortus. *Ruhk.*

1. *A Planco.* A Lucio Planco deductos Viennenses, qui ab Allobrogibus ad Rhodani et Araris confluentiam consederant, a. U. c. 711 narrat Dio Cass. 46, 50. Nero Lugdunum hanc cladem passum adjuvit quadragies sestertio, circiter 815,166 fr. nostræ monetæ. Conf. Tacit. Ann. lib. XVI, cap. 13. *Ruhk.*

2. *Non est quod nos tumulis metiaris, et his monumentis.* Spectant hæc ad sepulcra, ideoque ad monumenta cum inscriptionibus juxta viam publicam erecta, et pro cujusque fortuna magna, parva, atque adeo disparia. Nunc pares sunt omnes, quorum disparia sepulcra. *Ruhk.*

Digitized by Google

bibus, quod de urbium incolis dico; tam Ardea[1] capta, quam Roma est. Conditor ille juris humani non natalibus nos, nec nominum claritate, distinxit, nisi dum sumus. Ubi vero ad finem mortalium ventum est : « Discede, inquit, ambitio! omnium, quæ terram premunt, siremps
17 lex esto[2].» Ad omnia patienda pares sumus : nemo altero fragilior est, nemo in crastinum sui certior. [3]Alexander Macedonum rex discere geometriam cœperat; infelix! sciturus quam pusilla terra esset, ex qua minimum occupaverat : ita dico, *infelix*, ob hoc, quod intelligere debebat falsum se gerere cognomen; quis enim esse magnus in pusillo potest? Erant illa quæ tradebantur, subtilia, et diligenti intentione discenda : non quæ percipere posset vesanus homo, et trans oceanum cogitationes suas mittens.

18 « Facilia, inquit, me doce! » — Cui præceptor : « Ista, inquit, omnibus eadem sunt, æque difficilia. » — Hoc puta rerum Naturam dicere : « Ista, de quibus quereris, omnibus eadem sunt; nulli dari faciliora possunt : sed, quisquis volet, sibi ipsi illa reddet faciliora. » Quomodo? Æquanimitate. Et doleas oportet, et sitias, et

1. *Ardea.* Pusilla urbs, comparata cum Roma, cui erat vicina. Cf. Liv. 1, 57. Virg. Æn. VII, 412 not. *R.*

2. *Siremps lex esto.* Ex em. Mureti. In libris erat: *Sere miles esto.* Vulgaverant: *similes esto* vel *servus miles e. Ruhk.*—*Siremps* vetus verbum in legibus senatusque consultis usitatum : est autem idem, ac si diceret similis lex omnibus posita esto. Hanc emendationem debemus summo Jacobo Cujacio. *Muretus.*

3. *Alexander.* Quæ de Alexandro M. hic narrantur, nullo historiæ testimonio subnixa sunt, sed petita e declamationibus, quibus hoc propositum erat, libertate sublata, ut fictis argumentis in suasoriis, controversiis etc. uterentur ad eloquentiam umbratilem excolendam, docendam, discendam. Verum est, Alexandrum puerum, non regem, magistro Aristotele Geometriam didicisse, et Persis postea devictis cupidum fuisse visendi Oceanum. Reliqua ad Alexandrum deprimendum declamatores mentiti sunt, quos noster nullo judicio critico usus h. l. et alias secutus est, et Juvenal. X, 168 : «Unus Pellæo juveni non suf-

Digitized by Google

esurias, et senescas, si tibi longior[1] contigerit inter homines mora, et ægrotes, et perdas aliquid, et pereas. Non est tamen quod istis, qui te circumstrepunt[2], credas; nihil horum malum est, nihil intolerabile, aut durum. Ex consensu istis metus est : sic mortem times, 19
quomodo famam. Quid autem stultius homine verba metuente? Eleganter Demetrius[3] noster solet dicere, « eodem loco sibi esse voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus. Quid enim, inquit, mea refert, sursum isti an deorsum sonent? » — Quanta dementia est, vereri ne infameris ab infamibus? Quemadmodum famam extimuistis sine causa, sic et illa, quæ nunquam timeretis, nisi fama jussisset. Num quid detrimenti faceret vir bonus 20
iniquis rumoribus sparsus? Ne morti quidem hoc[4] apud nos noceat : et hæc malam auditionem habet[5]. Nemo

ficit orbis » etc. Cf. Jo. Schulting. ad M. Senecæ Suasor. 1. *Ruhk.*

1. *Si tibi longior.* Recte ms. *a.* Alii vulgo *et*, *si tibi* etc. *Schw.*

2. *Qui te circumstrepunt.* Perperam *quæ te circumstrepunt* ed. Lips. et seqq. invitis mstis. *Schw.*

3. *Demetrius.* De Demetrio cynico, amico Senecæ, cf. ad III, 3 de Providentia. Cæterum simile facete dictum Butleri, Angli, auctoris carminis epici Hudibras, ejusdem fere argumenti notum est. *Ruhk.*

4. *Ne morti quidem hoc... noceat.* Hoc, scilicet iniqui rumores ne morti quidem noceant : ne moveamur calumniis hominum de illa.

5. *Malam auditionem habet.* Vulgo *malam molitionem*, quod nulla emendatione indigere existimavit Ruhk. Ego, nisi probabilius aliquid occurrisset, Gronovium probassem, *opinionem* corrigentem. Sed, in *malam olitionem*, quod ms. *a.* dabat, persuasum habui latere id quod dedi, *malam auditionem habet*, i. e. male audit, malam famam habet. *S.* — *Molitionem* sic defendit Ruhk. « Hanc antiquam lectionem fuisse, docent codd. mss.; veram esse, monstrat nexus : noli credere nec iniquis rumoribus atque iis deprimi, nec angi iis, quæ de morte narrantur. *Nec morti... habet* : i. e. nec morti hæc fama de ea speciem horribilem circumdet : uti illa fama in bono viro aspergendo, ita in morte accusanda successu bono destituatur : *molitio* enim est machinatio, Nat. Qu. III, 30 init. *Hæc* fama *malam* i. malignam, nobis terrorem incutientem, *molitionem*, i. conatum habet. Quæ si vera sint, Gronovii emendatione : *malam opinionem* non indigemus. » Quæ interpretatio ipsa re non minus obscura nobis videtur.

Digitized by Google

eorum, qui illam accusant, expertus est : interim temeritas est, damnare quod nescias. At illud scis, quam multis utilis sit, quam multos liberet tormentis, egestate, querelis, suppliciis, tædio. Non sumus in ullius potestate, quum mors in nostra potestate sit. Vale.

EPISTOLA XCII.

IN EPICUREOS INVEHITUR : NIHIL VOLUPTATEM AD BEATITUDINEM CONFERRE.

Quum amicum sibi convenire dicat in eo, ut corpus animi causa adsit cique serviat, sequatur necesse est, beatam vitam in hoc uno positam esse, ut in nobis ratio perfecta sit, qua una id quod honestum est, et beata vita paratur, omni auxilio externo, omni fortuito, omni irrationali, excluso. Ita animus sapientis viri exoritur talis, qualis Deum decet, sola honestate contentus. Proinde ἡσυχία admittitur, voluptas non item : quidquid contra dicant Epicurei, quoniam virtus et voluptas sibi adversantur. Attamen bono judicio ea, quæ ad voluptatem spectant, ut bona valetudo, quies et dolorum vacatio, eligi debent et possunt, quia secundum naturam sunt, etsi bona non sunt. Non in re bonum est, sed in electione : qua in re similis est vestis, quæ corpus velat, corpori, quod animi velamentum est. Concedenti, virtutem qui habeat miserum esse non posse, beatissimum non esse posse qui naturalibus bonis destituatur, respondet, hoc discrimen statui non posse, quum commoda et incommoda extra nos, imprimis virum bonum, sint; quæ itaque sive adsint, sive absint, non impedirent, quominus beatus et beatissimus fiat. Obstare quidem possunt incommoda virtuti, uti quædam soli quoque obstant, sed non minus illam impediunt, quam illum. Falsus itaque est, qui sapientem parum prospero corpore usum nec miserum esse, nec beatum dicat; ideoque in medio constitutum. Nec in beatitatem tempus aliquid potest : non intenditur virtus, ergo ne beata quidem vita, quæ ex virtute est. Non quo longior, sed quo melior et honestior vita sit, quæri debet. Non solum Diis virtus et beata vita contingit, sed nobis quoque contingere potest : atque ideo ad similitudinem Deorum accedere debemus, quorum socii et membra sumus.

Conferas Senecæ libellum De Vita Beata.

Digitized by Google

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Puto, inter me teque conveniet, externa corpori[1] acquiri, corpus in honorem animi coli; in animo esse partes ministras[2], per quas movemur alimurque, propter ipsum principale nobis datas. In hoc principali est aliquid irrationale, est et rationale. Illud huic servit; hoc unum est, quod alio non refertur, sed omnia ad se perfert. Nam illa quoque divina ratio[3] omnibus præposita est, ipsa sub nullo est; et hæc autem nostra eadem est, quæ ex illa[4] est. Si de hoc inter nos convenit, sequitur ut de 2
illo quoque conveniat, in hoc uno positam esse beatam vitam, ut in nobis ratio perfecta sit. Hæc enim sola non submittit animum; stat contra fortunam; in quolibet rerum habitu securos servat[5]. Id autem unum bonum est, quod nunquam defringitur. Is est, inquam, beatus, quem nulla res minorem facit; tenet summa, et ne ulli quidem, nisi sibi, est innixus: nam qui aliquo auxilio 3
sustinetur, potest cadere. Si aliter est, incipient multum

1. *Externa corpori.* In usum corporis omnia, quæ fortuita sunt, v. c. valetudo, opes, τὰ οὐκ ἐφ' ἡμῖν, non nostra, aliena, acquiri. *Ruhk.*

2. *Partes ministras.* I. quæ famulentur, ancillenturque rationi, sensus quinque, s. externus, quem vocamus, sensus, facultas loquendi quærendique, atque *principale*, τὸ ἡγεμονικὸν (sensus internus), quod dividitur, in partem *rationalem* i. facultatem cogitandi et colligendi, et in partem *irrationalem*, quæ in affectibus et concupiscentia posita est. Ita Jo. Stobæus Eclog. P. I. Tom. II. p. 878 Heer. Cf. Lipsii Physiol. stoic. III, c. 17 sqq. Attigit et Tiedemann Syst. II. p. 159 sq. *Ruhk.*

3. *Nam illa... ratio... quæ ex illa est.* Int. nam sicut divina ratio qua mundus regitur nulli subjecta est; sic ratio nostra, quæ originem ab illa divina trahit, se habet.

4. *Quæ ex illa.* Sic *a. c. R. A.* Vulgo *quia ex illa. Schw.*

5. *Securos servat.* Unice probavi hoc, quod servatum in cod. Pal. 4. Vulgo olim *servata servat* ex Erasmi ing. quum varie aberrassent veteres libri, *servatus servat*, *servitus servit*, *servitus servat*, quod postremum habet ms. *a.* cum Pal. 1 et 3. *Se virtus servat* ora Col. quod adoptavit Ruhk. *Schw.*— Gronov. emend. *in quolibet rerum habitu se rectam servat*, h. e. et integram et nesciam flecti. Equidem expectabam h. l. libertatis mentionem. *Ruhk.*

Digitized by Google

in nobis valere non nostra. Quis autem vult constare fortuna [1], aut quis se prudens ob aliena miratur? Quid est beata vita [2]? securitas et perpetua tranquillitas. Hanc dabit animi magnitudo; dabit constantia bene judicati tenax. Ad hæc quomodo pervenitur? si veritas [3] tota perspecta est; si servatus est in rebus agendis ordo, modus, decor [4], innoxia voluntas ac benigna, intenta rationi, nec unquam ab illa recedens, amabilis simul, mirabi-
4 lisque. Denique, ut breviter tibi formulam scribam, talis animus esse sapientis viri debet, qualis Deum deceat. Quid potest desiderare is, cui omnia honesta contingunt? Nam si possunt aliquid non honesta [5] conferre ad optimum statum, in his erit beata vita sine quibus non [6] est. Et quid stultius, turpiusve, quam bonum rationalis animi ex irrationalibus nectere!

Quidam tamen augeri summum bonum judicant, quia
5 parum plenum sit, fortuitis [7] repugnantibus. [8] Antipater

1. *Quis autem vult constare fortuna?* I. dependere ab externis fortuitisque. *Ruhk.*

2. *Quid est vita beata... Deum deceat.* Similia sæpe inculcant noster et reliqui Stoici. Cf. Senec. de Constant. Sap. c. 8; Tiedem. III, p. 270 sq. *R.*

3. *Veritas*, ἀλήθεια. Ep. LXXIV, 28: « Beatum sine scientia divinorum humanorumque non potest effici. » Cf. M. Antonin. II, 16; III, 6; V, 9. *R.*

4. *Decor*, κοσμότης, i. scientia honestarum et turpium motionum. Stob. II, 7 p. 106. Spectant hæc ad prudentiam, temperantiam rel. Est itaque τὸ καλὸν (Ep. LXVI, 16), naturæ atque dignitati hominis conveniens. Diog. Laert. VII, 101. *Ruhk.*

5. *Non honesta*, ἀδιάφορα, e. c. vita, opes, pulchritudo, nobilitas rel. Cf. Ep. LXVI, LXVII, 5. LXXIV, 1, etc. Tiedemann. III, p. 106 sq. *R.*

6. *Sine quibus non est. Cum quibus non est* ed. Ruhk. e Gronovii membr. invitis aliis omnibus. *Schw.* — Sensus est: si admitteretur *non honesta* ad optimum statum conferre, dicendum esset beatam vitam in his esse, ex his constare, sine quibus (admissa hypothesi) non esse posset, nempe ex *non honestis*; sed quid stultius, etc. Locum parum intellexisse videtur *Lagrange*, qui: *Si d'autres objets que la vertu contribuaient au bonheur, ils en seraient les élémens: il ne pourrait subsister sans eux. Eh! quoi de plus insensé*, etc.

7. *Parum plenum sit, fortuitis repugnantibus.* Int. quum quæcumque ex fortuna pendent, repugnent, obstent, quominus plenum sit.

8. *Antipater.* Cf. ad Ep. LXXXVII,

Digitized by Google

quoque, inter magnos sectæ hujus auctores, « aliquid se tribuere dixit externis, sed exiguum admodum. » Vides autem quale sit, die non esse contentum, nisi aliquis igniculus alluxerit? Quod potest in hac claritate solis habere scintilla momentum? Si non es sola honestate contentus, necesse est aut quietem adjici velis, quam ἀοχλησίαν [1] vocant Græci, aut voluptatem. Horum alterum utcumque recipi potest; vacat enim animus molestiâ, liber ad inspectum [2] universi, nihilque illum avocat a contemplatione naturæ : alterum illud, voluptas, bonum pecoris est. Adjicimus rationali irrationale, honesto inhonestum. [Magnam voluptatem [3]] facit titillatio corporis : quid ergo dubitatis dicere, bene esse homini, si palato bene est? Et hunc tu, non dico inter viros numeras, sed inter homines, cujus summum bonum saporibus, et coloribus, et sonis constat? Excedat ex hoc animalium numero pulcherrimo, ac Diis secundo [4]; mutis aggrego- 6 7

34, ubi Antipater vel non clare opinionem suam diversam exprompsit; nam discessit a veteribus, qui omnino sine externis vitam beatam constare dicebant; vel noster ejus scripta nonnisi ex aliorum auctorum mentione cognoverat. *Ruhk.*

1. Ἀοχλησίαν. Sic satis perspicue (sola terminatione excepta) ms. *a.* idque ipsum haud obscure debuerat ms. *c.* Vocab. miris modis ab aliis deformatum, aut ex conject. correctum, ut πανσωλὴν ab Erasm. ἡσυχίαν a Mur. Sonat autem ἀοχλησία latine *vacuitatem molestiarum*, ut mox ipse Seneca interpretatur. Græcum vocab. habes etiam apud Sextum Empir. Pyrrh. I, 10. *Schw.*

2. *Inspectum.* Dedere mss. *a. c.* et ed. *A.* Vulgo *conspectum. Schw.*

3. [*Magnam voluptatem*] *facit titillatio corporis.* Verbis ex conject. correctis uncos circumdedi. *Magnam vitam facit* vulgo, ex Mureti emend. *Magno vitam facit* edd. vett. et ms. *c. Magne vitam facit* ms. *a.* Equidem non dubito, *vitam* ex vocabulo *voluptatem* compendiose scripto originem traxisse. Tum vero, ut ad vocem *magno* intercidisse *pusillum* conjectaverat Erasmus, sic ego suspicatus sum in hunc fere modum scripsisse Senecam, *honestum inhonesto*, *magno vile. Voluptatem facit* etc. *S.* — Epicureos tangit, quos in propria felicitate promovenda atque evehenda virtutem ideoque vitam beatam posuisse constat. Cf. de Vita Beata 5, 4. *Ruhk.*

4. *Ac Diis secundo.* Imo, *a Diis secundo;* sicut dicimus *secundus a rege*, et similia. *Schw.*

Digitized by Google

tur, animal pabulo lætum [1] ! Irrationalis pars animi [2] duas habet partes : alteram animosam, ambitiosam, impotentem, positam in affectionibus; alteram humilem, languidam, voluptatibus deditam. Illam effrænatam, meliorem tamen, certe fortiorem ac digniorem viro, [3] reliquerunt; hanc necessariam beatæ vitæ putaverunt, innervem [4] et
8 abjectam. Huic rationem servire [5] jusserunt, et fecerunt animalis generosissimi bonum, demissum et ignobile; præterea mixtum, portentosumque, et ex diversis ac male congruentibus [6] membris. Nam, ut ait Virgilius noster, in *Scylla*,

> Prima hominis facies, et pulchro pectore virgo
> Pube tenus; postrema immani corpore pistrix,
> Delphinum caudas utero commissa luporum [7].

Huic tamen Scyllæ fera animalia juncta sunt, horrenda, velocia [8] : at isti Sapientiam ex quibusnam composuere
9 portentis? « Prima hominis pars est ipsa virtus : huic

1. *Pabulo lætum*. Sic omnes mss. Ante Gronov. *pabulo natum*. *Ruhk*.

2. *Irrationalis pars animi... deditam*. Altera est affectionibus dedita, τὸ θυμικὸν, irascens, animosum illud et irritabile; aliter, τὸ παθητικόν : altera est concupiscens, τὸ ἐπιθυμητικόν. Cf. ad §. 1. *Ruhk*.

3. *Reliquerunt*. Qui? nempe Epicurei : et de iis loquitur. Illi, inquit, relicto τῷ θυμοειδεῖ, solum ἐπιθυμητικὸν sunt secuti. *Lips*.

4. *Innervem*. Vulgo *enervem*. *S*.

5. *Huic rationem servire...membris*. Objectio, quam Seneca Epicureis facit, a Kantio probatur in *Critik der prakt. Vernunft* p. 201 sq. ed. II. *R*.

6. *Ac male congruentibus*. Ex conject. correxi. Olim *animalium congruentibus* ex Erasmi conject. *Animalis congr*. mss. *a*. et *c*. *Animalibus congr*. editt. *R*. *A*. *Animalium incongr*. ed. Matt. *Schw*. — Ruhk. edidit *animalis non congr*. Mss. omnes, inquit, *animalis : non* inserui sententia poscente : nam mirum portentosumque est, diversa animalium membra tamen congruere. Gronov. emend. vel, *ex diversis uni discongruentibus membris*, vel, *ex diverso animali congr*. i. e. ei quod homini diversum vel oppositum est, nempe muto et irrationali. *Ruhk*.

7. *In Scylla...luporum*. Virgilii versus exstant in Æn. III, 426 sqq. *In Scylla* i. in loco de Scylla, aut potius jungenda sunt *in Scylla Prima h. f.*, judice Heynio Procem. in Cirin. *R*.

8. *Velocia*. *Volatilia* habet sola ed. *A*. *Ferocia* suspicatus eram; sed *veloci* opponi potuit *iners* quod infra. *Schw*.

Digitized by Google

committitur inutilis[1] caro, et fluida, et receptandis tantum cibis habilis, » ut ait Posidonius. Virtus illa divina in lubricum desinit[2], et superioribus partibus venerandis atque cælestibus animal iners ac marcidum attexitur. Illa, utcumque alta, quies[3] nihil quidem ipsa præstabat animo, sed impedimenta removebat; voluptas ultro dissolvit, et omne robur emollit. Quæ invenietur tam discors inter se junctura corporum? Fortissimæ rei inertis- 10
sima adstruitur; severissimæ parum seria; sanctissimæ intemperans usque ad incesta[4].

Quid ergo, inquit[5], si virtutem nihil impeditura sit bona valetudo, et quies, et dolorum vacatio; non petes illas[6]? — Quidni petam? non quia bona sunt, sed quia secundum naturam sunt, et quia bono a me judicio sumentur[7]. Quod erit tunc in illis bonum? hoc unum, bene eligi. Nam quum vestem, qualem decet, sumo, 11
quum ambulo ut oportet, quum cœno quemadmodum debeo; non cœna, aut ambulatio, aut vestis bona sunt, sed meum in his propositum, servantis[8] in quaque re rationi convenientem modum. Etiam nunc adjiciam: mundæ vestis electio appetenda est homini; natura enim homo

1. *Inutilis.* Sic dedit Erasmus et mss. Gruteri; Muretus dederat *futilis. Ruhk.*

2. *In lubricum desinit.* Horatius Art. Poet. initio: « Desinit in piscem mulier formosa superne. »

3. *Illa, utcumque alta, quies.* De qua vid. § 6, 7.

4. *Usque ad incesta.* Quod mss. et editio vetus male præbent *u. a. ingesta.* Erasm. et Muret.: *ad indigesta. Ruhk.*

5. *Quid ergo? inquit.* Epicureus. Sermo est de adiaphoris s. mediis, quæ bona fiunt electione, mala autem rejectione nostra. Confer. Epist. LXVI, 4. et Argumentum illi epistolæ præfixum. *Ruhk.*

6. *Illas*, non *illa*, *a. c. R. A. S.*

7. *Sumentur.* Sic *a. c. A.* Vulgo *sumuntur. Schw.* — Hoc stoicum, in adiaphoris, sive mediis *eligere* et *sumere* quæ sunt secundum naturam. Ipsa bona non sunt; sed judicium tale bonum. Nos in Manud. lib. II, Dissert. XXIII. *Lips.*

8. *Servantis.* Sic omnes mss. palat. et Gronov. etc. Genitivum e pronom. possessivo oriri nunc satis nota res est. Antea: *servandi. Ruhk.*

Digitized by Google

12 mundum et elegans animal est. Itaque non est bonum per se munda vestis, sed mundæ vestis electio; quia non in re bonum est, sed in electione, qua [1] actiones nostræ honestæ sunt, non ipsa quæ aguntur. Quod de veste dixi, idem me dicere de corpore existima. Nam hoc quoque natura, ut quamdam vestem, animo circumdedit; velamentum ejus est. Quis autem unquam vestimenta æstimavit arcula [2]? Nec bonum, nec malum vagina gladium
13 fecit [3]. Ergo de corpore quoque idem tibi respondeo; sumpturum quidem me, si detur electio, et sanitatem et vires; bonum autem futurum judicium de illis meum, non ipsa.

« Est quidem, inquit [4], Sapiens beatus; summum tamen illud bonum non consequitur [5], nisi illi et naturalia instrumenta respondeant. Ita miser quidem esse, qui Virtutem habet, non potest: beatissimus autem non est, qui naturalibus bonis destituitur, ut valetudine, ut mem-

1. *Qua*. Pro vulgato *qua*, Schw. dat *quali*, quod præbent mss. *a. c. A*. *Quia* est ed. *R.*

2. *Arcula*. In qua reconduntur et asservantur. Cf. De Tranquill. c. I, 3, 8. *Ruhk.*

3. *Fecit*. Sic ms. *a*. Alii *facit* cum vulgg. edd. *Schw.*

4. *Inquit*. Adversarius academicus et peripateticus: quippe qui contendant, a virtute quidem beatitatem esse, sed non plenam et summam, nisi externa etiam accedant, quæ *naturalia instrumenta* s. *bona* vocant. Cic. Tusc. Q. V, 8. 16 sqq. Stoici tamen hæc non bona corporis appellant, sed neutra, media, interjecta, creberrime indifferentia: de quibus et cum Pyrrhonis asseclis disputaverunt, omnia, quæ Stoici de virtute, vitio, bono etc. posuerunt, labefactantibus. (Cf. Buhlii *Lehrbuch der Gesch. der Phil.* III p. 402 sqq.) Usum habent *commoda* s. *producta*, non utilitatem s. bonum; sumuntur quidem, sed non expetuntur: sint apud nos, sed ita ut meminerimus, extra nos esse, i. extra animum, primam et pæne totam nostri partem. Bona illa sunt vera, quæ ratio dat; cætera tantum opinione sunt bona. Epist. LXXIV, 16. Lipsii Manud. II, 23. Stoici itaque contendebant jure, beatissimum esse posse et debere, etiamsi his naturalibus bonis s. commodis destituatur, nec miserum, etiamsi sit sub incommodis, s. iis quæ fugienda sint. *R.*— De illa rerum divisione in *rejecta*, *sumenda* etc., cf. Cic. Acad. I ubi plura Gorenz hac de re.

5. *Consequitur*, ms. *a*. *Sequitur c. R. A. Assequitur* vulgo. *S.*

Digitized by Google

brorum [1] integritate. » — Quod incredibilius videtur, id 14
concedis, aliquem in maximis et continuis doloribus non esse miserum, esse etiam beatum; quod levius est, negas, beatissimum esse. Atqui, si potest Virtus efficere, ne miser aliquis sit, facilius efficiet, ut beatissimus sit: minus enim intervalli a beato ad beatissimum restat, quam a misero ad beatum. An, quæ res tantum valet, ut ereptum calamitatibus inter beatos locet, non potest adjicere quod superest, ut beatissimum faciat? in summo deficit clivo? Commoda sunt in vita, et incommoda; 15
utraque extra nos. Si non est miser vir bonus, quamvis omnibus prematur incommodis; quomodo non est beatissimus [2], si aliquibus commodis deficitur? Nam quemadmodum incommodorum onere usque ad miserum non deprimitur, sic commodorum inopia non deducitur a beatissimo; sed tam sine commodis beatissimus est, quam non est sub incommodis miser: aut potest illi [3] eripi bonum suum, si potest minui. Paulo ante dicebam [4], igni- 16
culum nihil conferre lumini solis; claritate enim ejus, quidquid sine illo luceret [5], absconditur. — « Sed quædam, inquit, soli quoque obstant. » — At solis vis et lux integra est, etiam inter opposita; et, quamvis aliquid [6] interjacet, quod nos prohibeat ejus aspectu, in opere est, cursu suo fertur. Quoties inter nubila luxit, non est [7] sereno

1. *Ut membrorum*, ms. *a.* et ed. *A.* Vulgo *et membr. S.*

2. *Non est beatissimus, si.* Sic libri nostri. Vulgo *non beatissimus, et si* etc. *S.*

3. *Aut potest illi eripi.* Sic recte libri vett. Vulgo *annon* ex Erasmi conject. *S.*

4. *Paulo...diceb.* Supra, § 5. Quum Stoicis virtus abstracti loco sit, atque cum ratione perfecta conveniat, responsio repellit objectionem, quam vide Ep. LXXIV, 16. LXVI, 7. et 19. Cic. de Fin. III, 14, ubi eadem imagine et cæteros Stoicos ad illustrandam hanc doctrinam usos esse patet. *R.*

5. *Quidquid sine illo luceret*, ms. *a.* Vulgo *quidquid sine eo lucet. S.*

6. *Interjacet.* Dederunt *a. c. R. A.* Vulgo *interjaceat. S.*

7. *Sereno minor* Subaudi *sole* sereno: id est, non est minor quam sol

Digitized by Google

minor, ne tardior quidem; quoniam multum interest,
17 utrum aliquid obstet tantum, an impediat. Eodem [1] modo Virtuti opposita nihil detrahunt. Non est minor, sed minus fulget : nobis forsitan non æque apparet ac nitet; sibi eadem est, et, more solis obscuri, in occulto vim suam exercet. Hoc itaque adversus Virtutem possunt calamitates, et damna, et injuriæ, quod adversus solem potest nebula.

Invenitur [2] qui dicat, Sapientem corpore parum prospero usum, nec miserum esse, nec beatum. Hic quoque fallitur : exæquat enim fortuita virtutibus [3], et tantumdem tribuit honestis, quantum honestate carentibus.
18 Quid autem fœdius, quid indignius, quam [4] comparari veneranda contemptis? Veneranda enim sunt, justitia, pietas, fides, fortitudo, prudentia : e contrario vilia sunt, quæ sæpe contingunt pleniora vilissimis, crus solidum, et lacertus, et dentes, et horum sanitas firmitasque. Deinde si sapiens, cui corpus molestum est, nec miser habebitur, nec beatus, sed medio [5] relinquetur;
19 vita quoque ejus nec appetenda erit, nec fugienda. Quid autem tam absurdum, quam sapientis vitam appetendam non esse? aut quid tam extra fidem, quam esse aliquam vitam nec appetendam, nec fugiendam? Deinde, si damna corporis miserum non faciunt, beatum esse pa-

idem, quum fertur per cælum serenum.

1. *Eodem modo... detrahunt.* Noli putare hic notiones commutari : nam quæ de virtute valent, prædicantur quoque de beatitudine, quippe quæ ex virtute est. *Ruhk.*

2. *Invenitur.... nec beatum.* Academicorum al. sententia hæc fuit, uti supra vidimus. *Ruhk.*

3. *Exæquat... fortuita virtutibus.* Qui enim contendit tam posse fortuitis hominem beatitudine orbari, quam virtute beatum effici.

4. *Comparari, a. c. A.* Vulgo *comparare. Schw.*

5. *Sed medio relinquetur.* Sic. mss. *a. c. R. A.* et mss. Gruteri; nec vero spernendum est vulgatum *sed in med. rel. Schw.*

Digitized by Google

tiuntur. Nam quibus potentia non est in pejorem transferendi statum, ne interpellandi quidem optimum. — « Frigidum, inquit [1], aliquid, et calidum novimus; inter utrumque tepidum est : sic aliquis beatus est, aliquis miser; aliquis nec miser, nec beatus. » — Volo hanc contra nos positam imaginem excutere. Si tepido illi plus frigidi ingessero, fiet frigidum; si plus calidi affudero, fiet novissime calidum. At huic, nec misero nec beato, quantumcumque ad miserias adjecero, miser non erit, quemadmodum dicitis : ergo imago ista dissimilis est. Deinde trado tibi hominem nec miserum nec beatum : huic adjicio cæcitatem, non fit miser; adjicio debilitatem, non fit miser; adjicio dolores continuos et graves, miser non fit. Quem tam multa mala in miseram vitam non transferunt, ne ex beata quidem educunt. Si non potest, ut dicitis, sapiens ex beato in miserum decidere, non potest in non beatum. Quare enim, qui illa [2] cœpit, alicubi subsistat? Quæ res illum non patitur ad imum devolvi, retinet in summo [3]. Quidni [4] non possit beata vita rescindi? ne remitti quidem potest : et ideo Virtus ad illam per se ipsa satis est. — « Quid ergo [5]? inquit, Sapiens non est beatior, qui diutius vixit, quem nullus avocavit dolor, quam ille, qui cum mala fortuna semper

1. *Frigidum, inquit... nec beatus.* Inprimis Aristotelicorum hanc esse objectionem patet. *Ruhk.*

2. *Qui illa* (illâ, cum circumflexa nota) *cœpit, alicubi subsistat?* Sic vett. libri omnes. I. e. qui ea via incedere cœpit, scil. qui ex beato cœpit decidere in non beatum. Vulgo *qui labi cœpit*, ex ing. Mur. *S.*—Cur desinet decrescere beatitudo, semper crescentibus malis, si id semel mala potuerunt, ut beatitudinem minuerent.

3. *Quæ res... in summo.* Idem quod impedit ne miser fiat, ne ad imum infelicitatis devolvatur, idem impedit, quum summa fruitur beatitudine, ne quid illi detrahatur, ne ex hoc apice beatæ vitæ amoveatur.

4. *Quidni.... rescindi?* Objectio Academicorum esse videtur et Peripateticorum. *Ruhk.*

5. *Quid ergo?... luctatus est?* Et hæc est objectio Academiæ et Lycei. Cf. Lipsii Manud. III, 3. *Ruhk.*

Digitized by Google

22 luctatus est? » —Responde mihi : Numquid et melior est, et honestior? si hæc non sunt, ne beatior quidem est. Rectius vivat oportet, ut beatius vivat ; si rectius non potest, ne beatius quidem. Non intenditur Virtus; ergo ne beata quidem vita, quæ ex virtute est. Virtus enim tantum bonum est, ut istas accessiones minutas non sentiat, brevitatem ævi, et dolorem, et corporis varias offensiones. Nam voluptas non est digna, ad quam respiciat.
23 Quid est in Virtute præcipuum? futuro non indigere, nec dies suos computare : in quantulo libet [1] tempore bona æterna consummat.

Incredibilia nobis hæc videntur, et supra humanam naturam excurrentia : majestatem enim ejus ex nostra imbecillitate metimur, et vitiis nostris nomen virtutis imponimus. Quid porro, non æque incredibile videtur, aliquem in summis cruciatibus positum, dicere : Beatus sum? Atqui hæc vox in ipsa officina voluptatis audita
24 est. Beatissimum, inquit, hunc et ultimum diem ago, Epicurus [2], quum illum hinc urinæ difficultas torqueret, hinc insanabilis exulcerati dolor ventris. Quare ergo incredibilia ista sint apud eos, qui virtutem colunt; quum apud eos quoque reperiantur, apud quos voluptas imperavit? Hi quoque degeneres, et humillimæ mentis, aiunt,

1. *In quantulo libet tempore bona æterna consummat.* Sic ms. *a.* cum aliis. *S.*—Quæ lect. per se optime intelligitur. Vulgo *in quantolibet tempore æterna consummare.* Hanc lectionem invenerat Gronov. in mss. et recepit. Quam Ruhkopf. sic, nec satis lucide, interpretatur : in quantolibet tempore ad æternitatem pervenire, vel certe illa, quæ æterna sunt, nempe vera et unica bona perficere ac maturare, ad quod in aliis temporis intervalla requiruntur. Antea : *in quantolibet tempore bona æterna consummat.*

2. *Epicurus.* Cf. ad Ep. LXVI, 17. 18. Sunt hæc desumpta ex Epistola Hermacho missa, quæ exstat ap. Diog. Laert. X, 22, versa in latinum sermonem ap. Ciceron. de Fin. II, 30 : « Epicurus Hermacho Salut. d. Quum ageremus vitæ beatum et eumdem supremum diem, scribebamus hæc. Tanti autem morbi aderant

Digitized by Google

in summis doloribus, in summis calamitatibus, sapientem nec miserum futurum, nec beatum. Atqui hoc quoque incredibile est, imo incredibilius. Non video enim, 25
quomodo non in infimum agatur e fastigio suo dejecta virtus. Aut beatum præstare debet; aut, si ab hoc depulsa est, non prohibebit fieri miserum. Stans non potest mitti [1]: aut vincatur oportet, aut vincat.—« Diis, [2] inquit, immortalibus solis et virtus, et beata vita contigit; nobis umbra quædam illorum bonorum et similitudo: accedimus ad illa, non pervenimus. » —Ratio vero Diis hominibusque communis est: hæc in illis consummata est, in nobis consummabilis. Sed ad desperationem nos vitia no- 26
stra perducunt. Nam ille alter secundus est [3] ut aliquis parum constans ad custodienda optima, cujus judicium labat etiamnunc et incertum est. Desiderat [4] oculorum atque aurium sensum, bonam valetudinem [5], et non fœdum aspectum corporis, et habitu manentem suo, ætatis præterea longius spatium [6]; per hanc potest non pœnitenda 27
agitare? Imperfecto viro huic malitiæ vis quædam inest:

vesicæ et viscerum, ut nihil ad eorum magnitudinem possit accedere etc.» *R.*

1. *Stans* (scil. in acie.) *non potest mitti.* Sic recte ms. *a.* et Lipsii cod. Inepte vulgo, *non potest vinci*, cum *c. R. A. Schw.* — Int.: qui in prælio contra hostium lacessentium assultus stetit, non potest dimitti a prælio et relinqui ab assultantibus: oportet aut illum dejici, aut ab eo hostes.

2. *Diis, inquit.* Acad. et Peripatet. *R.*

3. *Secundus est ut* (i. sicut) etc. Perperam omissum verbum *est* in ed. Mur. et seqq. *S.* — *Ille alter secundus*, i. e. ille nondum perfectus in sapientia. Solet passim distinguere Seneca virum perfectum a tolerabili, et imperfecto, et proficienti (Ep. XVI, 1. LVII, 2. XCIV, 47); illum, quem et sapientem et bonum vocat, qui ad summum gradum virtutis ac vitæ beatæ pervenit; hunc, quem vocat *secundum*, qui multum profecit, nondum tamen apicem consecutus est, nondum veritatem perspexit, atque contemptum externorum nondum induit. *Gronov.*

4. *Desiderat.* Sic vulgo. Schweigh. dat *desideret*, ex suis mss.

5. *Aurium sensum, bonam valetudinem.* Sic vulgo olim, cum *a. c. R. A. Aurium cæterorumque sensuum bonam valitudinem* ed. Ruhk. cum Pal. sec. Col. et ms. Gron. *S.*

6. *Spatium... agitare? Imperf.* Nos interrogationis punctum de nostro

Digitized by Google

quia animum habet mobilem, ad prava illum agit hærens malitia, et ea agitata abest de bono[1]. Non est adhuc bonus, sed in bonum fingitur; cuicumque autem deest aliquid ad bonum, malus est.

Sed, si cui virtus animusque in corpore præsens[2],

28 hic Deos æquat; illo tendit, originis suæ memor. Nemo improbe eo conatur ascendere, unde descenderat. Quid est[3] autem, cur non existimes in eo divini aliquid exsistere, qui Dei pars est? Totum hoc, quo continemur, et unum est, et Deus: et socii sumus ejus, et membra. Capax est noster animus; perfertur illo, si vitia non deprimant. Quemadmodum corporum nostrorum habitus erigitur, et spectat in cælum: ita animus, cui, in quantum vult, licet porrigi, in hoc a natura rerum formatus est, ut paria Diis velit, et sic utatur[4] suis viribus, ac se

29 in spatium suum extendat. Non aliena via[5] ad summa

posuimus post *non pœnitenda agitare*, quo hæc sententia cum sequentibus melius hæreret. Cæterum totus locus, a verbis *nam ille alter*, ita obscurus et ab editoribus vexatus est ut aliquid deesse facile crediderimus. Ruhk. totum hunc locum sic edidit puncto maximo post *spatium* interpungens. *Per hanc potest non pœnitenda agitare : at imperfecto viro huic malitiæ vis quædam inest, qua animum habet mobilem : ad prava illum agit hærens malitia* etc. In his, inquit, constituendis sequor et Gruter. et Gronovium : nisi quod hujus emendationem : *Fer hunc : potest*...non necessariam putem. Antea: *ut in imperfecto viro. Huic... mobilem ad prava. Ille agit carens malitia :* quæ sensu carebant. *Ruhk.* —. *Imperfecto viro huic.* Sic. *a.* et *R.* Sed fortasse non male. *Ut imperfecto viro, huic* etc. ms. *c.* et ed. *A.* Tum infra *quia*, non *qua*, *a. c. R. A.* Eademque linea *ad prava illum agit hærens malitia* recte ed. Ruhk. cum ms. Siculo Mur. *Schw.*

1. *Ea agitata abest de bono.* Sic dedere libri vett. ubi vulgo *ea agitatio abest a bono. Schw.*

2. *Præsens.* Versus Virgil. est Æn. V, 363; sed leg. *pectore.* Ed.

3. *Quid est... membra.* Stoicum hoc dogma sæpe jam vidimus. Multus est in eo excutiendo Lipsius Physiol. st. I, 8. *Ruhk.*

4. *Et sic utatur.* Sic vulgo. Schw. nimio mutationum abreptus studio in textum recepit *etsi utatur* quod dant *a. c. A.*

5. *Non aliena via ad summa nititur.* Sic mss. *a. c.* cum ed. *A.* et Ven. nisi quod *aliena vita* habent *a. c.* et *aliena vi* ed. Ven. Nos *via*

Digitized by Google

nititur; magnus erat labor, ire in cælum : redit! in hoc iter natus est[1]. Vadit audacter, contemptor[2] omnium; nec ad pecuniam respicit : aurum argentumque[3], illis, in quibus jacuere, tenebris dignissima[4], non ab hoc æstimat splendore[5], quo imperitorum verberant oculos, sed a vetere cœno[6], ex quo illa secrevit cupiditas nostra et effodit. Scit, inquam, aliubi[7] positas esse divitias, quam quo congeruntur; animum impleri debere, non arcam. Hunc imponere dominio rerum omnium licet, hunc in 30
possessionem rerum naturæ inducere, ut sua Orientis Occidentisque terminis finiat[8], Deorumque ritu cuncta

ex facili conject. correximus. Vulgo, *Nam si aliena vi ad summa niteretur* ex Erasmi maxime conject. *S.*

1. *In hoc iter natus est.* Primam vocalem ex conject. correxi; nam perperam *cû* (sic) *hoc iter natus est* dabat ms. *a.* Tum alii, *cum hoc iter ad quod natus est.* Denique vulgo, *quum hoc iter nactus est. Schw.*

2. *Contemptor.* Vulgo *et contemptor*, assuta inutili copula. *Schw.*

3. *Aurum argentumque.* Vulgo ex ed. *R.* Sed *aurumque et argentum a. c. A. Schw.*

4. *Illis, in quibus jacuere, tenebris dignissima.* Sic et Horatius lib. III, Od. III. « Aurum irrepertum et sic melius situm, Dum terra celat spernere fortior, Quam cogere humanos in usus Omne sacrum rapiente dextra. »

5. *Non ab hoc æstimat splendore.* Sic perspecte Rubenius apud Gron. partim e veteribus libris partim e conjectura. Veteres edd. et scripti, *non ad hoc æstimat splendor; splendorem* ms. *a.* Pal. 1. 2 et Col. *Splendore* Pal. 4. Vulgo *ad hunc æstimat splendorem*, ex Gruteri conjectura. *Schw.* — Idem Horatius Carm. II, Od. XXIII : « Regnum et diadema tutum Deferens uni, propriamque laurum, Quisquis ingentes oculo irretorto Spectat acervos : » ubi Mitscherlich nostro loco bene usus est. *Ruhk.*

6. *Sed a vetere cœno, ex quo,* etc. Scriptura hæc, quæ Rubenii debetur ingenio, haud dubie latebat sub ista vetere, *sed avertere celo,* quam offert ms. *c.* a qua parum abeunt ms. *a.* et ed. *A. sed avertero cœlo;* et ed. *R. sed adovertere celo. Scit erui e cœno* dat ed. Lips. et Gron. ex Gruteri conject. *et averterunt a cœlo* ed. Ven. Er. et Mur. quod revocavit Ruhk. *Schw.* — Sic Ruhkopfius suam explicat lectionem : Ex quo tempore cupiditas nostra secrevit aurum argentumque atque effodit, illa averterunt nostros animos a cælo, unde originem ducimus etc.

7. *Aliubi.* Ms. *a.* et sic constanter pro vulgato *alibi.* Perperam *alicubi* ed. *R. Schw.*

8. *Ut sua Orientis Occidentisque terminis finiat.* Sic mss. *a. c.* et ed. *A.* nisi quod in ms. *a.* et ed. *A.* perperam *fiat* scribitur, pro *finiat*, quod verbum ms. *c.* compendiose quidem, sed haud dubie, exhibet. Ista scri-

Digitized by Google

possideat[1]; quum opibus suis divites superne despiciat, quorum nemo, tam suo lætus est, quam tristis alieno. Quum se in hanc sublimitatem tulit, corporis quoque, velut oneris necessarii, non amator, sed procurator est;
31 nec se illi, cui impositus est, subjicit. Nemo liber est, qui corpori servit. Nam, ut alios dominos, quos nimia pro illo sollicitudo invenit, transeas, ipsius morosum imperium delicatumque est. Ab hoc[2], modo æquo animo exit, modo magno prosilit; nec, quis[3] deinde reliquiis ejus futurus sit exitus, quærit. Sed, ut ex barba capillos detonsos negligimus; ita ille divinus animus egressurus hominem, quo receptaculum suum conferatur, ignis illud exurat[4], an terra contegat, an feræ distrahant, non magis ad se judicat pertinere, quam secundas[5] ad editum
32 infantem. Utrum[6] projectum aves differant, an consumatur

..... Canibus data præda marinis,

quid ad illum? Qui tunc quoque, quum inter homines est, nullas minas timet; ullasne timebit post mortem mi-

ptura varie ab aliis vel interpolata vel mutata est. *Schw.*—Ruhk. edidit: *Ut suarum* (sc. animi) *possessionum Orientis Occidentisque terminus fiat.* Lectio, ut ait, bona codd. plurimorum et edd. Pincianus autem monuit, scripturam veterem habere et compendiosius et elegantius (sed vereor ut clarius): *ut suæ Orientis Occidentisque terminus fiat.* Hinc Muretus hariolatione fecerat: *ut suorum Oriens Occidensque terminus fiat. R.*

1. *Deorumque ritu cuncta possideat.* Omnia sapientium esse, αὐτάρκη εἶναι τὸν σοφόν· πάντα γὰρ αὐτοῦ εἶναι τῶν ἄλλων, quatenus oculis et animo usurpet, Cynismi et Stoicismi commune dogma. Lipsius in Manud. III, 11. *Ruhk.*

2. *Ab hoc... prosilit.* I. vel manet, usque dum naturaliter moriatur, vel sponte exit, vi sibi illata. *Ruhk.*

3. *Nec, quis.... quærit.* Ut Diog. Sinopens. et Anaxagoras apud Cic. Tusc. Q. I. 43. *Ruhk.*

4. *Exurat. Excludat* mss. *a. c. R. A. Schw.*

5. *Secundas.* Membranas, quibus infans in utero involvitur, editumque in lucem sequuntur: unde secundæ. Græcis a simili causa, τὰ ὕστερα. *L.* — Alias et vocantur secundinæ. *Ruhk.*

6. *Utrum... differant.* Huc illuc

Digitized by Google

nas eorum, quibus[1] usque ad mortem timeri parum est? Non conterret[2], inquit, me nec uncus, nec projecti ad contumeliam cadaveris laceratio, fœda visuris. Neminem de supremo officio rogo; nulli reliquias meas commendo: ne quis insepultus esset, rerum natura prospexit[3]. Quem sævitia projecerit, dies condet. Diserte Mæcenas ait:

Nec tumulum curo; sepelit natura relictos!

Alte cinctum[4] putes dixisse: habuit enim ingenium et grande et virile, nisi illud secum discinxisset[5]. Vale.

trahant et deportent. Sic Horat. Ep. v, 99: « Post insepulta membra different lupi Et Esquilinæ alites.» Cf. Seneca de Tranq. c. 14. Versus Virgilii Æn. IX, 485 ad parodiam deflexit. *R.*

1. *Quibus... parum est.* Tyrannorum, qui in cadavera sæviunt.

2. *Conterret.* Lipsius e conj. textui immisit, probante Gronovio. Antea *conteret.* At neque unci est conterere, sed trahere. Et de terrore agitur. — *Non conterret...uncus* quo improbi ac damnati trahebantur ab Hamatrahonibus. Cf. Festus h. v. Seneca de Ira III, 3, 6. *Ruhk.*

3. *Natura prospexit.* His paria Lucanus lib. VII in Cæsarem, qui insepultos cives in Pharsalia reliquit: « Nil agis hac ira: tabesne cadavera solvat, An rogus, haud refert: placido Natura receptat Cuncta sinu. »

4. *Alte cinctum.* I. e. industrium, militarem, patientem laboris: molliculi s. remissi tunicas demiserunt: unde una cum veste et corpore ingenium dissolvit, enervavit et effeminavit. Horat. I Serm. v, 5: « Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos Præcinctis unum. » *Ruhk.*

5. *Secum discinxisset.* I. una cum veste et corpore ingenium dissolvisset (quod vertit *Lagrange: Il aurait eu un courage mâle, s'il ne l'eût énervé par sa mollesse*). Alii: *illud ipse discinxisset.* At meus et quidam *secundis cinsisset:* itaque legas etiam cum Grutero *secunda discinxissent;* scilicet res nimis prosperæ et fluentes fluxum illum et mollem reddiderunt. *Lips.*

Digitized by Google

EPISTOLA XCIII.

VITAM NON EX SPATIO, SED EX ACTU METIENDAM.

Querela Lucilii de morte Metronactis philosophi, qui juvenis obiit, ansam dedit Senecæ, ad æquitatem adversus Deum cohortandi et ad obsequium, quod naturæ debemus, præstandum. Non multum refert, juvenis an senex obeas, sed utrum officiis tuis bene functus sis: itaque vita non ætate s. spatio temporis, sed actu metienda est, quæ longa est, modo bona fuerit. Accedit quod ætas inter fortuita s. externa est, quum, quamdiu bonus vir sis, in tua potestate sit, et quamdiu ad sapientiam vivas. Cf. Senecæ tres Consolationes, quas secundo Volumine exhibuimus.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

In epistola, qua de morte Metronactis[1] philosophi querebaris, tanquam et potuisset diutius vivere, et debuisset, æquitatem tuam desideravi; quæ tibi in omni persona[2], in omni negotio superest; in una re deest, in qua omnibus. Multos inveni æquos adversus homines; adversus Deos neminem. Objurgamus quotidie fatum: Quare ille in medio cursu raptus est? quare ille non rapitur? quare senectutem et sibi et aliis gravem exten-
2 dit? Utrum, obsecro te, æquius judicas, te naturæ, an tibi parere naturam? Quid autem interest, quam cito exeas, unde utique exeundum est? Non ut diu[3] vivamus, curandum est, sed ut satis. Nam, ut diu vivas, fato opus

1. *Metronactis*. Qui Neapoli (philosophiam) docuit et obiit, ut discas ex Epist. LXXVI, 1. *Lips*.

2. *In omni persona*, quam geris, munere, officio publico. Cf. Perizon. ad Sanctii Minerv. I, 12, 4 et Ernesti Clav. Cic. h. v. *Ruhk*.

3. *Non ut diu... satis*. Sæpe hoc Noster et alii inculcant, e. c. Ep. XXIV, 13. LXX, 3: «Non enim vivere bonum

Digitized by Google

est; ut satis, animo. Longa est vita[1], si plena est : impletur autem, quum animus sibi bonum suum reddidit, et ad se potestatem sui transtulit. Quid illum octoginta anni juvant per inertiam exacti? non vixit iste[2], sed in vita moratus est; nec sero mortuus est, sed diu. Octoginta annis vixit! Interest, mortem ejus ex quo die nu- 3
meres. — At ille obiit viridis! — Sed officia boni civis, boni amici, boni filii, exsecutus est; in nulla parte cessavit. Licet ejus ætas imperfecta sit, vita perfecta est. Octoginta annis vixit! Imo octoginta annis *fuit!* nisi forte sic *vixisse* eum dicis, quomodo dicuntur arbores vivere. Obsecro te, Lucili, hoc agamus, ut, quemadmodum pretiosa rerum[3], sic vita nostra non pateat multum, sed multum pendat. Actu illam metiamur, non 4
tempore. Vis scire, quid inter hunc intersit vegetum contemptoremque fortunæ, functum omnibus vitæ humanæ stipendiis[4], atque in summum bonum ejus evectum; et illum, cui multi anni transmissi sunt? Alter post mortem quoque est; alter ante mortem [5] periit. Laudemus itaque, et in numero felicium reponamus eum, cui, quantulumcumque temporis contigit, bene

est, sed bene vivere.» Et Ep. LXXVII, passim. *Ruhk.*

1. *Longa est vita, si plena est.* In hanc sententiam Plutarchus, consol. ad Apollonium : « Non longissima vita optima, sed honestissima. » Et addit : « Neque enim qui plurimum cithara cecinit, aut oravit, aut in navi gubernavit, sed qui bene, commendatur. Bonum autem non est in temporis diuturnitate situm, sed in virtute et decora proportione. » (A Lipsio e græco versum.)

2. *Non vixit iste.* Similis gnome Simonidis, qui interrogatus, quantum temporis vixisset? «Tempus haud multum, inquit, annos vero complures.» Quasi in temporis rationem non veniat, nisi vita bene acta.

3. *Pretiosa rerum.* Gemmæ et lapides, etc. quæ in brevitate pretium habent. *Lips.*

4. *Stipendiis.* I. muneribus officiisque : ideoque nactum illud, quod summum est in vita. Allusio ad militiam est manifesta, quam attigit Wernsdorf. Exc. XVIII ad Poet. Lat. min. To. II p. 351. *Ruhk.*

5. *Ante mortem periit.* Acumen facile intelligis. Vita nimirum ei pro-

Digitized by Google

collocatum est. Vidit enim veram lucem, non fuit unus
5 e multis[1] : et vixit[2], et viguit : aliquando sereno usus est; aliquando, ut solet, validi sideris fulgor per nubila emicuit. Quid quæris, quamdiu vixerit? vixit : ad posteros usque transilivit et se in memoriam dedit.

Nec ideo mihi plures annos accedere recusaverim; nihil tamen mihi[3] ad beatam vitam defuisse dicam, si spatium ejus inciditur. Non enim ad eum diem me aptavi, quem ultimum mihi spes avida promiserat; sed nullum
6 non tanquam ultimum aspexi. Quid me interrogas, quando natus sim? an inter juniores adhuc censear? Habeo meum[4]. Quemadmodum in minore corporis habitu potest homo esse perfectus; sic et in minore temporis modo potest vita esse perfecta. Ætas inter externa est[5]. Quamdiu sim, alienum est : quamdiu vero sum, vir bonus ut sim, meum est[6]. Hoc a me exige, ne velut per tenebras ævum ignobile emetiar; ut agam vitam, non ut prætervehar.

Quæris, quod sit amplissimum vitæ spatium? Usque
7 ad Sapientiam vivere! Qui ad illam pervenit, attigit non longissimum finem, sed maximum. Ille vero glorietur audacter, et Diis agat gratias; interque eos sibi et

prie non fuit vera, sed quæ arboribus est : jam ante esse desiit, quam morte sublatus est. *Ruhk.*

1. *Non fuit unus e multis.* Int. unus, ut tam multi sunt, unus e grege hominum.

2. *Et vixit.* Ante hæc verba, et Lipsius et Ruhk. addunt *et vivit :* nunc in cælo, ait Lipsius, ac male hæ voces a vulgatis exsulant. Miramur Schw. in criticis notis de hoc siluisse.

3. *Nihil tamen mihi, a. c. R. A.* Aberat vulgo *mihi. Schw.* — *Nihil tamen.... inciditur.* Spectant hæc ad dogma stoicum, quod sæpius jam vidimus, vitam beatam non magis intendi quam virtutem, unde oriatur, e. c. Ep. XCII, 22. *Ruhk.*

4. *Habeo meum.* Id quod mihi assignatum et in potestate mea est. *R.*

5. *Ætas inter externa est.* I. fortuita, commoda, sumenda, producta, προηγμένα. *Ruhk.*

6. *Quamdiu vero sum, vir bonus ut sim, meum est.* Scripturam hanc e duabus aliis composui. Nimis con-

Digitized by Google

rerum naturæ imputet, quod fuit[1]. Merito enim imputabit: meliorem illi vitam reddidit, quam accepit. Exemplar boni viri posuit; qualis quantusque esset, ostendit: si quid adjecisset, fuisset simile præterito[2]. Et tamen, quousque vivimus[3]? Omnium rerum cognitione[4] fruiti
sumus. Scimus, a quibus[5] principalis natura se attollat; 8
quemadmodum ordinet mundum; per quas vices annum revocet; quemadmodum omnia, quæ usquam erant, cluserit, et seipsam finem sui fecerit. Scimus, sidera impetu suo vadere; præter terram nihil stare, cætera continua velocitate decurrere. Scimus, quemadmodum solem luna prætereat; quare tardior velociorem post se relinquat; quomodo lumen accipiat, aut perdat; quæ causa inducat noctem, quæ reducat diem. Illuc eundum 9

cise et nullo sensu mss. *a. c.* et ed. *A. quamdiu vero ut sim, meum est.* Ed. *R. quamdiu vero ut vir bonus sim*, etc. *Schw.*

1. *Imputet, quod fuit. Lagrange* vertit: *S'attribuer à soi-même et à la nature d'avoir vécu*, quasi esset, *quia* vere vixit. Sed sensus postulare videtur ut intelligas: illud quod se præstitit, nempe virum sapientem.

2. *Si quid adj... simile præt.* I. e. quod vitæ adjecisset, fuisset simile præteritæ vitæ.

3. *Et tamen, quousque vivimus? Omnium rerum* etc. Haud satis liquet hujus loci sententia. *Interrogandi signum* primus apposuit Muretus, quod delendum videtur, et cum præcedentibus connectenda ista, *omnium rerum* etc. ut hoc fere dixisse intelligatur Philosophus: « Habet quidem hoc commodi longior vita, ut, *quousque vivimus*, » magis magisque *fruamur cognitione naturæ rerum*. Nec vero idcirco » moleste ferre debemus exitum e » vita: *illuc* enim *eundum est*, *ubi* » *ista propius aspicias.* » *Schw.* — Si vero vulgatam interpunct. servaveris, optimus sensus erit: Et nos tamen quem ad finem vitam continuare cupimus? omnia novimus quæ cognoscenda erant, ita ut longiore vita non opus sit. Sic intelligunt locum Ruhk. et *Lagrange.*

4. *Fruiti.* Ut vulgo, sic ed. *A. Fructi* ms. *a.* quod et debuerat ms. *c.* in quo vitiose *fracti. Cogitatione functi* ed. *R. Schw.*

5. *A quibus principalis natura.* Sola ed. *R. ad quid princ. Principalis* tenent libri omnes, quod defendit Ruhk. coll. Cic. N. D. II. XI. 29. Equidem cum Lipsio *principiis* suspicatus eram: sed nil temere mutaverim. Nescio an *pricipalis natura* h. l. eadem dicatur, quæ *summa illa ac pulcherrima omnium natura* appellatur Epist. XCV, scilicet supremus *Deus*, cui subjecti sunt quos *Deos* (plurali numero) appellat Noster. *S.* — *Scimus a quibus principalis* etc.

Digitized by Google

est, ubi ista propius aspicias. — Nec hac spe[1], inquit Sapiens, illo fortius[2] exeo, quod patere mihi ad Deos meos iter judico. Merui quidem admitti, et jam inter illos fui; animumque illo meum misi, et ad me illi suum miserant[3]. Sed tolli me de medio puta, et post mortem nihil ex homine restare; æque magnum animum habeo, etiam si nusquam transiturus excedo. — Non tam multis vixit annis, quam potuit! — Et paucorum versuum liber
10 est, et quidem laudandus, atque utilis. Annales[4] Tanusii scis quam ponderosi sint, et quid vocentur[5]. Hoc est

In vita nostra rescivimus, quæ sint ea, unde illa natura omnia penetrans et regens se attollat: *principalis*, ἡγεμονική, quæ ratione perfecta prædita ad illam majestatem se sustulit. Cæterum dicere haud habeo, utrum modestiam in his, an nimiam istius cognitionis æstimationem mirer. *Ruhk.*

1. *Nec hac spe... judico.* Non illa spes propius ista aspiciendi mihi majorem fortitudinem dedit e vita exeundi ad *deos meos*, quorum membrum et pars sum. Sed etiamsi totus essem periturus, æque mortem eam contemnerem, post quam defuncto mihi nusquam locus esset. *Ruhk.*

2. *Illo fortius.* Vulgo, *inquit sapiens ille*, *fortius exeo*, cum ms. *a.* et *R. A.* Placuit *illo fortius exeo*, quod dedit ms. *c.* sive *eo fortius* intelligas, sive *illo* pro *illuc* accipias, ut sæpius alibi; cui dein respondeat quod sequitur, *nusquam transiturus.* Si *ille* h. l. scripsit Seneca, referendum hoc fuerit ad ea quæ supra: *ille vero gloriatur audacter*: et vocab. *sapiens* e scholio fuerit interpolatum. *Schw.*

3. *Miserant, a. c. A.* Vulgo *miserunt. Schw.*

4. *Tanusii* recte ms. *a.* Nec aliud debuerant *c. R. A.* in quibus legitur *Tamisii. Schw.* — *Tanusii* præstant codd. et præfert Ger. Jo. Vossius de Hist. Lat. I p. 59 ed. Frcf. Antea: *Tamusii. Ruhk.*

5. *Pond...vocentur.* Quod vulgo hic legebatur, *non decori*, aut, quod ex mstis quibusdam (quibus accedit noster *c.* et ed. *A.*) ascivit Ruhkopf. *non decorosi*, id alienum erat ab hoc loco, ubi vel longus liber, vel brevis erat nominandus. Unice verum erat *ponderosi*, quod latebat in *nonderosi*, quod habet noster ms. *a.* cum aliis apud Pinc. Nec vero nobis debetur hæc emendatio; nam in eodem ms. *a.* litteram *p* ad monstrosam vocem *nonderosi* jam alia manus superne appinxerat. Similiter vero et Cicero *ponderosam epistolam* dixerat, *longam* significans. *Schw.* — Opponit Seneca librum exiguæ molis sed utilem, quem cum brevi at laudanda vita comparat, Annalibus Tanusii, libro satis amplo sed pravo et deriso, quem comparat cum vita longa at parum utili. Fuit quum arbitrarer, annales Tanusii explicationis esse loco libri paucorum versuum atque utilis. Sed Seneca magis digna videtur ratio,

Digitized by Google

vita quorumdam longa [1], quod Tanusii sequitur Annales. Numquid feliciorem judicas eum, qui summo die muneris, quam eum, qui medio occiditur? numquid aliquem tam stulte cupidum esse vitæ putas, ut jugulari in spoliario [2], quam in arena malit? Non majore spatio alter alterum præcedimus. Mors per omnes it: qui occidit, consequitur occisum. Minimum est, de quo sollicitissime agitur. Quid autem ad rem pertinet, quamdiu vites quod evitare non possis? Vale.

quam secutus sum. *Ruhk.* — In Suetonii Julio, c. 9, Historia Tanusii Gemini memoratur: nec vero distat, esse istum. *Lipsius.* — *Et quid vocentur*, nempe quod illi Catulliani: « Annales Volusi, cacata charta.» *L.*

1. *Hoc est vita quorumdam longa, quod Tanusii*, etc. Sic optime noster ms. *c.* item ms. *a.* nisi quod hic perperam habeat *et quod Tanus.* Vulgo olim, *Hæc est... et quod Tan.* quod revocavit Ruhk. postquam ex Mureting. editum fuisset *Æque est.... et quod Tan. Schw.* — Intel. vita quorumdam est longa hoc, id est ideo, quod sequitur, imitatur annales Tanusii, quod ponderosa et tædiosa est.

2. *In spoliario.* Pars arenæ s. amphitheatri fuit, in qua indui, exui solebant, et læsi ac deinceps inutiles occidi. Ego I Saturn. c. 18. *Lips.* — Sensus est: Ut occidi post prælium, quam in prælio malit.

EPISTOLA XCIV.

AN UTILIA SINT SPECIALIA DE OFFICIIS PRÆCEPTA?

An præcepta moralia cuique personæ proprie data necessaria sint, hac Epistola inquirit. Nam Aristo stoicus quæstionem negat: quum ille, qui decreta philosophiæ s. generalia præcepta intellexerit didiceritque, sibi ipse præcipiat, quid in quaque rè faciendum sit 1 — § 3. Cleanthes contra et universa et cuique personæ propria, quæ specialia vocamus, utiliter conjungenda esse statuit — 4. At primum, quod ad Aristonis sententiam attinet, repudiat illa specialia præcepta. Sunt enim nullius utilitatis illa præcepta et regulæ, quamdiu menti error offusus est: quo demum discusso apparebit et ultro, quid cuique debeatur officio — 9. Deinde non statim ita ad vivum exprimi possunt illa præcepta, uti tamen fieri deberet, si actum progerminare et ad eum pertinere oportet, quum præcipiens non in hac ipsa conditione sit, de qua ipsi

Digitized by Google

sermo est — 10. Tum nec manifesta regulis indigent, et obscura ambiguaque probationibus adjuvari debent : itaque illa, per quæ probas, satis per se sunt — 13. Adhæc caput omnium errorum pravis opinionibus et præjudiciis continetur : quæ nonnisi universali Ethica corriguntur — 14. Denique Ethica specialis incomprehensibile opus est, quum officiorum ambitus immensus sit — 17. His respondet Seneca : Primum non esse satis, impedimenta, errores rel. amovisse, nisi et statim rectam viam monstraveris — 24. Deinde non solum docere est propositum regulis, sed ut quæ jam didiceris, reminiscaris. Regulæ, quæ formam sententiarum induunt, aut carmini intexta sunt, hoc assequuntur : excitant animum — 31. Tum regulæ speciales animum nostrum expergefaciunt, et indolem naturalem impellunt diriguntque ad ea, quæ, si forte incidant quædam, facienda sint — 35. Tandem certus numerus præceptorum cur non esse possit, haudquaquam clarum est — 37.

Jam quum ab Aristone dicatur, legum et præceptorum eamdem fore esse conditionem, huic objectioni ita obviam it, ut dicat, esse quidem hoc concedendum, sed inde non sequi, ea esse inutilia. Si enim consuetudo cum sapiente utilis est, quidni et ejus præcepta conducant? — 45. Adhæc præcepta vim præsentem habent in actiones nostras, fiduciam in nobismetipsis firmant — 48.

Supervacua sunt præcepta, objicitur, quoniam virtus in cognitione et animi habitu cognitionem illam sequendi constat. Respondetur, hoc tantum de sapiente valet, minime vero de imperfecto, qui impelli atque incitari debet, quinetiam in rectam viam dirigi. Sequitur ex his, esse in hac vita illam philosophiam paræneticam s. præceptivam necessariam : quare errores et præjudicia removenda sunt.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Eam partem[1] Philosophiæ, quæ dat propria cuique personæ præcepta, nec in universum componit hominem, sed marito suadet, quomodo se gerat adversus uxorem; patri, quomodo educet liberos; domino, quomodo servos regat; quidam solam receperunt, cæteras quasi extra utilitatem nostram vagantes reliquerunt : tanquam quis possit de parte suadere, nisi qui summam

1. *Eam partem... complexus est.* Noster Epist. XCV, 1 παραινετικήν, s. præceptivam appellat hanc partem, quam nos practicam vocare solemus, philosophiam moralem, quæ plerumque obligationes imperfectas, quas dicimus, continet, quoniam eæ civium arbitrio relinquuntur, nec legibus diserte definiuntur. Instrumentum autem hujus philosophiæ practicæ est Ethica, quæ voluntatis emendandæ, constituendæ et ad bo-

Digitized by Google

prius totius vitæ complexus est. Sed Aristo[1] Stoicus 2
e contrario hanc partem levem existimat, et quæ non descendat in pectus usque. Ad illam habentem[2] præcepta plurimum ait proficere ipsa decreta philosophiæ constitutionemque summi boni; quam qui bene intellexit ac didicit, quid in quaque re faciendum sit, sibi ipse præcepit. Quemadmodum, qui jaculari discit, destinatum locum captat, et manum format ad dirigenda quæ mittit; quum hanc vim ex disciplina et exercitatione percepit, 3
quocumque vult, illa utitur (didicit enim non hoc aut illud ferire, sed quodcumque voluerit): sic, qui se ad totam vitam instruxit, non desiderat particulatim admoneri, doctus in totum; non enim quomodo cum uxore aut cum filio viveret, sed quomodo bene viveret: in hoc est et quomodo cum uxore ac liberis vivat. Cleanthes utilem[3] quidem judicat et hanc partem, sed imbecillam, 4
nisi ab universo fluit, nisi decreta ipsa philosophiæ et capita cognovit.

In duas ergo quæstiones locus iste dividitur: Utrum utilis, an inutilis sit; et an solus virum bonum possit efficere; id est, utrum supervacuus sit, an omnes faciat

num dirigendæ regulas et rationes docet. *Ruhk.*

1. *Aristo Stoicus.* Conf. ad Epist. LXXXIX, 11. Fortasse hæc excerpsit Seneca ex Epist. Aristonis ad Cleanthem, quas solas Aristoni tribuebant (multa alia opera ab aliis ei adscripta excludebant) Panætius et Sosicrates, teste Diog. Laert. VII, 163. *Ruhk.*

2. *Ad illam habentem... ipsa decreta philos. constitutionemque summi boni.* Locum, misere vulgo deformatum, haud dubie restituimus ex vett. libris, præsertim ex ed. *R.* et ms. *a.* Turbaverat et scribas nonnullos et interpretes pronomen *illam*, quod opponi putaverant ei, quam modo dixerat *hanc partem*; non autem huic opponitur, sed ad eamdem, quæ proxime nominabatur, refertur. *S.* — Vulgo legebatur: *At illam non habentem præcepta, plurimum ait proficere; ipsaque decreta philosophiæ, constitutionem esse summi boni.*

3. *Cleanthes utilem*, etc. Non verosimile est, epistolarum amœbæarum Cleanthis et Aristonis argumenta fuisse posita in disquisitione hujus rei. Cleanthes itaque illam philosophiæ partem utilem esse dixit. Aristo

Digitized by Google

supervacuos[1]. Qui hanc partem videri volunt[2] supervacuam, hoc aiunt : Si quid oculis oppositum moratur aciem, removendum est : illo quidem objecto[3] operam perdidit, qui præcepit : « Sic ambulabis, illo manum porriges! » Eodem modo, ubi aliqua res obcæcat animum, et ad officiorum dispiciendum ordinem impedit, nihil agit, qui præcepit : « Sic vives cum patre, sic cum
5 uxore. » Nihil enim proficient præcepta, quamdiu menti error offusus est : si ille discutitur, apparebit quid cuique debeatur officio. Alioquin doces illum, quid sano faciendum sit, non efficis sanum. Pauperi, ut agat divitem, monstras; hoc quomodo manente paupertate fieri potest? Ostendis esurienti, quid tanquam satur faciat; fixam potius medullis famem detrahe. Idem tibi de omnibus vitiis dico : ipsa removenda sunt; non præcipien-
6 dum, quod fieri illis manentibus non potest. Nisi opiniones falsas, quibus laboramus, expuleris; nec avarus, quomodo pecunia utendum sit, exaudiet; nec timidus, quomodo periculosa[4] contemnat. Efficias oportet, ut sciat, pecuniam nec bonum, nec malum esse; ostendas illi miserrimos divites : efficias, ut, quidquid publice expavimus, sciat non esse tam timendum quam fama circum-
7 fert, nec dolere quoque[5], nec mori. Sæpe in morte, quam pati lex est, magnum esse solatium, quod ad neminem redit[6]; in dolore[7] pro remedio futuram obstina-

autem inutilem esse censebat. *Ruhk.*

1. *Utrum supervacuus sit* (ille locus de specialibus præceptis), *an omnes faciat supervacuos.* Suppl. alios locos, alias scientiæ partes.

2. *Qui hanc partem videri volunt,* sc. Aristo ejusque asseclæ. *Ruhk.*

3. *Illo quidem objecto.* Invitis libris vulgo, *illo non abjecto. Schw.*

4. *Periculosa*, *a. c. A.* Vulgo *pericula. Schw.*

5. *Nec dolere quoque*, *nec mori.* Int. nec dolorem, nec mortem ipsam tam timenda esse quam fama circumfert.

6. *Ad nem.... redit.* Quod mortis dolorem semel tantum pati possumus.

7. *In dolore.* Supple *sciat.*

Digitized by Google

tionem animi, qui levius sibi facit quidquid contumaciter passus est[1]. Optimam doloris esse naturam, quod non potest, nec, qui extenditur, magnus esse; nec, qui est magnus, extendi. Omnia fortiter excipienda[2], quæ nobis mundi necessitas imperat. His decretis quum illum in 8
conspectum suæ conditionis adduxeris, et cognoverit beatam esse vitam, non quæ secundum voluptatem est, sed secundum naturam; quum virtutem unicum bonum hominis adamaverit, turpitudinem solum malum fugerit; reliqua omnia, divitias, honores, bonam valetudinem, vires, imperia, scierit esse mediam partem, nec bonis annumerandam, nec malis: monitorem non desiderabit ad singula, qui dicat: « Sic incede, sic cœna! Hoc viro, hoc feminæ, hoc marito, hoc cælibi convenit! » Ista 9
enim[3] qui diligentissime monent, ipsi facere non possunt. Hæc pædagogus puero, hæc avia nepoti præcipit; et, irascendum non esse, magister iracundissimus disputat. Si ludum[4] litterarium intraveris, scies ista, quæ ingenti supercilio philosophi jactant, in puerili esse præscripto.

Utrum deinde manifesta[5], an dubia præcipies? Non 10

1. *Qui levius sibi facit quidquid cont. passus est.* Sic et Horatius Od. xx, lib. I: « Sed levius fit patientia Quidquid corrigere est nefas. »

2. *Excipienda*, *a. c. R. A.* non *accipienda*, ut vulgo. *Schw.*

3. *Ista enim... non possunt.* Specialia non possumus ex doctrina ista discere, sed ex exemplis, quæ videmus et ad quæ nos comparamus. Exempla autem præceptores isti dare non possunt multis ex causis, e. g. quia ætas, conditio, etc. impediunt, quia res, de quibus præcepta dant, sæpe mutantur, etc. Sic *pædagogus*, qui est servus, puero libero, sic *avia*, quæ est vetula, *nepoti* præcipiunt. *R.*

4. *Si ludum... præscripto*, vulgaria et trita esse ac pueris tantum digna, non qualibet ætate et nullis probationibus adjuta, etc. *Ruhk.* — *In præscripto*, i. e. in gnomis et sententiis quæ describendæ et ediscendæ proponuntur. Ita infra: « Pueri ad præscriptum discunt, digiti illorum tenentur. » Præscriptum ergo, exemplar. *Lipsius.*

5. *Utrum deinde manifesta.* Ruhk. *utrum manifesta deinde*: sic, inquit, Pinc. et Grut. mss. omnes. Antea le-

Digitized by Google

desiderant manifesta [1] monitorem; præcipienti dubia non creditur : supervacuum est ergo præcipere. [2] Id adeo sic disce. Si id mones, quod obscurum est et ambiguum, probationibus adjuvandum erit : si probaturus es, illa per quæ probas plus valent, satisque per se sunt. « Sic amico utere, sic cive, sic socio! — Quare? — quia justum est. » Omnia ista mihi *de Justitia* locus
11 tradit. Illic invenio æquitatem per se expetendam, nec metu nos ad illam cogi, nec mercede conduci; non esse justum, cui quidquam in hac virtute placet, præter ipsam. Hæc quum persuasi mihi et perbibi [3], quid ista præcepta proficiunt, quæ eruditum docent [4]? Præcepta dare scienti, supervacuum est; nescienti, parum. Audire enim debet, non tantum quid sibi præcipiatur, sed
12 etiam quare. Utrum, inquam, veras opiniones habenti de bonis malisque sunt necessaria, an non habenti? Qui non habet, nihil a te adjuvabitur; aures ejus contraria monitionibus tuis fama possedit [5] : qui habet exactum judicium de fugiendis petendisque, scit quid sibi faciendum sit, etiam te tacente. Tota ergo pars ista philosophiæ submoveri potest.

13 Duo sunt, propter quæ delinquimus : aut inest animo

gebatur *utrum manifesta demum*.

1. *Non desiderant manifesta monitorem*. Ruhk. qui scripsit *monitores*, interpretatur : non id agunt, ut certa proferant, quasi censuisset vocem *monitores* esse phrasis nominativum. Sensus est : Manifesta non egent monitore ut monstrentur.

2. *Id adeo*, i. e. igitur tali modo rem animo complectaris. *Ruhk*.

3. *Perbibi*. *Perhibui*, *prohibui*, aberrationes librariorum. *Ruhk*.

4. *Quæ eruditum docent*. At nobis in eo videtur utilis esse moralis præceptiva, quod quum omnes consentiant de regula generali ponenda, plurimi sæpe de eadem regula applicanda dissentiant. Apud omnes populos semper constitit colendam esse justitiam : sed aliud aliis justum sæpe visum est : ideo specialia præcepta utilia videntur, ut doceantur homines quomodo justitiam in variis vitæ officiis exerceant.

5. *Aures ejus... possedit*. I. opinio ab aliis admota ei persuasionem dedit

Digitized by Google

pravis opinionibus malitia contracta; aut, etiam si non est falsis occupatus, ad falsa proclivis est[1], et cito, specie quo non oportet trahente, corrumpitur. Itaque debemus aut percurare[2] mentem ægram, et vitiis liberare; aut vacantem quidem[3], sed ad pejora pronam, præoccupare. Utrumque decreta philosophiæ faciunt: ergo tale præcipiendi genus nil agit.

14 Præterea, si præcepta singulis damus, incomprehensibile opus est. Alia enim dare debemus fœneranti, alia colenti agrum, alia negotianti[4]; alia regum amicitias sequenti; alia pares, alia inferiores amaturo. In matrimonio præcipies[5], quomodo vivat cum uxore aliquis, quam virginem duxit; quomodo cum ea, quæ alicujus ante matrimonium experta est; quemadmodum cum locuplete; quem-
15 admodum cum indotata. An non putas aliquid esse discriminis inter sterilem et fœcundam, inter provectiorem et puellam, inter matrem et novercam? Omnes species complecti non possumus: atqui singulæ propria exigunt. Leges
16 autem philosophiæ breves sunt, et omnia alligant. Adjice nunc, quod sapientiæ præcepta[6] finita esse debent, et

contrariam tuis monitionibus, quæ itaque nihil proficient. *Ruhk.*

1. *Ad falsa proclivis est.* Quum omnes φαντασίαι (visa, species) per sensus cum animo, quippe qui in nascente infante cum pura charta comparabatur, communicentur, illi autem neque de bono, neque de malo judicare possint; recte vel malitia pravis opinionibus (ὑπολήψεσι) contrahi, vel animus ad falsa proclivis esse dicebatur, donec ratio, sine qua nullum bonum est, excoleretur. *Ruhk.*

2. *Percurare m. æ.* Sic recte codd. neque opus refingi *curare*, aut dubitari, annon *procurare*, quod Erasmus et quidam habuere, sit præponendum. *Gronov.*—Usum vocis confirmant lexica. *Ruhk.*

3. *Aut vacantem quidem*, id est, nullis pravis opinionibus occupatam: male in aliis libris legebatur *vagantem*. *Muretus.*

4. *Negotianti* i. e. mercatori, qui pecuniis in provincia fœnori locandis et quovis emptionis venditionisve genere quæstum faceret, sub imperatoribus. Cf. Ernesti Clavis Cic. h. v. et Petr. Burmann. ad Petron. c. 101. *Ruhk.*

5. *Præcipies.* Vulgo *præcipias*. *Schw.*

6. *Sapientiæ præcepta.* Vulgo le-

Digitized by Google

certa : si qua finiri non possunt, extra sapientiam sunt; sapientia rerum terminos novit. Ergo ista præceptiva pars submovenda est : quia, quod paucis promittit[1], præstare
17 omnibus non potest : sapientia autem omnes tenet. Inter insaniam publicam[2], et hanc, quæ medicis traditur, nihil interest; nisi quod hæc morbo laborat, illa opinionibus falsis. Altera causas furoris traxit ex valetudine; altera, animi mala valetudo est. Si quis furioso præcepta det, quomodo loqui debeat, quomodo procedere, quomodo in publico se gerere, quomodo in privato; erit ipso, quem monebit, insanior : scilicet bilis nigra[3] curanda est, et ipsa furoris causa removenda. Idem in hoc alio animi furore faciendum est : ipse discuti debet; alioquin abibunt in vanum monentium verba.

18 Hæc ab Aristone dicuntur. — Cui respondebimus ad singula. Primum adversus illud[4], quod ait, « si quid obstat oculo, et impedit visum, debere removeri. » Fateor, huic non esse opus præceptis ad videndum, sed remedio quo purgetur acies, et officientem sibi moram
19 effugiat. Natura enim videmus; cui usum sui reddit, qui removit obstantia. Quid autem cuique debeatur officio, natura non docet. Deinde cujus curata suffusio[5] est, is

gitur in edd. *sapientis præc. Schw.*

1. *Paucis promittit, præstare omnibus non potest :* præcepta enim dantur paucioribus tantum conditionibus, ut liberis in parentes, parentibus in liberos; sed non dari possunt omnibus conditionibus humanis, quæ diversis personarum qualitatibus, ingeniis, temporum et locorum respectu, ad infinitum variantur.

2. *Inter insaniam publicam* qua populi gentesque laborant, præter sapientem. Vide illud paradoxon stoicum : *omnes stultos* (qui neque philosophiæ student, neque sunt proficientes, neque sapientes) *insanire*. Horatium Serm. II, 3 hoc paradoxon traduxisse constat. *Ruhk.*

3. *Scilicet bilis nigra.* E Grut. mss. qui habent *Si*, probante Grutero, recepi. *Ruhk.*

4. *Primum adversus illud*, etc. Spectant hæc ad § 4 sq. : « Si quid oculis oppositum moratur aciem, removendum est, » etc. Docet noster, comparationem, qua Aristo usus erat, non convenire. *Ruhk.*

5. *Suffusio* oculorum, ὑπόχυσις.

Digitized by Google

non protinus, quum visum recepit, aliis quoque potest reddere : malitia liberatus et liberat[1]. Non opus est exhortatione[2], ne consilio quidem, ut colorum proprietates oculus intelligat; a nigro album, etiam nullo monente, distinguet : multis contra præceptis eget animus, ut videat, quid agendum sit in vita. Quanquam oculis 20
quoque ægros[3] medicus non tantum curat; sed etiam monet. Non est, inquit[4], quod protinus imbecillam aciem committas improbo[5] lumini; a tenebris primum ad umbrosa procede, deinde plus aude, et paulatim claram lucem pati assuesce : non est quod post cibum studeas; non est quod plenis oculis ac tumentibus imperes[6]; afflatum et vim frigoris in os occurrentis evita. Alia ejusmodi[7], quæ non minus quam medicamenta proficiunt,

Cels. VI, 6, 35 p. 371 bip. : suffusio, ait, quam Græci ὑπόχυσιν nominant, interdum oculi potentiæ, quæ cernit, se opponit. *Ruhk.*

1. *Malitia liberatus et liberat.* Int. Contra, qui malitia liberatus est, qui e vitiorum laqueis elapsus est, is alios docere potest quomodo vitia effugiant.

2. *Non opus est exhortatione.* Hic incipit aliud argumentum quo demonstratur quam falsa sit comparatio.

3. *Oculis quoque ægros.* Sic recte ms. *a.* non *oculos*, ut vulgo : nec enim *oculos* monet medicus, sed *ægros. Schw.*

4. *Non est, inquit* medicus. *R.*

5. *Improbo*, i. nimis forti. Cf. Heynius ad Virgil. Ge. I, 119. *Ruhk.*

6. *Oculis plenis ac tumentibus imperes.* Nuper vir doctus (in Novis litterar. univ.) abjecto verbo *evita*, jungenda ista censuit, *imperes afflatum... occurrentis. Schw.* — Lipsius explicans *plenis ac tumentibus*, sic, inquit, Sueton. Tiber. c. 7 *contentis ac tumentibus oculis prosequi* : quod fit, ubi figimus oculos, atque ipsos velut intendimus et spiritu implemus. Fit in amore, fit in diutino intuitu. Ex qua nota parum auxilii petendum est. Ruhkopf. locum pro suspecto habet. *Ambules*, inquit, aut tale quid exspectabam. Fuit, quum arbitrarer scriptum esse : *non est, quod p. a. t. o. ingeras afflatum et vim frigoris in os incurrentis : evita alia*, etc. Amat autem sic uti noster τῷ *ingerere*, e. c. § 68 : omnia ista exempla, quæ oculis atque auribus ingeruntur. — Locum optime interpret. *Lagrange : Ne forcez point vos yeux quand ils sont pleins et gonflés.* Schweigh. interpretatur quasi post *imperes*, intelligendum esset : ut post cibum libris et studiis sint intenti (oculi).

7. *Alia ejusmodi... adjicit remediis medicina consilia.* Postremum vocab. ex conjectura correxi. Vulgo

Digitized by Google

21 adjicit remediis medicina consilia. — « Error, [1] inquit, est causa peccandi; hunc nobis præcepta non detrahunt, nec expugnant opiniones de bonis ac malis falsas. » Concedo, per se efficacia præcepta non esse ad evertendam pravam animi persuasionem; sed non ideo, ne aliis quidem adjecta, proficiunt? Primum memoriam renovant; deinde, quæ in universo confusius videbantur, in partes
22 divisa diligentius considerantur. Aut tu [2] isto modo licet et consolationes dicas supervacuas, et exhortationes : atqui non sunt supervacuæ; ergo ne monitiones [3] quidem. — « Stultum est, inquit, præcipere ægro, quid facere tanquam sanus debeat; quum restituenda sanitas sit, sine qua irrita sunt præcepta. » Quid, quod habent ægri quædam sanique communia, de quibus admonendi sunt? tanquam, ne avide cibos appetant, ut lassitudinem vitent. Habent quædam præcepta communia pauper et di-
23 ves. — « Sana, inquit, avaritiam, et nihil habebis quod admoneas aut pauperem, aut divitem, si cupiditas utriusque considet [4]. » Quid quod aliud est, non concupiscere

consilium libri omnes : quod vocab. prorsus abjiciendum censuit idem, quem modo dicebam, vir doctus. Si teneas *consilium*, distinguenda fuerit oratio, ut in superioribus editionibus : *in os occurrentis evita : alia ejusmodi... proficiunt. Adjicit rem. med. consilium.* At sic otiose repetitum fuerit id quod paulo ante dixerat, *medicus non tantum curat, sed etiam monet. Schw.*

1. *Error, inquit.... proficiunt?* Aristo § 5. « Nihil enim proficient præcepta, quamdiu menti error offusus est. » Sed an ideo nullam utilitatem habent, nec si aliis e. c. memoriæ adjecta fuerint? (Nisi enim post : *proficiunt* signum interrog. ponas, nullum sensum elicies satis idoneum.) *Ruhk.*

2. *Aut tu.* Sic libri vett. *At tu* edd. a Gronov. *Schw.*

3. *Ergo ne monitiones quidem.* Recte hoc monet Seneca : magna adeo educationis pars et legum in vanum abibit. Enimvero non recte hic omisisse videtur sententiam Aristonis quum de virtute, quam in sola scientia boni malique, atque in habitu animi, quæ didicit, factis suis expromendi (φρονήσει s. ἐπιστήμη), tum de vitio, quod in una inscientia ponebat. Contra hanc divisionem et definitionem Chrysippus disputaverat. Cf. philolog. Bibl. l. l. *Ruhk.*

4. *Considet* tenent *a. c. A.* cum

Digitized by Google

pecuniam; aliud, uti pecunia scire? cujus avari modum ignorant, etiam non avari usum[1]. — « Tolle, inquit, errores; supervacua præcepta sunt. » Falsum est! puta enim avaritiam relaxatam; puta adstrictam esse luxuriam, temeritati frænos injectos, ignaviæ subditum calcar: etiam remotis vitiis, quid, et quemadmodum, debeamus facere, discendum est[2]. — « Nihil, inquit, efficient 24
monitiones, admotæ gravibus vitiis. » Ne medicina quidem morbos insanabiles vincit; tamen adhibetur aliis in remedium, aliis in levamentum. Ne ipsa quidem universæ philosophiæ vis, licet tota in hoc vires suas advocet, duram jam et veterem animis extrahet pestem; sed non ideo nihil sanat, quia non omnia. — « Quid prodest, inquit, aperta monstrare? » Plurimum! interdum enim scimus, nec attendimus. Non docet admonitio, sed ad- 25
vertit, sed excitat, sed memoriam continet, nec patitur elabi. Pleraque ante oculos posita transimus; admonere, genus adhortandi est. Sæpe animus etiam aperta dissimulat; ingerenda est itaque illi notitia rerum notissimarum. Illa hoc loco in Vatinium[3] Calvi repetenda sententia est: « Factum esse ambitum, scitis; et, hoc vos scire, omnes sciunt. » Scis, amicitias sancte colendas esse; sed non facis: scis, improbum esse qui ab uxore pudicitiam exi- 26
git, ipse alienarum corruptor uxorum: scis, ut illi nil cum adultero, sic tibi nil esse debere cum pellice; et non facis. Itaque subinde reducendus es ad memoriam:

edd. *Consedit* malebam, aut *consederit*. *Consideret* habet ed. *R.* pro quo nescio an *considerit* dare debuerit, a verbo *Considо*. *Schw.*

1. *Quid quod.... usum.* Refutat Noster comparationem Aristonis. Vitia, quibus uterque laborat, non ex eodem fonte manant: ille ignorat modum, hic pauper malum usum. *R.*

2. *Discendum est.* Carere enim vitiis, ea innocentia est: at philosophia non solum innocentem, sed etiam virtute præditum efficere tendit. Ergo nos docere debet quomodo virtus exercenda sit.

3. *Vatinium*, quem in gratiam

Digitized by Google

non enim reposita illa esse oportet, sed in promptu. Quæcumque salutaria sunt, sæpe agitari debent, sæpe versari; ut non tantum nota sint nobis, sed etiam parata.
27 Adjice nunc, quod aperta quoque apertiora fieri solent. — « Si dubia sunt, inquit[1], quæ præcipis, probationes adjicere debebis : ergo illæ, non præcepta, proficient. » — Quid[2] quod, etiam sine probationibus, ipsa monentis auctoritas prodest? sic quomodo jurisconsultorum valent responsa, etiam si ratio non redditur. Præterea ipsa, quæ præcipiuntur, per se multum habent ponderis, utique si aut carmini intexta sunt, aut prosa oratione in
28 sententiam coarctata; sicut illa Catoniana[3], « Emas, non quod opus est, sed quod necesse est. Quod non opus est, asse carum est. » Qualia sunt illa, aut reddita oraculo, aut similia : « Tempori parce ! Te nosce ! » Numquid rationem exiges, quum tibi aliquis hos dixerit versus?

Injuriarum remedium est oblivio.
Audentes fortuna juvat.
Piger ipse sibi obstat[4].

29 Advocatum ista non quærunt; affectus ipsos tangunt, et natura vim suam exercente proficiunt. Omnium honestarum rerum semina animi gerunt, quæ admonitione excitantur; non aliter quam scintilla, flatu levi adjuta, ignem suum explicat. Erigitur virtus, quum tacta est et impulsa. Præterea quædam sunt quidem in animo, sed parum prompta; quæ incipiunt in expedito esse, quum

Cæsaris et Pompeii Cicero defendit, C. Licinius Calvus accusavit ambitus crimine. Cf. Nic. Faber ad M. Senecæ III Controvers. 19, 8. *Ruhk.*

1. *Si dubia sunt, inquit.* Aristo, supra § 10. *Ruhk.*

2. *Quid...redditur.* Seneca est responsio. Vides tamen, hæc et multa alia, quæ hic profert Noster, parum ponderis habere posse ad Aristonis sententiam evertendam, quippe qui omnia ad rectam scientiam et habitum animi retulerat. *Ruhk.*

3. *Catoniana.* Cf. Erasmi Adag. Chil. IV. Cent. IV, penult.

4. *Injuriarum.... obstat.* Versus

Digitized by Google

dicta sunt. Quædam diversis locis jacent sparsa, quæ contrahere inexercitata mens non potest. Itaque in unum 30
conferenda sunt, et jungenda, ut plus valeant, animumque magis allevent. Aut, si præcepta nihil adjuvant, omnis institutio tollenda est; ipsa natura contenti esse debemus. Hoc qui dicunt[1], non vident, alium ingenii esse mobilis et erecti, alium tardi et hebetis; utique alium alio ingeniosiorem[2]. Ingenii vis præceptis alitur et crescit, novasque persuasiones adjicit innatis, et depravata corrigit.

« Si quis, inquit, non habet recta decreta, quid illum 31
admonitiones juvabunt vitiis obligatum? » Hoc scilicet, ut illis liberetur. Non enim exstincta in illo indoles naturalis est, sed obscurata, et oppressa: sic quoque tentat resurgere, et contra prava nititur: nacta vero præsidium, et adjuta præceptis, convalescit[3]; si tamen illam diutina pestis non infecit[4], nec enecuit; hanc enim ne disciplina quidem philosophiæ, toto impetu suo connisa, restituet. Quid enim interest inter decreta philosophiæ 32
et præcepta, nisi quod illa generalia præcepta sunt, hæc specialia? Utraque res præcipit: sed altera in totum, particulatim altera. — « Si quis, inquit, recta habet et honesta decreta, hic ex supervacuo monetur. » Minime! nam hic quoque doctus quidem est facere, quæ debet;

hi fortasse e Publii Syri mimis, quos Nostrum magni fecisse constat, repetiti sunt: mox in proverbia abierunt, idque merito. *Ruhk.*

1. *Hoc qui dicunt*, scilicet præcepta nihil proficere ad virtutem suadendam.

2. *Alium alio ingeniosiorem.* Sic *a. c. A.* Vulgo *alius alio ingeniosior est* ex ed. *R. Schw.*

3. *Convalescit.* Sic vulgo. *Evalescit* dat Schw. ex *a. c. A.*

4. *Si tamen illam diutina pestis non infecit, nec. e.* Sic omnes mss. Muretus tamen Pinciannm secutus dedit: *pestis infecit.* — *Si tamen.... enecuit*, i. e. Præceptorum ope bona indoles naturalis convalescit, ea tamen conditione, ut morbo diutino non omnino corrupta ac interempta

Digitized by Google

33 sed hæc non satis perspicit[1]. Non enim tantum affectibus impedimur, quo minus probanda faciamus, sed imperitia inveniendi quid quæque res exigat. Habemus interdum compositum animum, sed residem, et inexercitatum ad inveniendam officiorum viam, quam admonitio demonstrat. — « Expelle, inquit, falsas opiniones de bonis et malis, in locum autem earum veras repone; et nihil
34 habebit admonitio quod agat. » Ordinatur sine dubio ista ratione animus; sed non ista tantum. Nam quamvis argumentis collectum sit, quæ bona, quæ mala sint; nihilominus habent præcepta partes suas : et prudentia, et justitia officiis constant; officia præceptis disponuntur. Præterea ipsum de bonis malisque judicium confirmatur officiorum exsecutione, ad quam præcepta perducunt. Utraque enim inter se consentiunt : nec illa possunt præcedere[2], ut non hæc sequantur; et hæc ordinem sequun-
35 tur suum : unde apparet illa præcedere. — « Infinita, inquit, præcepta sunt. » Falsum est! Nam de maximis ac necessariis rebus non sunt infinita; tenues autem differentias habent, quas exigunt tempora, loca, personæ.
36 Sed his quoque dantur præcepta generalia. — « Nemo, inquit[3], præceptis curat insaniam; ergo ne malitiam quidem. » Dissimile est! Nam si insaniam sustuleris, sanitas

sit. Sic periodus hæc antecedenti satis bene jungitur. *Ruhk.*

1. *Sed hæc non satis perspicit.* Sic *p. c.* Vulgo *sed ad hæc* (*adhuc* Mur.) *n. s. p. S.* — I. e. non perspicit quæ debeat facere. Ruhk. interpret. non ita profecit, ut particulatim omnia prospiceret, quæ obstant, quo minus virtutem exerceat, officiisque satisfaciat : etiamsi sit *compositus animus*, ad virtutem proclivis, ordinatusque.

2. *Nec illa possunt præcedere.* Int. nec generalia principia quibus de bonis malisque judicamus possunt præcedere, quin præcepta specialia sequantur : nam illa specialia necessario derivantur e generalibus præceptis, quorum nihil aliud sunt quam applicatio. Bene vertit *Lagrange* hanc sententiam : *Les préceptes sont toujours d'accord avec les principes; on ne peut établir ceux-ci que ceux-là n'en soient la conséquence.*

3. *Inquit.* Hæc Aristo § 17.

Digitized by Google

reddita est : si falsas opiniones exclusimus, non statim sequitur dispectus rerum agendarum : ut sequatur, tamen admonitio corroborabit rectam de bonis malisque sententiam. Illud quoque falsum est, nihil apud insanos proficere præcepta : nam quemadmodum sola non prosunt, sic curationem adjuvant; et denuntiatio [1], et castigatio insanos coercuit. De illis insanis nunc loquor, quibus mens mota est, non erepta.

« Leges, inquit, ut faciamus quod oportet, non ef- 37
ficiunt : et quid aliud sunt, quam minis mixta præcepta ? » — Primum omnium, ob hoc illæ non persuadent, quia minantur; at hæc non cogunt, sed exorant. Deinde leges a scelere deterrent; præcepta in officium adhortantur. His adjice, quod leges quoque proficiunt ad bonos mo-
res; utique si non tantum imperant, sed docent [2]. In hac 38
re dissentio a Posidonio; qui : « Non probo quod [3] Platonis legibus adjecta principia sunt [4] : Legem [5] enim

1. *Denuntiatio*, i. e. criminatio, periculi admonitio. *Lips.*

2. *Utique si non tantum imperant, sed docent.... Posidonio.* Censebat igitur Posidonius, leges proœmiis atque explicationibus carere debere, in quo discedebat Noster ab eo. Quidam tamen, et inter illos Ruhk. contrariam Posidonio tribuunt opinionem, et Senecam *principia legibus adjecta* improbare fingunt. Vid. not. seq.

3. *Qui : « Non probo quod.* Sic nos tentavimus ex Mureto, qui ex ingenio : *non probo quod* (sine *qui*) dedit, ab omnibus editionibus diu receptum, et ex Schw. qui dedit : *qui pro eo quod* ex mss. *a.* et Pal. 2 ; *pro eo quod* (absque *qui*) *c. R. A.* Supplendum est, *ait Posidonius*, post *probo.*

4. *Legibus adjecta pr. sunt.* Quod probat Cicero de Legg. II, 6 : « Sed ut.... fecit Plato, id mihi credo faciendum, ut, priusquam ipsam legem recitem, de ejus legis laude (i. e. commendatione) dicam. » Egregie monet Heynius Opusc. acad. II, p. 43, in tam diversa judicia eamdem hanc rem distrahi posse pro diverso hominum sensu, pro diversoque rerum hominumque respectu : alter servilibus ingeniis imperari, ingenuis et civilibus præcipi vult alter. Seneca respexit leges romanas : ea enim, quæ jure civili constituuntur, vix proœmia vulgus de juris aut ratione aut æquitate edocentia admittunt : at in istis legg. ea, quam politiam vocamus, vel maxime continebatur una cum ethicis. Plato de proœmiis legibus præmittendis exposuit De Legg. IV, p. 198 et init. l. V, t. VIII bip. *R.*

5. *Legem enim.* Hic tantum in ed.

Digitized by Google

brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur. Velut emissa divinitus vox sit : jubeat, non disputet. Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quam lex cum prologo[1]. Mone, dic, quid me velis fecisse! non disco, sed pareo. » Proficiunt vero[2] : itaque malis mo-
39 ribus[3] uti videbis civitates usas malis legibus. — « At non[4] apud omnes proficiunt! »—Ne philosophia quidem : nec ideo inutilis, et formandis animis inefficax est : quid autem Philosophia, nisi vitæ lex est? Sed, putemus non proficere leges; non ideo sequitur, ut ne monitiones quidem proficiant : aut sic et consolationes nega proficere, dissuasionesque, et adhortationes, et objurgationes, et
40 laudationes. Omnia ista monitionum genera sunt; per ista ad perfectum animi statum pervenitur. Nulla res magis animis honesta induit[5], dubiosque et in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quam bonorum virorum conversatio. Paulatim enim descendit in pectora, et vim præcepti obtinet, frequenter aspici, frequenter audiri. Occursus mehercules ipse sapientium juvat; et est ali-
41 quid, quod ex magno viro vel tacente proficias. Nec tibi facile dixerim quemadmodum prosit, sicut illud intel-

Schw. incipit Posidonius loqui : itaque adjecit ex conject. verbum *ait*, quod abest libris. Suspicari poteras, inquit, delendam vocem *enim*, et ejus loco ponendum verbum *ait*. *S.* — Omnia fiunt perspicua, si verba Posidonii incipiant a *non probo*.

1. *Lex cum prologo. Mone, dic*, etc. Sic vulgo ex conject. Erasmi. *Lex cum prolegomene. Dic* etc. mss. *a. c. Prologomene R. A. Prolegumene* e suis citavit Grut. *Schw.*

2. *Proficiunt vero* (supple *leges*, qualescumque sint). De nostra hoc conjectura est. *Proficiuntur* dabat ms. *a.* cum Pal. 1, et 4, ubi sub duabus postremis litteris particulam *vero* suspicatus eram latere. Vulgo nude *Proficiunt : itaque malis morib.* etc. Conjectare etiam poteras, collatis præsertim Gruterianis lectionibus, *Proficiunt utique : itaque*, etc. *S.*

3. *Itaque malis moribus.* Itaque videmus malis moribus uti eas civitates, quæ malis legibus utebantur. *R.*

4. *At non.... proficiunt.* Objectio nova est Aristonis : cui respondent illa : *Ne philosophia... est? Ruhk.*

5. *Nulla res magis animis honesta induit.* Sic ms. *a.* ut vulgo. Sed *animos c. R. A.* unde cum Grutero conjicias, *animos honesto induit. S.*

Digitized by Google

ligo[1], profuisse[2]. « Minuta quædam, ut ait Phædo[3], animalia, quum mordent, non sentiuntur; adeo tenuis illis et fallens in periculum vis est : tumor indicat morsum, et in ipso tumore nullum vulnus apparet. Idem tibi in conversatione virorum sapientium eveniet : non deprehendes quemadmodum, aut quando tibi prosit; profuisse deprehendes. » — Quorsus, inquis[4], hoc pertinet? — Æque præcepta bona, si sæpe tecum sint, profutura, 42
quam bona exempla. Pythagoras[5] ait, « alium animum fieri intrantibus templum, Deorumque simulacra ex vicino cernentibus, et alicujus oraculi[6] opperientibus vocem. »

Quis autem negaverit, feriri quibusdam præceptis efficaciter etiam imperitissimos? velut his brevissimis vo- 43
cibus, sed multum habentibus ponderis :

..... Nihil nimis[7]!
Avarus[8] animus nullo satiatur lucro.
Ab alio exspectes, alteri quod feceris.

Hæc cum ictu quodam audimus, nec ulli licet dubitare,

1. *Sicut illud intelligo.* Et hoc nostra de conject. Vulgo *sic ut illud intelligam. Schw.*

2. *Nec tibi... profuisse.* Int. quamquam facile intelligo mihi profuisse, non possum facile dicere quemadmodum profuerit mihi conversatio illa bonorum.

3. *Phædo.* Phædo Eliensis, Eliacæ sectæ auctor, Socratis discipulus, cujus nomine Dialogum celeberrimum de immortalitate animæ inscripsit Plato. Scripsit Dialogos, qui omnes periere, et unde hæc, quæ laudavit noster, desumpta sunt. Cf. Fabricii Bibl. græc. lib. II, c. 23; § 39. Hamb.

4. *Inquis* recte libri vett. Vulgo *inquit. Schw.*

5. *Pythagoras.* Hoc ita apud Cic. II de Legg. c. 11 : « Et illud bene dictum est a Pythagora, doctissimo viro, tum maxime et pietatem et religionem versari in animis, quum rebus divinis operam daremus. » *Lips.*

6. *Et alicujus oraculi* etc. Sic *a. c. R. A.* ut vulgo : sed videtur cum Pinc. et Palat. 2. et Col. in hunc modum supplenda oratio, *et alium ante fores alicujus* etc. nisi uberius etiam, *et alium ante fores stantibus, et alicujus*, etc. *Schw.*

7. *Nihil nimis.* Chilonis effatum. Plinius lib. VII, cap. 32 dicit hujus sapientis præcepta litteris aureis in fronte templi Delphici scripta fuisse.

8. *Avarus*, etc. Hic versus et sequens e Publii Syri sententiis repetiti esse videntur. *Ruhk.*

Digitized by Google

aut interrogare, *quare?* Adeo, etiam sine ratione, ipsa veritas ducit. Si reverentia frænat animos ac vitia com-
44 pescit, cur non et admonitio idem possit? Si imponit pudorem castigatio, cur admonitio non faciat, etiam si nudis præceptis utitur? Illa vero efficacior est, et altius penetrat, quæ adjuvat ratione quod præcipit; quæ adjicit, quare quidque faciendum sit, et quis facientem obedientemque præceptis fructus exspectet. Si imperio proficitur, et admonitione : atqui proficitur imperio;
45 ergo et admonitione. In duas partes[1] virtus dividitur, in contemplationem veri, et actionem; contemplationem institutio tradit, actionem admonitio. Virtutem et exercet, et ostendit recta actio : acturo autem si prodest qui suadet, et, qui monet, proderit. Ergo si recta actio virtuti necessaria est, rectas autem actiones admonitio demonstrat; et admonitio necessaria est. Duæ res plurimum roboris animo dant, fides veri, et fiducia : utram-
46 que admonitio facit. Nam et creditur illi; et, quum creditum est, magnos animus spiritus concipit ac fiducia impletur : ergo admonitio non est supervacua. M. Agrippa[2], vir ingentis animi, qui solus ex his, quos civilia bella claros potentesque fecerunt, felix in publicum[3] fuit, dicere solebat, multum se huic debere sententiæ : « Nam

1. *In duas partes.* Hæc est Stoæ divisio, quam sæpe explicat Noster, e. c. de Vita Beat. 31, 32, cf. supra ad §. 22. Attigit hanc divisionem Lipsius in Manud. II, 5. *Ruhk.*

2. *M. Agrippa.* M. Vipsanius Agrippa inde ab a. U. 733 gener Augusti, cujus fortunam jam diu ante egregie auxerat : a. U. 714 erat prætor, deinde victor Sext. Pompeii et M. Antonii pluribus præliis : mort. a. U. c. 742, ante Christ. 12. Cf. de viro hoc præstantissimo *l'Histoire de l'Acad. des Inscript.* Vol. XL, 37 sqq. *Ruhk.*

3. *Felix in publicum fuit. Lagrange* vertit : *Fut seul heureux contre la république.* Quid autem? Cæsar, Augustus non fuere felices in rempublicam, qui libertatem everterunt? deinde vox *publicum* non sumitur pro republica : prorsus quid intellexerit Seneca, non facile est dicere : forsan, si ad sequentia respexeris, ere-

Digitized by Google

concordia[1] parvæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur.» Hac se, aiebat, et fratrem, et amicum optimum 47
factum. Si ejusmodi sententiæ, familiariter in animum receptæ, formant eum; cur non hæc pars philosophiæ, quæ talibus sententiis constat, idem possit? Pars virtutis disciplina constat, pars exercitatione: et discas oportet, et, quod didicisti, agendo confirmes. Quod si ita est, non tantum scita sapientiæ prosunt, sed etiam præcepta; quæ affectus nostros velut edicto[2] coercent, et alligant[3].

« Philosophia, inquit[4], dividitur in hæc, scientiam, 48
et habitum[5] animi. Illam qui didicit, et facienda ac vitanda percepit, nondum sapiens est, nisi in ea, quæ didicit, animus ejus transfiguratus est. Tertia ista pars præcipiendi[6], ex utroque est, et ex decretis, et ex habitu: itaque supervacua est ad implendam virtutem, quum duo illa sufficiant. » Isto ergo modo et consolatio 49

das sensum esse, Agrippam minime inimicitiis laboravisse, atque omnium partium æque sibi existimationem conciliavisse. Præterea *publicum* privatæ vitæ, quam non beatissimam fuisse notum est, opponitur.

1. *Nam concordia.* Abesse malles conjunctionem *nam*, sed tenent eam libri omnes. *Schw.*

2. *Velut edicto.* Allusum est ad morem ejus ævi, quo principes edicta in publico proponebant, populo admonendo, castigando, coercendo. Notavi ad lib. III. Annal. Taciti. *L.*

3. *Coercent et alligant.* Quum Pinc. in nonnullis codd. invenisset *c. et ablegant*, et sic Gruteriani duo habeant, illum egregium criticum quidam secuti sunt, qui vulgata, quam codd. tutantur, sublata, *ablegant* recipere mallent. Sed recte Gronov. defendit vulgatam, qui opportune meminerit, placere τὸ *alligare* auctori pro *ligare* et *colligare*, ubi nempe his vulgarius utimur. *Ruhk.*

4. *Philosophia, inquit,* Aristo. Cf. supra ad §. 22. Quia Aristo animum nostrum una judicandi vi (λογικῇ καὶ κριτικῇ δυνάμει) contineri putabat, unam quoque animi virtutem statuebat, scientiam boni malique. Hæc contemplativam partem constituebat. Activa constabat, secundum eum, habitu animi, prudentia (φρονήσει), quæ et temperantia (σωφροσύνη), justitia, fortitudo vocaretur. *Ruhk.*

5. *Scientiam et habitum.* Scientiam, quæ decretis constat: habitum, qui ab actione et exercitio illorum paratur. *Lips.*

6. *Tertia ista pars præcipiendi.* Int. tertia ista pars quam philosophiæ

Digitized by Google

supervacua est, nam hæc quoque ex utroque est; et adhortatio, et suasio, et ipsa argumentatio; nam et hæc ab habitu animi compositi validique proficiscitur. Sed quamvis ista ex optimo habitu animi veniant; optimus animi habitus et facit illa, et ex illis ipse fit[1]. Deinde istud, quod dicis, jam perfecti viri est, ac summam consecuti felicitatis humanæ. Ad hæc autem tarde pervenitur; interim etiam imperfecto, sed proficienti, de-
50 monstranda est in rebus agendis via. Hanc forsitan etiam sine admonitione dabit sibi ipsa Sapientia; quæ jam eo perduxit animum, ut moveri nequeat, nisi in rectum: imbecillioribus quidem ingeniis necessarium est aliquem præire, «Hoc vitabis, hoc facies.» Præterea, si exspectat tempus, quo per se sciat, quid optimum factu sit; interim errabit, et errando impedietur, quo minus ad illud perveniat, quo possit se esse contentus: regi ergo debet,
51 dum incipit posse se regere. Pueri ad præscriptum discunt; digiti illorum tenentur, et aliena manu per litterarum simulacra ducuntur; deinde imitari jubentur proposita, et ad illa reformare chirographum: sic animus noster, dum eruditur ad præscriptum, juvatur.

Hæc sunt per quæ probatur, hanc Philosophiæ partem
52 supervacuam non esse. Quæritur deinde[2], an ad faciendum Sapientem sola sufficiat. Huic quæstioni suum diem dabimus[3]: interim, omissis argumentis, nonne apparet

addere vultis et quæ præceptis constaret.

1. *Sed quamvis ista ex optimo animi habitu veniant; optimus animi habitus et facit illa, et ex illis ipse fit.* Sic percommode ms. *a. S.*— Vulgo abest *optimo* ante *habitu*, et pro *et facit illa, et ex illis ipse fit*, legitur *et ex his est, et ex illis.*

2. *Quæritur deinde.... dabimus.* Hoc præstitit Noster in Ep. CXV. Transit ad ea, quæ jam sæpius, inpr. Ep. LXXXIX, sq. tractaverat, inculcanda, ut, subtiliori disputatione omissa, monstret, monitionibus contra populi præcepta, i. e. præjudicia et vitia opus esse. *Ruhk.*

3. *Suum diem dabimus.* In epis-

Digitized by Google

opus esse nobis aliquo advocato, qui contra populi præcepta præcipiat? Nulla ad aures nostras vox impune perfertur: nocent, qui optant; nocent, qui exsecrantur: nam et horum imprecatio falsos nobis metus inserit, et illorum amor male docet bene optando[1]. Mittit enim nos ad 53
longinqua bona, et incerta et errantia, quum possimus felicitatem domo promere. Non licet, inquam, ire recta via: trahunt in pravum parentes, trahunt servi; nemo errat uni sibi, sed dementiam spargit in proximos, accipitque invicem. Et ideo in singulis vitia populorum sunt, quia illa populus dedit. Dum facit quisque pejorem, factus est: didicit deteriora, deinde docuit; effec- 54
taque est ingens illa nequitia, congesto in unum, quod cuique pessimum scitur. Sit ergo aliquis custos, et aurem subinde pervellat, abigatque rumores, et reclamet populis laudantibus. Erras enim, si existimas nobiscum vitia nasci[2]: supervenerunt, ingesta sunt. Itaque monitionibus crebris convicia[3], quæ nos circumsonant, repellantur. Nulli nos[4] vitio natura conciliat; integros

tola sequenti § 1: *Petis a me, ut id quod in diem suum dixeram debere referri, repræsentem.*

1. *Male docet bene optando.* Optando nobis ea quæ bona existimant, animum nostrum in errorem inducunt de appetendis fugiendisque: optant enim divitias, potentiam, et cætera fortuita.

2. *Nobiscum vitia nasci.* Hoc enim stoici fortiter abnuunt, et volunt natura bonos esse. Vide Manud. II, Dissert. x. *Lips.*

3. *Convicia, quæ nos circumsonant, repellantur.* Vulgo, *opiniones... compescamus.* Sed *repellantur* dedere *a. c. A.* Pal. 2. et Pinc. Tum *opiniones* quidem cum aliis tenet etiam ms. *a.* in contextu; sed superne scriptum est antiqua manu vocab. *convicia* (i. e. confusas voces, clamores), quod haud dubie ex vetere veraque scriptura servatum esse judicavi. *Schw.*

4. *Nulli nos... genuit.* Anima infantis nascentis quum ante corpus suum non adsit, sequitur, ante ejus cum corpore conjunctionem nullas notiones ideasque innatas, quas vocamus, habere: atque propterea comparabant veteres, utique Stoici, eam cum pura charta, in qua pars rationalis s. principalis (τὸ ἡγεμονικὸν μέρος τῆς ψυχῆς) quasi inscriberet, quæ per sensus et experientiam allapsa essent. « Non autem dat natura virtutem, ait

Digitized by Google

55 ac liberos genuit. Nihil[1], quo avaritiam nostram irritaret, posuit in aperto; pedibus aurum argentumque subjecit; calcandumque ac premendum dedit quidquid est, propter quod calcamur ac premimur. Illa vultus nostros erexit ad cælum[2], et, quidquid magnificum mirumque fecerat, videri a suspicientibus voluit; ortus occasusque, et properantis mundi volubilem cursum, interdiu terrena aperientem, noctu cælestia; tardos siderum inces-
56 sus, si compares toti[3]; citatissimos, si cogites quanta spatia nunquam intermissa velocitate circumeant; defectus solis ac lunæ, invicem obstantium; alia[4] deinceps digna miratu, sive per ordinem subeunt, sive[5] subitis causis mota prosiliunt, ut nocturni ignium tractus, et sine ullo ictu sonituque[6] fulgores cæli fatiscentis[7], co-
57 lumnæque ac trabes, et varia simulacra flammarum. Hæc

Noster Ep. XC fin. ars est bonum fieri etc.» Cf. Plutarch. de Placit. ph. IV, 11. To. XII, p. 448, Hutten. *R.*

1. *Nihil... premimur.* Conf. supra, p. 65, n. 4. Alii: *nihil quidem quod.*

2. *Vultus erex.* Ovid.: «Os homini sublime dedit cælumque tueri Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.»

3. *Si compares toti.* I. cælo quod percurrunt.

4. *Obstantium; alia.* Pro maximo puncto, quod vulgo hic ponitur, nos tantummodo semicolon adhibuimus, quum enumerationis sit finis. Nec obest quod *nocturni tractus*, quod sequitur, est in plurali numero, quum intelligendum sit *prosiliunt.*

5. *Subitis causis.* Recte ed. Ruhk. et sic *a. c. A.* non *subditis.* Præfero illud, ut oppositum iis, quæ per ordinem veniunt. *Schw.*

6. *Sine ullo ictu sonituque.* Vide Nat. Quæst. I, 14 et 15. *Ruhk.*

7. *Fatiscentis.* Vulgata est lectio, quacum *patesc.* s. *patiscentis* in codd. confunditur, et ap. Tibull. l. 5, 67. τοῦ *fatiscere* interpretamentum est *patescere. Ruhk.*—Schweig. dat *fatiscentes. Patescentes* dabat ms. *a.* cum ed. *R.* et codicibus Pinc. et Grut. omnibus; ubi sic distincta verba voluit Pinc. *fulgores, cæli patescentes*, quod et Lipsio placuit, *patiscentis* tamen scribenti, nempe terminatione *is* pro *es. Fulgores cæli fatiscentis* primus edidit Erasmus, nescio utrum ex conject. an e vet. cod. quem quidem nullum novimus. Placuit tamen id verbum, sed ea terminatione quam codices nostri præiverunt: nec vero satis nobis liquet. Erasmi scripturam tenuit Mur. et revocavit Ruhk. Ms. *c.* et ed. *A.* vitiose haud dubie, *fulgores cæli columnasque patescentes*, et omittunt duas voces *ac trabes*, quas agnoscit ms. *a.* cum aliis. Sed *columnasque* agnoscunt item alii vet. libri omnes. *Schw.*

Digitized by Google

supra nos itura[1] disponit[2]: aurum quidem et [3]argentum, et propter ista nunquam pacem agens ferrum, quasi male nobis committerentur, abscondit. Nos in lucem, propter quæ pugnaremus, extulimus; nos et causas periculorum nostrorum, et instrumenta, disjecto terrarum pondere, eruimus; nos fortunæ mala nostra [4] tradidimus, nec erubescimus summa apud nos haberi, quæ fuerant ima terrarum. Vis scire[5], quam falsus oculos tuos dece- 58
perit[6] fulgor? nihil est istis, quamdiu mersa et involuta cœno suo jacent, fœdius, nihil obscurius. Quidni? quando per longissimorum cuniculorum tenebras extrahuntur, nihil est illis, dum fiunt et a fæce sua separantur, informius. Denique ipsos opifices intuere, per quorum manus sterile terræ genus et informe perpurgatur; videbis, quanta fuligine oblinantur. Atqui ista magis inquinant animos, quam corpora; et in possessore eorum, quam in artifice, plus sordium est.

Necessarium itaque est admoneri, et habere aliquem 59
advocatum bonæ mentis, et in tanto[7] fremitu tumultuque falsorum unam[8] denique audire vocem. Quæ erit illa

1. *Hæc supra nos itura d.* omnes codd. dant. Ante Grut. *hæc supra nos natura d. Ruhk.*

2. *Disponit.* Corrige *disposuit*, ut est in *a. c. R. A.* et apud Pinc. et Grut. *Schw.*

3. *Aurum quidem et argentum.* Similis sententia quædam de Benef. VII, 10, et Plin. XXXIII, init.: « Terra et hæc (juvantia) summa sui parte tribuit, ut minime parca facilis que in omnibus, quæ prosunt. Illa nos premunt, illa nos ad inferos agunt, quæ occultavit atque demersit. » *R.*

4. *Nos fortunæ mala nostra tradidimus.* Bene vertit *Lagrange*: *Nous avons rendu la fortune l'arbitre de nos maux.* Etenim quum felicitatem in divitiis posuerimus, illa felicitas in manibus est fortunæ, quæ arbitrio suo divitias largitur et aufert.

5. *Vis scire... fulgor.* Cf. Mitscherlich ad Hor. Carm. II, 2, 2: «Nullus argento color est, avaris Abdito terris.» *Ruhk.*

6. *Deceperit.* Perperam *decipit* vulg. edd. *Schw.*

7. *Et in tanto.* Ex conject. correxi. Monstrose *etantanto* scribitur in *a.* nec minus vitiose *e tanto* in *c. R. A.* Vulgo *eque tanto. Schw.*

8. *Unam denique audire.* Pincia-

Digitized by Google

vox? ea scilicet, quæ tibi tantis clamoribus ambitiosis exsurdato, salubria insusurret verba; quæ dicat: Non est, quod invideas istis, quos magnos felicesque populus vocat; non est, quod tibi compositæ mentis habitum et
60 sanitatem plausus excutiat; non est, quod tibi tranquillitatis tuæ fastidium faciat ille, sub illis fascibus[1], purpura cultus; non est, quod feliciorem eum judices cui submovetur, quam te[2], quem lictor semita[3] dejicit. Si vis exercere tibi utile, nulli autem grave imperium, submove vitia. Multi inveniuntur, qui ignem inferant urbibus; qui inexpugnabilia sæculis, et per aliquot ætates tuta, prosternant; qui æquum arcibus aggerem attollant, et muros in miram altitudinem eductos arietibus ac ma-
61 chinis quassent; multi sunt, qui ante se agant agmina, et tergis hostium graves instent, et ad mare magnum perfusi cæde gentium veniant: sed hi quoque, ut vincerent hostem, cupiditate victi sunt. Nemo illis venientibus restitit; sed nec ipsi ambitioni crudelitatique restiterant: tunc, quum agere visi sunt alios, agebantur. Agebat infelicem Alexandrum[4] furor aliena vastandi, et ad ignota
62 mittebat. An tu putas sanum[5], qui a Græciæ primum

nus vellet *veram*: possis et, *vivam*.

1. *Sub illis fascibus*. Qui erecti præeunt: ideo *sub illis*. Intelligit magistratum aut imperium. *L.* — Similia sunt Horatii Carm. II, 16, 8 sqq. ubi cf. Mitscherlich.: « Otium non gemmis, neque purpura venale neque auro. Non enim gazæ, neque consularis Submovet lictor miseros tumultus Mentis etc. » *Ruhk.*

2. *Te* omnes codd. servant, omissum ab omnibus edd. restitui. *R.*

3. *Quem lictor semita*. Nam in submovendo populo manu et virga etiam lictores impellebant. Vide me de tota re Elector. I, cap. XXII. *Lips.*

4. *Infelicem Alexandrum*. De Alexandro, quem non ex Historia, sed ex declamationibus cognitum habebat Noster, iniquum esse judicium, tota ejus historia clamat: etiamsi enim constet, Alexandrum domandorum populorum fuisse cupidum, tamen inde non sequitur, eum furore aliena devastandi esse correptum. Alexandria ab eo exstructa testimonio est satis luculento, quo illa acerbior quam justior accusatio refutetur. Cf. ad Ep. XCI, 17. *Ruhk.*

5. *An tu putas sanum... mordent.*

Digitized by Google

cladibus, in qua eruditus est, incipit? qui, quod cuique optimum est, eripit; Lacedæmona[1] servire jubet, Athenas tacere; non contentus tot civitatum strage, quas aut vicerat Philippus, aut emerat, alias alio loco projicit, et toto orbe arma circumfert; nec subsistit usquam lassa crudelitas, immanium ferarum modo, quæ plus, quam exigit fames, mordent? Jam in unum regnum multa regna 63
conjecit; jam Græci Persæque eumdem timent; jam etiam a Dario liberæ nationes jugum accipiunt: it tamen[2] ultra Oceanum solemque; indignatur ab Herculis Liberique vestigiis victoriam flectere; ipsi naturæ vim parat. Non ille ire vult, sed non potest stare; non aliter, quam in præceps dejecta pondera, quibus eundi finis est, ja-
cuisse. Ne Cn. quidem Pompeio[3] extèrna bella ac do- 64
mestica virtus aut ratio suadebat, sed insanus amor magnitudinis falsæ. Modo in Hispaniam et Sertoriana arma, modo ad colligendos piratas[4] ac maria pacanda vadebat: hæ prætexebantur causæ ad continuandam poten-

Priora spectant ad Thebas eversas et ad libertatem Græciæ ereptam: at hoc non factum esse ab Alexandro Magno, sed ab ejus patre Philippo constat. *Ruhk.*

1. *Lacedæmona... tacere.* Lacedæmon proprie libera mansit, sed imperio Græciæ abstinere coacta est: *Athenarum* oratores et demagogi conticuere. Reliqua declamatorie posita sunt, historia vel reclamante, vel mitigante. *Ruhk.* — Tertullianus Athenas *linguatam civitatem* dixit: Sidonius *Athenis loquacior* adagii forma. *Lips.*

2. *It tamen.* Sic ms. *a.* Schw. quam lectionem jam conjecerat Lips. — Vulgo *hic tamen.* Sic, inquit Ruhk. qui vulg. tenet, duo boni codd. apud Grut. alii *hiis t.* alius *is t.* Erasmus *idem t.* Muretus: *Ire tamen vult ultra O. s.*

3. *Pompeio externa bella... falsæ.* Nonnulli codd. et edd. *Ne Cn. quidem Pompeio externa inire b.* major tamen numerus recte τὸ *inire* omittit. *Ruhk.* — Idem semicolo tantum post *falsæ* interpunxit. — Judicio huic de Cn. Pompeio, etc. quemlibet rerum harum antiquarum, quæ sunt notissimæ, gnarum subscribere constat.

4. *Ad colligendos piratas.* Ita scripti libri: contra quos Muretus *cogendos* ediderat. Sed illud bene. Fudit enim fugavitque piratas; sed ut finis belli esset, reliquias eorum *contractas* (ait Velleius) in urbibus, remotoque a mari loco, in certa sede

Digitized by Google

tiam. Quid illum in Africam[1], quid in [2]Septemtrionem, quid in Mithridatem, et Armeniam, et omnes Asiæ angulos traxit? infinita scilicet cupido crescendi, quum sibi
65 uni parum magnus videretur. Quid C. Cæsarem in sua fata, pariter ac publica, immisit? gloria et ambitio, et nullus supra cæteros eminendi modus. Unum ante se [3]ferre
66 non potuit, quum respublica supra se duos ferret. Quid, tu C. Marium semel consulem (unum enim consulatum accepit, cæteros rapuit[4]), quum Teutonos[5] Cimbrosque concideret, quum Jugurtham per Africæ deserta sequeretur, tot pericula putas appetisse virtutis instinctu? Ma-
67 rius exercitum, Marium ambitio ducebat. Isti, quum omnia concuterent, concutiebantur; turbinum more, qui rapta convolvunt, sed ipsi ante volvuntur, et ob hoc majore impetu incurrunt, quia nullum illis sui regimen est. Ideoque, quum multis fuerunt malo[6], pestiferam illam vim, qua plerisque nocuerunt, ipsi quoque sentiunt. Non est, quod credas, quemquam fieri aliena infelicitate felicem.

68 Omnia ista exempla, quæ oculis atque auribus nostris ingeruntur, retexenda sunt[7], et plenum malis sermonibus[8] pectus exhauriendum. Inducenda in occupatum lo-

constituit. Ita, qui sparsi per omnia maria erant, collegit et fregit. *Lips.*

1. *In Africam.* Bello Mariano, missus eo contra Domitium et regem Iarbam. *Lips.*

2. *Septemtrionem.* In Galliam ivit, eodem bello, et res ibi cum Metello feliciter gessit: an et Mithridatis bello intelligit, petitos Colchos, Iberos, Albanos? *Lips.*

3. *Unum ante se ferre... ferret.* Nota sunt Lucani I, 125: «Nec quemquam jam ferre potest Cæsarve priorem, Pompeiusve parem.» *Ruhk.*

4. *Cæteros rapuit.* Non videtur profecto, si duos ultimos excipias. Nam priores, in discrimine patriæ, absenti delati. Vide Plutarchum. *L.*

5. *Teutonos* ms. *a. Theutonos e. A. Theutonicos* vulgo. *Schw.*

6. *Malo:* alii dant, *mali.*

7. *Omnia ista exempla... retexenda sunt.* I. e. accurate rursus perpendenda, consideranda, adeoque ad nihilum redigenda, s. rescindenda sunt, inque eorum loco virtus reponenda est. *Ruhk.*

8. *Malis sermonibus.* Scilicet qui-

Digitized by Google

cum virtus; quæ mendacia et[1] contra verum placentia exstirpet, quæ nos[2] a populo, cui nimis credimus, separet, ac sinceris opinionibus reddat. Hoc est enim Sapien- 69
tia, in naturam converti et eo restitui, unde publicus error expulerit. Magna pars sanitatis est, hortatores insaniæ reliquisse, et ex isto cœtu invicem noxio procul abiisse. Hoc ut esse verum scias, aspice, quanto aliter unusquisque populo vivat, aliter sibi. Non est per se magistra innocentiæ solitudo, nec frugalitatem docent rura; sed, ubi testis ac spectator abscessit, vitia subsidunt,
quorum monstrari et conspici fructus est. Quis eam, 70
quam nulli ostenderet, induit purpuram? quis posuit secretam in auro dapem? quis, sub alicujus arboris rusticæ projectus umbra, luxuriæ suæ pompam solus explicuit? Nemo oculis suis lautus est, ne paucorum quidem et familiarium; sed apparatum vitiorum suorum pro modo turbæ spectantis expandit. Ita est[3]: irritamentum est
omnium in quæ insanimus, admirator et conscius. Ne 71
concupiscamus efficies, si, ne ostendamus, effeceris. Ambitio, et luxuria, et impotentia, scenam desiderant; sanabis ista, si absconderis. Itaque, si in medio urbium fremitu collocati sumus, stet ad latus monitor, et contra laudatores ingentium patrimoniorum laudet parvo divi-
tem, et usu opes metientem. Contra illos, qui gratiam 72
ac potentiam attollunt, otium ipse suspiciat traditum litteris, et animum ab externis ad sua reversum. Ostendat ex constitutione vulgi beatos, in isto invidioso fastigio

bus jactatur falsa gloria illorum virorum, et quasi concupiscenda ostentatur.

1. *Et contra. Et* reduxi e mss. Grut., quum ante deesset. *Ruhk.*

2. *Quæ nos... reddat.* Sic Horat. II Carm. 2, 19: « Redditum Cyri solio Phraaten Dissidens plebi numero beatorum Eximit Virtus, populumque falsis Dedocet uti Vocibus.» *R.*

3. *Ita est.* Sic, ex more Senecæ, *a. c. A.* Vulgo *itaque. Schw.*

Digitized by Google

suo trementes[1] et attonitos, longeque aliam de se opinionem habentes, quam ab aliis habetur. Nam, quæ aliis excelsa videntur, ipsis prærupta sunt. Itaque exanimantur, et trepidant, quoties despexerunt in illud ma-
73 gnitudinis suæ præceps. Cogitant enim varios casus, et in sublimi maxime lubricos : tunc appetita formidant, et, quæ illos[2] graves aliis reddit, gravior ipsis felicitas incubat[3] : tunc laudant otium lene et sui juris[4]; odio est fulgor, et fuga a rebus[5] adhuc stantibus quæritur[6] : tunc demum videas philosophantes metu[7], et ægræ fortunæ sana consilia. Nam, quasi ista inter se contraria sint, bona fortuna, et mens bona; ita melius in malis sapimus; secunda rectum auferunt. Vale.

1 *Trementes et attonitos.* Cui non succurret in his ex constitutione vulgi bonis describendis Damocles ille Dionysii majoris parasitus s. assentator, cujus mentionem egregie fecit Cicero Tusc. Disp. V, 21. *Ruhk.*

2. *Et, quæ illos.* Perperam vulgo *et quæ et illos. Schw.*

3. *Incubat*, non *incumbit*, dedere libri nostri et Gruteri. *Schw.*

4. *Tunc laudant otium lene et sui juris.* Sic apud Racinium nostrum Agamemnon (*Iphig.* act. I, sc. 1):

Heureux qui, satisfait de son humble fortune,
Libre du joug superbe où je suis attaché,
Vit dans l'état obscur où les dieux l'ont caché!

5. *Et fuga a rebus.* Vulgo *et fuga jam a rebus. Schw.*

6. *Et fuga a rebus adhuc stantibus quæritur.* Bene vertit *Lagrange : Ils cherchent à quitter leur grandeur, avant qu'elle ne s'écroule.*

7. *Philosophantes metu.* Mureti ingenio hæc debetur scriptura; quum licet insanam judicasset Gruterus, tenuit tamen Lipsius, et revocarunt Bipontini et Ruhk. *Philosophantis metus* dabant vett. libri omnes, quod restitutum voluerat Grut. et hactenus restituit Gronovius, ut terminationem *is* pro *es* pluralis numeri acciperet, scriberetque *philosophantes metus* : quam scripturam Gallicus interpres his verbis expressit : *Vous verrez alors la crainte philosopher. Schw.* — Nos lectionem in textu receptam optimam judicaremus, nisi quod *philosophantes metu* male quadrat cum *bona consilia*, quum in priori de ipsis hominibus, in posteriori de rebus agatur.

Digitized by Google

EPISTOLA XCV.

SOLIS PRÆCEPTIS VIRTUTEM NON GIGNI POSSE: NECESSARIA ESSE DECRETA.

Jocoso de levitate hominum sæpe petentium quod proprie nolunt proœmio præmisso, quæstionem tractat inde a § 4: an præcepta ad vitam beatam sufficiant, atque negat. Primum enim sæpe opiniones pravæ impediunt: deinde quælibet actiones æstimatione tum demum dignæ sunt et honestæ, quum persuasione nituntur clara de præstantia ipsarum; quippe quæ ex decretis fieri debent — 7. Artes autem omnes præceptis contentæ non comparari possunt cum sapientia. Nam cunctæ artes vitæ humanæ secundo loco gaudent, sc. circa instrumenta vitæ occupatæ sunt, atque ab iis impediuntur, iisque se accommodant, quum contra sapientia impedimenta discutiat et vincat. Accedit, quod in illis artibus peccata adeo voluntaria excusentur, quæ sapientiæ vitio maximo vertuntur. Quid, quod omnes artes, utique contemplativæ decreta habent? Sequitur itaque, Philosophiam sine eis esse non posse, ut in qua rationes ideoque decreta præceptorum causæ sunt — 13. Nec illa objectio stare potest, antiquos sine Ethica ista artificiosa longe tamen meliores fuisse. Nam ex quo nequitia creverit, et tam late se sparserit, remediis quoque diligentioribus opus erat. Eadem erat et est conditio medicinæ, quæ, quum vita hominum simplex esset, paucarum fuit scientia herbarum, etc. Qua occasione in supplicia luxuriæ atque nequitiæ exspatiatur, atque adeo necessitatem efficacium remediorum monstrat, quæ opinionibus pravis evertendis ac virtute insinuanda et docenda continetur. Sunt quidem, qui sine institutione subtili evaserint boni, at hebetibus illis et obtusis aut mala consuetudine obsessis auxiliandum est, causis vitiorum eximendis, adeoque liberando atque erudiendo animo — 40. Deinde actiones nostræ fiunt demum ethicæ secundum formam quam dicimus: jam quum præcepta nonnisi materiam spectent, adeoque ad virtutem non perducant, quandoquidem non in facto laus est, sed in eo quemadmodum fiat; sequitur, sicut actiones honestæ demum fiunt, si honestum accesserit, ita præcepta nonnisi legales actiones efficientia adjuvari debere decretis sive persuasione ad totam pertinente vitam ideoque necessaria — 47: ac primum quidem in diis colendis, quos satis coluit, quisquis imitatus eos est — 51: deinde in eo, quomodo hominibus sit utendum — 54: tum, quomodo rebus sit utendum. Ita præcepta de virtutibus adjuvari debent doctrina et decretis de natura virtutis: quia sine immutabili certoque judicio fluctuemur necesse est. Nonnisi decreta

Digitized by Google

proinde dant veritatem — 60. Hoc ii ipsi confirmant, qui necessitatem decretorum negant, decreta tollendo et præcepta suadendo ipsum decretum inculcantes. Jam quum scopus rationis unicus sit veritas et ad eam reperiendam probationes necessariæ sint, sequitur sine decretis philosophiam esse non posse. Via ad philosophiæ adytum per ea est — 65. Adjicit quidem Posidonius quædam alia tanquam necessaria, suasionem, consolationem, exhortationem, et utilem futuram ait cujusque virtutis descriptionem : non sine Senecæ assensu.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Petis a me [1], ut id, quod in diem suum dixeram debere differri, repræsentem, et scribam tibi, « an hæc pars Philosophiæ, quam Græci παραινετικὴν vocant, nos Præceptivam dicimus, satis sit ad consummandam Sapientiam. » — Scio te in bonam partem accepturum, si negavero [2]. Eo magis promitto, et verbum publicum perire non patior : « Postea noli rogare, quod impetrare nolueris. » Interdum enim obnixe petimus id, quod re-
2 cusaremus, si quis offerret. Hæc sive levitas est, sive vernilitas, punienda est promittendi facilitate. Multa videri volumus velle, sed nolumus. Recitator [3] Historiam ingentem attulit, minutissime scriptam, arctissime plicatam, et, magna parte perlecta : « Desinam, inquit,

1. *Petis a me... differri.* Spectant hæc ad Ep. XCIV, 52, ubi docuerat contra Aristonem, Philosophiæ partem, quæ præceptiones contineat, supervacuam non esse. Nunc quærit, an ad faciendum sapientem sola sufficiat. *Ruhk.*

2. *Si negavero.* Quia res intricata et minime blanda aut grata est : ideo facile feres abnuentem. Tamen faciam, ne frustra petiveris, et ne vulgi verbum (*publicum*) pereat : noli rogare quod impetratum etiam nolis. Nam sunt, qui petant, quasi in alterius gratiam aut honorem : ut, Recita hoc carmen, Diem illum mihi adsis : at in animo velint negatum honorem aut gratiam. Hæc sententia horum et sequentium est, a qua alii mihi videntur abivisse. *Lips.*

3. *Recitator.* Hic mos scripta sua amicis recitandi jam libera republ. erat, sed magis invaluit sub Augusto, Pollione quippe Asinio publice eum inducente. Cf. Wieland. ad Horat. I Epp. XIX, 42. et Gierig in Excursu hac de re ad Plinii Epist. Vol. II. *Ruhk.*

Digitized by Google

si vultis. » Acclamatur : « Recita, recita ! » ab his, qui illum obmutescere illico cupiunt. Sæpe aliud volumus, aliud optamus [1], et verum ne Diis quidem dicimus : sed Dii aut non exaudiunt, aut miserentur [2]. Ego me, omissa 3
misericordia, vindicabo, et tibi ingentem epistolam impingam; quam tu si invitus leges, dicito : Ego mihi hoc contraxi! teque inter illos numera, quos uxor, magno ducta ambitu [3], torquet; inter illos, quos divitiæ, per summum acquisitæ sudorem, male habent; inter illos, quos honores, nulla non arte atque opera petiti, discruciant; et cæteros malorum suorum compotes [4].

Sed ut, omisso principio, rem ipsam aggrediar : 4
« Beata, inquiunt [5], vita constat ex actionibus rectis; ad actiones rectas præcepta perducunt : ergo ad beatam vitam præcepta sufficiunt. » — Non semper [6] ad actiones rectas præcepta perducunt, sed quum obsequens ingenium est : aliquando frustra admoventur, si animum opiniones obsident pravæ. Deinde [7], etiam si recte faciunt, 5

1. *Aliud volumus, aliud optamus.* I. e. aliud nobiscum tacite volumus, aliud palam efferimus, dicimus optantes. *Ruhk.* — *Optamus* a Diis nempe, ait Lipsius, ubi palam, et audientibus aliis vota concipimus; tunc enim sæpe hic dissensus. Pro vita et victoria mali principis precor, servus pro domini, maritus uxoris, et quæ sunt talia, animo abdicante. An et refers ad vota etiam tacita et libera? Nimirum errore eligendi mala petimus, etsi bona intendimus : ut opes, honores, famam. Itaque aliud volumus communiter; distincte autem vovendo, abimus. *Lips.*

2. *Aut non exaudiunt, aut miserentur.* Si enim Dii precibus nostris annuerent, mala nobis sæpe maxima, et ea quæ minime vellemus impingerent. *Muretus.*

3. *Magno ducta ambitu.* Cui assidue et summo studio famulatus es, ut tecum nubere dignaretur.

4. *Et cæteros malorum suorum compotes.* Argute expressa sententia est : et inter cæteros numera te, qui quum votorum suorum compotes facti sint, loco eorum mala nanciscuntur, quæ tamen sibi ipsis tribuere debent. *Ruhk.*

5. *Beata, inquiunt.* Sc. Stoæ adversarii et cujuslibet philosophiæ dogmaticæ. — Propositio minor : *ad act. rect.* etc. recte impugnatur. *Ruhk.*

6. *Non semper.* Sic omnes codd. mss. Ante Grut. *Non tamen s. Ruhk.*

7. *Deinde... recte.* Conscientia de-

Digitized by Google

nesciunt facere se recte. Non potest enim quisquam, nisi ab initio formatus et tota ratione compositus, omnes exsequi numeros[1], ut sciat, quando oporteat, et in quantum, et cum quo, et quemadmodum. Quare non potest toto animo ad honesta conari, ne constanter quidem, aut
6 libenter; sed respiciet, sed hæsitabit. — « Si honesta, inquit, actio ex præceptis venit, ad beatam vitam præcepta abunde sunt : atqui est illud : ergo et hoc. » — His respondemus : actiones honestas *et præceptis*[2] fieri; non, *tantum præceptis*.

« Si aliæ, inquit, artes contentæ sunt præceptis, contenta erit et sapientia; nam et hæc ars vitæ[3] est. Atqui gubernatorem facit ille, qui præcipit : Sic move gubernaculum, sic vela submitte, sic secundo vento utere, sic adverso resiste, sic dubium communemque tibi vindica. Alios quoque artifices præcepta confirmant : ergo in hoc[4] idem poterunt artifices vivendi. » — Omnes istæ artes circa instrumenta vitæ occupatæ sunt, non circa totam vitam. Itaque multa illas inhibent extrinsecus, et impediunt : spes, cupiditas, timor. At hæc, quæ

est iis, hac tantum ratione uti debere ad recte faciendum. *R.*—Neque enim causam tenent, cur quidque fieri debeat. Atque hoc quidem recte et vere a stoicis dicebatur : illud absurde, quod dicebant, ex miserrimo beatum posse fieri aliquem, qui tamen nullum prorsus sensum haberet tantæ illius mutationis suæ. *Muretus*.

1. *Omnes... numeros*. Officiorum partes et noscere et exercere : numerus enim proprie partem (a νέμω tribuo) denotat. Cf. Ernesti Clav. Cic. h. voce. *Ruhk*.

2. *Et præceptis, a. c. A.* Perperam *ex decretis* edd. ex *R. Schw.* — Ruhk. qui edidit *ex decretis*, sic addit : In hoc ratiocinio hypothetico recte major impugnatur. *Decreta* sunt principia, quæ nos vocamus, unde præcepta deducuntur. *Ruhk*.

3. *Ars vitæ*. Jam supra Ep. xc, 44 vidimus : « ars est bonum fieri » : hinc philosophi, sapientes dicuntur seq. §. *artifices vivendi*. Ita auctor poematis olim sub nomine Severi, nunc ap. Wernsdorf. Poet. min. lat. IV sub nomine Lucilii Junioris, utrinque temere publicati, vers. 186 : *Nunc opus Artificem incendit*, ubi Wernsdorf. recte explicat, philosophum. *R.*

4. *Ergo in hoc* (i. e. ad hoc, scil.

Digitized by Google

artem vitæ professa est, nulla re, quo minus se exerceat, vetari potest: discutit enim impedimenta, et tractat obstantia. Vis scire[1] quam dissimilis sit aliarum artium 8
conditio, et hujus? In illis excusatius est, voluntate peccare, quam casu; in hac, maxima culpa est, sponte delinquere. Quod dico, tale est. Grammaticus non erubescet solœcismo[2], si sciens fecit; erubescet, si nesciens. Medicus, si deficere ægrum non intelligit, quantum ad artem magis peccat, quam si se intelligere dissimulat. At in hac arte vivendi, turpior volentium culpa est. Adjice 9
nunc, quod artes quoque pleræque, imo ex omnibus liberalissimæ, habent decreta sua, non tantum præcepta[3], sicut Medicina. Itaque alia est Hippocratis[4] secta, alia Asclepiadis, alia Themisonis. Præterea nulla ars contemplativa[5] sine decretis suis est, quæ Græci vo-

ut artem vitæ datis præceptis doceant alios), recte *a. c. A. Ergo ne hoc* ed. *R.* Ven. Er. Tum *ergo non hoc* etc. cum interrogationis signo, ed. Mur. et seqq. *Schw.*

1. *Vis scire.* Locus hic erudite tractatur ab Aristotele libr. II Ethicorum. *Muretus.*

2. *Non erubescet solœcismo, si sciens fecit; erubescet* etc. Vulgo *erubescit solœcismum, si sciens facit: erubescit* etc. *Schw.* — Vitium orationis puritati vel Latinitati contrarium solœcismus est, quum in verbis pluribus verbum superiori non accommodetur et compositura partium orationis impar et inconveniens fiat: stribligo alias dicta. Cf. Ernesti Lexicon Technolog. Græc. et Lat. h. v. Comparat cum solœcismo Græcum σχῆμα Valcken. ad Lesbon. post Ammon. not. 3, p. 177 sqq. *Ruhk.*

3. *Habent decreta sua, non tantum præcepta.* Adversarii Senecæ, ut impugnent decreta, vitæ artem cæteris artibus comparant: ipse Seneca respondet, si tandem ars vitæ cæteris artibus comparari possit, ex hoc colligi illam artem solis constare præceptis non posse, quoniam cæteræ artes non tantum præcepta, sed etiam decreta contineant: sic ista comparatione ab adversariis prolata utitur, ut ipsos profliget.

4. *Itaque alia est Hippocratis... Asclepiadis... Themisonis.* Cf. de his medicis in antiquitate celeberrimis, *Hippocrate* Coo, qui Socratis cœvus erat, *Asclepiade* et ejus auditore *Themisone*, qui Ciceronis tempore Romæ vixerunt, et quorum Plin. Nat. Hist. 29, 1, Celsus præfat. p. 13 bip. al. mentionem honorificam injecere, inprimis Curtii Sprengelii Historia Medicinæ. *Ruhk.*

5. *Contemplativa.* Quæ causas rerum spectat, in eas inquirit, et in systema ordinat colligitque, atque

Digitized by Google

cant δόγματα[1], nobis vel *decreta* licet appellare, vel *scita*, vel *placita*; quæ in Geometria et in Astronomia invenies.
10 Philosophia autem et contemplativa est, et activa; spectat simul, agitque[2]. Erras enim, si illam putas tantum terrestres operas promittere; altius spirat. Totum, inquit, mundum scrutor, nec me intra contubernium mortale contineo, suadere vobis, ac dissuadere contenta; magna me vocant, supraque vos posita:

11 Nam tibi de summa cæli ratione, Deumque,
Disserere incipiam, et rerum primordia pandam;
Unde omnis natura creet res, auctet, alatque,
Quoque eadem rursus natura perempta resolvat[3],

ut ait Lucretius. Sequitur ergo, ut, quum contemplativa sit, habeat decreta sua. Quid? quod facienda quoque nemo rite obibit, nisi is, cui ratio erit tradita, qua in quaque re omnes officiorum numeros exsequi possit; quos non servabit, qui in rem præcepta acceperit[4], non in
12 omne. Imbecilla sunt per se, et, ut ita dicam, sine radice, quæ partibus dantur. Decreta sunt, quæ muniant, quæ securitatem nostram tranquillitatemque tueantur, quæ totam vitam, totamque rerum naturam simul contineant. Hoc interest inter decreta philosophiæ et præcepta,

adeo theoria, quam vocamus, nititur. *Ruhk.*

1. *Quæ Græci vocant δόγματα.* De his ego Manuduct. II, Dissert. XII. *L.*

2. *Spectat simul, agitque.* Vulgo *spectat, simulque agit. Schw.*

3. *Resolvat.* Versus Lucretii I, 49 sqq. sunt. *Ruhk.*

4. *Qui in rem præcepta acceperit, non in omne.* Sic quidem (ut inde a Gron. editur) habet ms. *a.* et Pinciani codd. ubi *in omne* idem valet ac *in totum*, *in universum*, vel *in omnem vitam*, ut est in *c. A.* et in ora Er. Sed ed. *R.* cum aliis sic habet, *qui in rem... non in nomine*: unde videndum, ne verum sit *qui in rem... non in nomen*, sive (ut est in ed. Er. et in Pal. 1 et 3.) *qui in re.... non in nomine*: ubi, quemadmodum *res* intelligitur *res singularis*, sic *nomen* intelligitur *totum genus*, cui nomen aliquod competit. *Schw.* — Muretus satis confidenter: *Qui mera præcepta acceperit.* Lipsius conjecit: *non in commune.*—*Qui in rem...omne*, h. e. qui in res singulas præcepta acceperit (exempla habes in Ep. XCIV, 14

quod inter elementa, et membra[1] : hæc ex illis dependent; illa et horum causæ sunt et omnium.

« Antiqua[2], inquit, Sapientia nihil aliud, quam fa- 13
cienda ac vitanda, præcepit; et tunc longe meliores erant viri : postquam docti prodierunt, boni desunt. Simplex enim illa et aperta Virtus in obscuram et solertem scientiam versa est, docemurque disputare, non vivere. » —
Fuit sine dubio, ut dicitis, vetus illa Sapientia, quum 14
maxime nascens, rudis; non minus, quam cæteræ artes, quarum in processu subtilitas crevit. Sed ne opus quidem adhuc erat remediis diligentibus. Nondum in tantum nequitia surrexerat, nec tam late se sparserat : poterant vitiis simplicibus obstare remedia simplicia. Nunc necesse est tanto operosiora esse munimenta, quanto va-
lentiora sunt quibus petimur. Medicina quondam pau- 15
carum fuit scientia herbarum, quibus sisteretur fluens sanguis, vulnera coirent : paulatim deinde in hanc pervenit tam multiplicem varietatem. Nec est mirum, tunc illam minus negotii habuisse, firmis adhuc solidisque corporibus, et facili cibo, nec per artem voluptatemque corrupto : qui postquam cœpit non ad tollendam, sed ad irritandam famem quæri, et inventæ sunt mille condi-

sqq.) nec ea, quæ totum officiorum ambitum complectuntur. *Ruhk.* — Confer. Cic. Tusc. III, XXXIV, 81.

1. *Elementa, et membra.* Comparatio hæc optimo judicio electa est a nostro. Nam illa elementa (στοιχεῖα καὶ ἀρχαὶ), non solum (τὸ ὑποκείμενον) rem subjectam et eam primariam, unde reliqua formantur (*membra*), materiam, sed quoque principia s. illam vim vitalem primariam continent. *Ruhk.*

2. *Antiqua... præcepit.* Docet hoc historia de processu generis humani ad meliorem ingeniis vitæque culturam. Hinc antiquissima præcepta ejuscemodi attributa semper sunt auctoribus et statoribus humanitatis, e. c. Orpheo, Lino, Eumolpo, Musæo : vide e. c. Aristophan. Ran. 1032 sq. 1054 Brunk. ed. Hesiodi quoque, poetarum gnomicorum et septem sic dictorum sapientum exemplo res patet. Quos quidem omnes Philosophiæ subtiliori prolusisse constat. Cf. Heynii Opusc. acad. Vol. I. p. 172 sq. 212

Digitized by Google

turæ, quibus aviditas excitaretur; quæ desiderantibus
16 alimenta erant, onera sunt plenis [1]. Inde pallor, et nervorum vino madentium tremor, et miserabilior ex cruditatibus [2], quam ex fame, macies; inde incerti labantium pedes, et semper, qualis in ipsa ebrietate, titubatio; inde in totam cutem humor admissus, distentusque venter, dum male assuescit plus capere, quam poterat; inde suffusio luridæ bilis, et decolor vultus, tabesque in se putrescentium, et retorridi digiti [3] articulis obrigescentibus, nervorumque sine sensu jacentium torpor, aut palpitatio [corporum [4]] sine intermissione vibrantium.
17 Quid capitis vertigines dicam? quid oculorum auriumque tormenta, et cerebri exæstuantis verminationes [5]; et omnia, per quæ exoneramur [6], internis ulceribus affecta? innumerabilia præterea febrium genera, aliarum impetu sævientium, aliarum tenui peste repentium, aliarum cum horrore et multa membrorum quassatione venientium?
18 Quid alios referam innumerabiles morbos, supplicia luxuriæ? Immunes erant ab istis malis, qui nondum se deliciis

sq. et ejusdem præfat. Sententiosis vetustissimorum Gnomicor. poetar. Opp. ed. Lips. 1776 præmissam. *R.*

1. *Quæ desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis.* Bene *Lagrange: Ces mets qui étaient des alimens pour des gens affamés, sont devenus des fardeaux pour des gens rassasiés.*

2. *Ex cruditatibus... macies.* Vertit *Lagrange: La maigreur causée par des indigestions.*

3. *Retorridi digiti* ms. *a.* vocabulo et alias frequentato Senecæ. Vulgo *retorti dig. Schw.*

4. *Aut palpitatio* [*corporum*] *sine intermissione vibrantium.* Vocab. *corporum*, quod exhibent quidem veteres libri omnes, commode ejectum a Mureto, revocavit Ruhk. tantum non necessarium judicans. Equidem uncis circumdedi, ut merito suspectum; rectius facturus, si denuo ablegassem, ut prorsus ab hoc loco alienum, ubi manifeste opponuntur *torpor nervorum sine sensu jacentium*, et *palpitatio* (nervorum) *sine intermissione vibrantium. Schw.* — *Corporum* et in Erasmi ed. et in quinque Palat. codd. invenitur. *Ruhk.*

5. *Cerebri exæstuantis verminationes. Lagrange* vertit: *Ces chaleurs dévorantes du cerveau.*

6. *Omnia, per quæ exoneramur.* Int. canales illos intestinos exonerando corpori destinatos.

Digitized by Google

sunt morbis virilibus. Antiqui Medici nesciebant dare cibum sæpius, et vino fulcire venas cadentes[1]; nesciebant sanguinem mittere[2], et diutinam ægrotationem balneo sudoribusque laxare; nesciebant[3], crurum vinculo brachiorumque, latentem vim, et in medio sedentem, ad extrema revocare. Non erat necesse, circumspicere 23
multa auxiliorum genera, quum essent periculorum paucissima. Nunc vero quam longe processerunt mala valetudinis? Has usuras voluptatum pendimus, ultra modum fasque concupitarum. Innumerabiles esse morbos non miraberis[4]; coquos numera. Cessat omne studium[5]; et liberalia professi, sine ulla frequentia, desertis angulis præsident. In Rhetorum ac Philosophorum scholis solitudo est; at quam celebres culinæ sunt, quanta circa nepotum[6] focos juventus premit! Transeo puerorum in- 24
felicium greges, quos, post transacta convivia, aliæ cubiculi contumeliæ exspectant[7]. Transeo agmina exoletorum, per nationes coloresque[8] descripta, ut eadem

inedit. ad gallic. version. interpretatur de feminis hermaphroditis quæ, pæne viri, pueros, virorum more amabant; et affert Martial. lib. VII, Epig. 66 : « Pædicat pueros tribas Philænis. »

1. *Vino fulcire venas cadentes* quod Noster de Benef. III, 9 effert: cadentes venas vino refecisse, oblinendo puta lavandoque. Sic Ovid. Pont. I, 3 : « Et jam deficiens sic ad tua verba revixi, Ut solet infuso vena redire mero. » Cf. Bentlei. ad Horat. Serm. II, 3, 154. *Ruhk.*

2. *Sanguinem mittere, a. c. A.* Alii vulgo *sang. emitt.* et sic ed. Ruhk. *Schw.*—Lipsius ex ingenio in textum intruserat temere : *saniem emittere* propter morem in balneis sudandi. *R.*

3. *Nesciebant.... revocare.* Intelligam de suppuratione excitanda, quam imposito sinapi efficiebant et candentibus ferramentis, ut materia inutilis evocaretur, teste Celso IV, 2 p. 193, c. 22, p. 239. *Ruhk.*

4. *Non miraberis?* Sic Erasm. et codd. palat. *Innumerabiles esse morbos miraris?* Muretus dedit propria auctoritate. *Ruhk.*

5. *Cessat omne studium... solitudo est.* Cf. ad. Ep. LXXVI, 1. *Ruhk.*

6. *Nepotum.* Gulæ famulorum. *R.*

7. *Quos post transacta... exspectant.* Ut aut patiantur, aut faciant obscœna. Faciant etiam, dico, ex Ep. XLVII, 5. *Lips.*

8. *Per nationes coloresque.* Ita solent, atque item per ætates. Vide de

Digitized by Google

omnibus lævitas[1] sit, eadem primæ mensura lanuginis, eadem species capillorum; ne quis, cui rectior est coma, crispulis misceatur. Transeo pistorum turbam, transeo ministratorum, per quos signo dato[2] ad inferendam cœnam discurritur. Dii boni, quantum hominum unus venter
25 exercet! Quid? tu illos boletos[3], voluptarium venenum, nihil occulti operis judicas facere, etiam si præsentanei non fuerunt[4]? Quid tu illam æstivam nivem non putas callum jecinoribus obducere? Quid? illa ostrea, inertissimam carnem cœno saginatam, nihil existimas limosæ gravitatis inferre? Quid? illud Sociorum garum[5], pretiosam malorum piscium saniem, non credis urere salsa
26 tabe[6] præcordia? Quid illa purulenta, et quæ tantum non ex ipso igne in os transferuntur, judicas sine noxa in ipsis visceribus extingui? Quam fœdi itaque pestilentesque[7] ructus sunt! quantum fastidium sui, exhalantibus crapulam veterem! Scias putrescere sumpta, non conco-

Brevit. Vitæ c. XII. *L.* — Alii exoletorum erant glabri lævesque, alii barba decori. *Ruhk.*

1. *Lævitas.* Scribendum sic putavi, quum *levitas* darent omnes. *Schw.*

2. *Signo dato.* Ibidem de Brevitate: « Quanta celeritate, signo dato, glabri ad ministeria discurrant. » *L.*

3. *Boletos*, etc. Etiamsi *boleti*, *æstiva ostrea*, *Sociorum garum*, non statim noceant, mox tamen facient. *R.*

4. *Fuerunt.* Dedere *a. R. Fuerint c. A. Fuerant* vulgo. *Schw.*

5. *Sociorum garum.* Horatius, Plinius, Ausonius, Martialis, Petronius, Apicius, Strabo, et Athenæus famosi illius condimenti mentionem faciunt, quod e diversorum piscium, in primis scombri, sanie constabat, solisque divitum mensis asservabatur: ut e Martiali liquet, l. XIII, Epigr. CIII: « Antipolitani, fateor, sum filia Thynni: Essem si scombri, non tibi missa forem. » Id. lib. XIII, Epig. CII: « Expirantis adhuc scombri de sanguine primo Accipe fæcosum, munera cara, garum. » *Sociorum* autem *garum* appellabatur ab inventoribus Sociis, qui videntur fuisse publicani negotiationis illius conductores. Vide Horat. Sat. 8, lib. II, v. 46; Plin. Nat. Hist. lib. XXXI, cap. VII et VIII, et lib. IX, cap. XVII; Auson. Epistol. XXI; Petron. Satiric. cap. XXXVI; Apicium, de Arte coquin. lib. VII cap. VII, not. 5; lib. VII, cap. XIII, not. 4.

6. *Salsa tabe.* Quia piscium putrescentium s. *malorum sanie* constabat garum, teste Plinio l. l. *R.*

7. *Fœdi itaque pestilentesque*, *a. c. R. A.* Vulgo *fœdi atque pest. S.*

Digitized by Google

qui. Memini fuisse quondam in sermone nobilem patinam[1], in quam, quidquid apud lautos solet diem ducere[2], properans in damnum suum[3] popina congesserat: veneriæ[4] spondylique, et ostrea eatenus circumcisa, qua 27
eduntur, intervenientibus distinguebantur echinis; totam destricti[5] sine ullis ossibus mulli constraverant. Piget jam esse singula[6]; coguntur in unum sapores; in cœna fit, quod fieri debet saturo in ventre[7]: exspecto jam

1. *Memini fuisse quondam in sermone.... patinam.* Omnes codd. et edd. dant *in sermone*; at Muretus conjecturam Pinciani recepit: *quondam Æsopi n. p.* cujus meminit Plin. X, 72; XXXV, 46, etc. Sed nihil mutandum est.—Errant, qui Nostrum de Æsopi patina, cujus meminit Plin. X, 72; XXXV, 46, cogitasse putent: illa enim avium, hæc piscium erat. *R.*

2. *Diem ducere.* Non muto, et intelligo diem extrahi variis ferculis, et scenam ita longioris cœnæ instrui. Si tamen legas *solent diducere*, haud improbem. *Lips.*

3. *Properans in damnum suum pop.* I. e. quo delicatior est conditura et ars coqui, eo celerior mors aderit eorum, in quorum usum cibi apparantur. *Ruhk.*

4. *Veneriæ, spondylique.* Quid proprie veneriæ, nescio: an conchulæ aliquæ hoc nomine, quia Venus iis vecta? Inter pisces quidem sunt, et Plinii melioribus libris nominantur in XXXII, cap. XI. *Spondyli* autem in eodem loco nominantur, et Macrobio inter lautitias, in cœna pontificia III Saturnalium, Martiali lib. VII. Epig. XVII. *Lips.* — Vides hic cœnam e concharum diversis generibus et mullis, adeoque e piscibus marinis tam artificiose apparatam, ut omnes hi pisces, quamvis diversi saporis, tamen in unum eumdemque saporem versi sint, atque partim natura, partim conditura ac coctura ita molliti et mixti, ut nulla dentium opera indigerent convivæ. Descriptionem autem accuratiorem ab Apiciis urbium maritimarum petas. Muretus laudat Rondeletium lib. II de testaceis cap. XXXIV. *Ruhk.*

5. *Totam destricti* (sc. ossibus extractis) *sine ullis ossibus*, etc. Vulgo olim *torti distractique* ex ed. *R.* dein *torti districtique* ed. Ruhk. Probavi *totam*, sc. patinam, quod cum ed. *R.* dabat ms. *a.* Tum *destricti* absque copula ex conject. scripsi. Vitiose *destructique* ms. *a. Distinctique c. A. Districtique* Pal. 1. et Pinc. *Schw.*

6. *Piget jam esse singula.* De his sic Gronovius: nescio quid de *pituita* hic ingerere libros jam observavit Erasmus. Perplacet, quod in membranis invenimus et ex Pal. secundo annotavit Gruterus, *Piget esse jam pituitam singula.* Oportuit omnia simul misceri, ut fastidium gulæ tanta copia pituitæ satiaretur. — Acquiesco vulgata: *Piget jam esse* (i. e. comedere) *singula: coguntur in unum sapores. Ruhk.*

7. *Quod fieri debet saturo in ventre.* Quia munus est stomachi congestos cibos in unum coquere et sic eorum sapores miscere.

Digitized by Google

ut manducata ponantur. Quantulo autem hoc minus[1] est, testas excerpere atque ossa, et dentium opera coquum
28 fungi? Grave est luxuriari per singula : omnia semel, et in eumdem saporem versa, ponantur. Quare ego ad unam rem manum porrigam? plura veniant simul; multorum ferculorum ornamenta coeant et cohæreant. Sciant protinus hi, qui jactationem ex istis peti et gloriam aiebant, non ostendi ista, sed conscientiæ dari[2]. Pariter sint, quæ disponi solent, uno jure perfusa : nihil intersit : ostrea[3], echini, spondyli, mulli, perturbati concocti-
29 que ponantur. — Non esset confusior vomentium[4] cibus. Quomodo[5] ista perplexa sunt, sic ex istis non singulares morbi nascuntur, sed inexplicabiles, diversi, multiformes : adversus quos et Medicina armare se cœpit multigeneribus observationibus[6].

Idem tibi de Philosophia dico. Fuit aliquando sim-

1. *Quantulo hoc minus est, testas excerpere*, etc. I. e. non multo minus est quam manducata poni.

2. *Non ostendi ista, sed conscientiæ dari.* Ruhk. interpretatur quasi hæc ipse Seneca indignans (non jam cœnæ Amphitryo) diceret, et post *conscientiæ dari* supplet : propter multitudinem morborum, qui inde oriuntur. Nobis autem multo magis probabile videtur, hæc et sequentia usque ad *non esset*, ab eodem dici. Itaque gallico interpreti potius assentimur, qui : *Je veux faire voir à ceux qui m'accusaient de ne songer qu'à faire un vain étalage de magnificence, que c'est moins un repas que je leur fais admirer, qu'une énigme, dont je me réserve le secret, que je leur donne à deviner;* nisi quod *conscientiæ* aliter intelligamus. Nobis enim τὸ *conscientiæ dari* voci *ostendi* opponi videtur; ita ut sensus sit : *sciant* convivæ *ista non* tantum oculis *ostendi* (ut sæpe fit), *sed* ipsorum gustui dari; ut manducentur, non ut tantum spectentur.

3. *Ostrea, echini, spondyli, mulli, perturb.* etc. Sic. ms. *a.* Vulgo, *ostrea echinis, spondyli perturbati mullis.*

4. *Non esset confusior vomentium cibus.* Adeo miscentur variæ dapes, ut non magis miscerentur, si jam stomacho concoctæ evomerentur.

5. *Quomodo.... observationibus.* Totius hujus loci sensus est : Miscete quam plurimas dapes; quo plures miscueritis, eo plures morbos et inexplicabiles et multiformes convocaveritis.

6. *Multigeneribus observationibus.* Scripsi ex Lipsii conject. Nec enim ferendum videbatur vulgatum *multis generibus, multis observationibus.* Scil. repetita vox *multis* interpretamentum fuerat vocabuli *multigeneribus. Schw.*

Digitized by Google

plicior inter minora peccantes, et levi quoque cura remediabiles[1] : adversus tantam morum eversionem omnia conanda sunt[2]. Et utinam sic denique lues ista vindicetur[3]! Non privatim solum, sed publice furimus. Homicidia compescimus et singulas cædes : quid bella, et occisarum gentium gloriosum scelus? Non avaritia, non crudelitas modum novit. Et ista, quamdiu furtim et a singulis fiunt, minus noxia minusque monstrosa sunt : ex senatusconsultis plebisque scitis sæva exercentur, et publice jubentur vetita privatim. Quæ clam commissa capite luerent, jam, quia[4] paludati[5] fecere, laudamus. Non pudet homines, mitissimum genus, gaudere sanguine alterno, et bella gerere, gerendaque liberis tradere, quum inter se[6] etiam mutis ac feris pax sit. Adversus tam potentem explicitumque late furorem operosior Philosophia facta est, et tantum sibi virium sumpsit, quantum his, adversus quæ parabatur, accesserat. Expeditum erat, objurgare indulgentes mero, et petentes delicatiorem cibum; non erat animus ad frugalitatem magna vi reducendus, a qua paululum discesserat.

Nunc manibus rapidis *opus est*, nunc arte magistra[7].

1. *Remediabiles*. Sic membranæ et quinque palat. cum edd. priscis. Gron. probat. Compositum est ap. Senec. Ep. CXIV, 5. Plin. XI, 115; XXVIII, 23 : *irremediabilis*. Simplex habet Cassiodor. Varr. III, 14 : remediabile bonum est in peccatum accelerata correctio. *Ruhk.* — Ruhkopfium probat Schw. additque auctoritatem ms. *a. c. R. A.* Olim *medicabiles* edd.

2. *Conanda sunt*, *a. c. A.* Aberat *sunt* vulgo. *Schw.*

3. *Vindicetur*, *a. c. R. A.* Vulgo *vinceretur*. *Schw.*

4. *Jam*, *quia*, etc. *Tamen quia* ed. *R.* Ven. Er. *Eadem quia* vulgo ex Mureti ing. *Tum quia* ms. *a. Tam quia* ms. *c. Jam* dedit ed. *A.* quod aut ipsum verum erat, aut prorsus abjicienda vox controversa. *Schw.*

5. *Paludati*. Sic Erasmus et codd. nonnulli. Muretus *palam* suffecit. *Paulatim* habent codd. alii. *Ruhk.* — *Paludati*. Ita enim, et eo habitu, id est, coccineo paludamento (*cotte d'armes*) induti, proficisci ad bellum solent. *Lips.*

6. *Quum inter se... pax sit?* Errasse nostrum declamatorio ardore abreptum monui ad II de Ira 8, 2. *R.*

7. *Magistra*. Versus est Virgil. Æn. VIII, 442. *Ruhk.*

Digitized by Google

Voluptas ex omni parte [1] quæritur; nullum intra se manet vitium. In avaritiam luxuria præceps est : honesti oblivio invasit; nihil turpe est, cujus placet [2] pretium.
33 Homo, sacra res homini [3], jam per lusum et jocum occiditur; et, quem erudiri ad inferenda accipiendaque vulnera nefas erat, is jam nudus inermisque [4] producitur; satisque spectaculi ex homine, mors est [5].

In hac ergo morum perversitate desideratur solito vehementius aliquid, quod mala inveterata discutiat : decretis agendum est, ut revellatur penitus falsorum re-
34 cepta persuasio. His si adjunxerimus præcepta, consolationes, adhortationes, poterunt valere; per se inefficaces sunt. Si volumus habere obligatos [6], et malis, quibus jam tenentur, avellere; discant, quid malum, quid bonum sit; sciant, omnia, præter Virtutem, mutare nomen,
35 modo mala fieri, modo bona. Quemadmodum primum militiæ vinculum est religio [7], et signorum amor, et deserendi nefas; tunc deinde facile cætera exiguntur mandanturque jusjurandum adactis [8] : ita in his, quos velis ad beatam vitam perducere, prima fundamenta jacienda sunt, et insinuanda Virtus. Hujus quadam superstitione

1. *Ex omni parte, a. R.* Vulgo *ab omni parte*, ut Pincian. codd. Erasmus dat : *ex omni q.* unde Lipsius conjecit : *voluptas ex homine q. S.*

2. *Nihil... pretium.* Nihil nobis turpe videtur, si nobis viam aperit ad ea, quæ libido nostra concupivit, comparanda.

3. *Homo, sacra res homini.* Sic plurimi codd. Alii : *Homo, sacra res, homo.* Mox *ex homine* plurimi codd. Erasmus tenet : *in homine. R.*

4. *Nudus... producitur.* Ut solent meridiani gladiatores. Cf. Nostrum, Ep. VII. *Lips.*

5. *Satisque spectaculi ex homine, mors est.* Sententia est quæ in Epistola XC : « Homo hominem, non timens, nec iratus, tantum spectaturus occidit. »

6. *Si volumus habere obligatos.* Recte sic exhibent ed. Gronov. et Ruhk. cum *a. c. R. A.* et al. Perperam *si nolumus* dant ed. Lips. Bipont. et Matth. *Schw.*

7. *Religio, et signorum amor.* Juramenti religionem intelligit : in quo hæc ipsa de signis comprehensa; vide Militiam nostram lib. I. *Lips.*

8. *Jusjurandum adactis.* Rarissi-

Digitized by Google

teneantur; hanc ament; cum hac vivere velint, sine hac nolint.

Quid ergo? non quidam sine institutione subtili evaserunt probi, magnosque profectus assecuti sunt, dum nudis tantum præceptis obsequuntur? — Fateor: sed felix illis ingenium fuit, et salutaria in transitu rapuit. Nam, ut Dii immortales nullam didicere virtutem, cum omni editi, et pars naturæ eorum est, bonos esse; ita quidam ex hominibus, egregiam sortiti indolem, in ea, quæ tradi solent, perveniunt sine longo magisterio; et honesta complexi sunt, quum primum audiere: unde ista tam rapacia virtutis ingenia, vel ex se fertilia [1]. At illis 37
aut hebetibus et obtusis, aut mala consuetudine obsessis, diu rubigo animorum effricanda est. Cæterum, ut illos in bonum pronos citius educit ad summa, et hos imbecilliores adjuvabit, malisque opinionibus extrahet, qui illis Philosophiæ placita tradiderit; quæ quam sint necessaria, scilicet videas [2]. Quædam insident nobis, quæ 38
nos ad alia pigros, ad alia temerarios faciunt. Nec hæc audacia reprimi potest, nec illa inertia suscitari, nisi causæ eorum eximantur, falsa admiratio, et falsa formido [3]. Hæc nos quamdiu possident, dicas licet: « Hoc patri præstare debes, hoc liberis, hoc amicis, hoc hospitibus. » Tentantem avaritia retinebit: sciet pro patria pugnandum esse; dissuadebit timor: sciet pro amicis desudandum esse ad extremum usque sudorem; sed deliciæ vetabunt: sciet in uxorem [4] gravissimum esse genus 39

ma in prosa constructio, quum vulgo dicatur jurejurando, seu ad jusjurandum actis. Intelligendum est quasi esset, per metathesin, pro actis ad jusjurandum, qui se jurejurando militari obligaverunt.

1. *Vel ex se fertilia.* Subaudi: sunt.

2. *Scilicet videas.* Sic h. l. *a. c. R. A.* Vulgo *licet videas*, a Mur. quomodo alibi sæpius legitur apud Nostrum. *Schw.*

3. *Et falsa formido.* Perperam *et* aberat edd. vulg. *Schw.*

4. *In uxorem* ed. ex *R.* sed *in*

Digitized by Google

injuriæ pellicem[1]; sed illum libido in contraria impingit. Nihil ergo proderit dare præcepta, nisi prius amoveris obstantia præceptis; non magis, quam proderit arma in conspectu posuisse propiusque admovisse, nisi usuræ manus expediuntur[2]. Ut ad præcepta, quæ damus, possit
40 animus ire, solvendus est. Putemus aliquem facere, quod oportet; non faciet assidue, non faciet æqualiter : nesciet enim quare faciat. Aliqua vel casu, vel exercitatione, exibunt recta; sed non erit in manu regula, ad quam exigantur, cui credat, recta esse quæ fecit. Non promittet se talem in perpetuum, qui casu bonus est.

Deinde, præstabunt[3] tibi fortasse præcepta, ut quod oportet facias; non præstabunt, ut, quemadmodum oportet : et, si hoc non præstant, ad Virtutem non per-
41 ducunt. Faciet quod oportet monitus; concedo : sed id parum est, quoniam quidem[4] non in facto laus est, sed in eo, quemadmodum fiat. Quid est cœna sumptuosa flagitiosius, et equestrem censum consumente? quid tam dignum censoria nota, si quis, ut isti ganeones loquuntur, sibi hoc[5] et genio suo præstet? et toties tamen sestertio[6] aditiales cœnæ frugalissimis viris constiterunt.

uxore dant *a. c. A.* nec ita male fortasse. Recte enim latine dicitur *injuria in uxore* (i. q. *in uxorem*) *admissa. S.*

1. *Pellicem. Habere pellicem* edd. invitis vett. libris nostris et Pinciani Gruterique. *Schw.*

2. *Nisi usuræ manus expediuntur.* I. e. nisi manus, quæ armis usuræ sint, exp. Hæc monuit Gronov.

3. *Deinde præstabunt.... oportet.* Legaliter, sed non moraliter ages, nullo causarum respectu habito, nec persuasione motus. *Ruhk.*

4. *Quoniam quidem.... in facto.... fiat.* Secundum Stoæ dogma, omnia præter virtutem mutare nomen, modo mala fieri, modo bona fieri, prout iis utaris. Ita sumptuosissima cœna luxuriæ causa apparata, *censoria nota* i. publica reprehensione cum ignominia digna est; at *cœna aditialis*, epulum, quod in aditu et auspicio honorum dabatur (*repas de réception*), quamvis æque sumptuosa, non reprehenditur. *Ruhk.*

5. *Sibi hoc*, *a. c.* Non *sibi hæc. S.* — *Sibi... et genio*, i. e. sibi soli; nam genius ab homine quem comitatur non est distinguendus.

6. *Et toties tamen sestertio.* Sic

Eadem res, si gulæ datur, turpis est; si honori, repre- 42
hensionem effugit. Non enim luxuria[1], sed impensa solemnis est. Mullum ingentis formæ[2] (quare autem non pondus adjicio, et aliquorum gulam irrito? quatuor pondo et ad selibram[3] fuisse aiebant) Tiberius Cæsar, missum sibi, quum in macellum deferri et venire jussisset: « Amici, inquit, omnia me fallunt, nisi istum mullum aut Apicius[4] emerit, aut P. Octavius. » Ultra spem illi 43
conjectura processit: licitati sunt; vicit Octavius, et ingentem consecutus est inter suos gloriam, quum quinque sestertiis[5] emisset piscem, quem Cæsar vendiderat, ne Apicius quidem emerat. Numerare tantum[6] Octavio fuit turpe: nam ille[7], qui emerat, ut Tiberio mitteret (quanquam illum quoque reprehenderim), admiratus est

recte libri veteres, quod revocavit Ruhk. — Sensus est: Et tamen additiales cœnæ a frugalissimis viris oblatæ non constiterunt minoris quam illa sumptuosa cœna equestrem censum consumens, scilicet toties sestertio, quoties requirebatur ad censum equestrem, nempe quater: erat enim equestris census quadringenta sestertia, id est, breviore formula, quater sestertio. Immane itaque falsus erat Muretus, *tricies* scribens pro *toties* vel *totiens*, quod habent *R. A. c.* cum Grut. libris.

1. *Non enim luxuria... solemnis est.* Non enim luxuria, sed impensa res pretium accipit. *Ruhk.* — Nullum prorsus offert sensum Ruhkopf. interpretatio: sensus tamen in promptu est: scilicet, quum tantum pecuniæ datur honori, non est hoc luxuriosum convivium, sed impensa solemnis, id est, usu consecrata impensa: bene vertit *Lagrange: Il (le festin) n'est plus regardé comme luxe, mais comme une magnificence d'usage.*

2. *Mullum ingentis formæ.* Similem rhombi cujusdam historiam carpit Juvenal. Sat. IV. *Ruhk.*

3. *Quatuor pondo et ad selibram.* Conf. Plin. N. H. IX, 17, qui ait: « Binas libras ponderis raro admodum exsuperare, nec in vivariis piscinisque crescere. » *Ruhk.*

4. *Apicius.* De Apicio cf. ad Consol. ad Helv. 10, 2. *Ruhk.* — De P. Octavio, nil aliud notum.

5. *Quinque sestertiis. Quinque millibus HS.* edd. a Mur. non diversa quidem sententia, sed invitis libris vett. *Schw.* — Hi 5000 sestertii efficiunt secundum *Romé de l'Isle* 250 thal. *Ruhk.*

6. *Numerare tantum Oct... turpe.* Tantam summam impendere soli Oct. fuit turpe, non ei qui ad Cæsarem miserat; nam pretium illud, magnum per se consideratum, non turpitudinem habuit, luxuria dabat. *R.*

7. *Nam ille*, etc. Sic quidem edd. ex *R.* consentiente nostro ms. *a.* et Gruteri omnibus. At commodior, at-

Digitized by Google

44 rem[1], qua putavit Cæsarem dignum. Amico ægro aliquis assidet; probamus : at, hoc si hereditatis causa facit, vultur est[2], cadaver exspectat.

Eadem aut turpia sunt, aut honesta[3] : refert, quare, aut quemadmodum fiant. Omnia autem honeste[4] fient, si honesto nos addixerimus, idque unum in rebus humanis bonum judicaverimus, quæque ex eo sunt. Cætera, in diem bona sunt. Ergo infigi debet persuasio ad totam
45 pertinens vitam; hoc est, quod *decretum* voco. Qualis hæc persuasio fuerit, talia erunt, quæ agentur, quæ cogitabuntur ; qualia autem hæc fuerint, talis vita erit. In particulas suasisse[5], totum ordinanti parum est. M. Brutus in eo libro, quem περὶ Καθήκοντος inscripsit[6], dat multa præcepta et parentibus et liberis et fratribus : hæc nemo faciet, quemadmodum debet, nisi habuerit, quo referat. Proponamus oportet finem summi Boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum nostrum dictumque respiciat; veluti navigantibus ad aliquod sidus dirigendus est cur-

que etiam vera haud dubie fuerit scriptura a Pinc. e suis commendata, et dein a Mur. recepta, ab aliis vero deserta, *non illi, qui emerat ut Tiberio mitteret, quanquam illum quoque reprenderim : admiratus est*, etc. Servatum etiam *non illi* in nostro ms. *c.* et ex parte in ed. *A* in qua *non ille. Reprenderim* pro vulg. *reprehend.* dedit ms. *a. Schw.*

1. *Admiratus est rem... dignum.* Non emit luxuriæ causa, sed ut mullo donaret Cæsarem, quem solum tam pretioso munere dignum putabat.

2. *Vultur est.* Convicium in heredipetas, et qui funus exspectant : a natura avis, quæ cadaveribus pascitur. Catullus : « Suscitat a cano vulturium capite. » Martialis : « Cujus vulturis hoc erit cadaver ? » Erasmus proverb. pag. 283 ed. Wechel. 1643, sic explicat hoc adagium : « Qui vero duntaxat obsequiis et adulationibus aucupantur, ut misceantur testamento, vultures proverbio dicuntur. »

3. *Aut turpia sunt, aut honesta. Et... et hon.* ed. Mur. et sqq. invitis libris vett. *Schw.*

4. *Honeste fient.* Temere *honesta fient* ed. Bip. et Ruhk. *Schw.*

5. *In particulas suasisse... est.* Qui decretis totum complectitur, ei parum est in particulas totius suasisse. *R.*

6. *M. Brutus... inscripsit.* Omnia scripta hujus statoris libertatis interiere præter epistolas. Cætera laudant Bayle, *Brute;* G. Fabric. Bibl. Græc. Vol. III, p. 545; *Saxe* in Onomast. I, p. 170. Librum huncce citant et Cha-

Digitized by Google

sus. Vita sine proposito vaga est. Quod si utique pro- 46
ponendum est, incipiunt necessaria esse decreta. Illud, ut puto, concedes, nihil esse turpius dubio et incerto ac timido, pedem modo referente, modo producente. Hoc in omnibus rebus accidet nobis, nisi eximantur, quæ reprehendunt animos ac detinent, perconarique [1] totos vetant.

Quomodo sint Dii colendi, solet præcipi. Accendere 47
aliquem [2] lucernas sabbatis prohibeamus; quoniam nec lumine Dii egent, et ne homines quidem delectantur fuligine. Vetemus salutationibus [3] matutinis fungi, et foribus assidere [4] templorum: humana ambitio istis officiis capitur; Deum colit, qui novit. Vetemus lintea et strigiles [5] Jovi ferre, et speculum tenere Junoni [6]: non

risius et Priscianus sub titulo: *de officiis*. *Ruhk*.

1. *Perconarique*. *Et conari* edd. a Mur. *Et preconarique a. c. R. A.* Delevi *et; perconari* autem correxi, præeunte Erasm. in Notis. *Schw*.

2. *Accendere aliquem... sabbatis*. Lucernas accendere in honorem Deorum aut principum festis diebus mos apud Romanos: sed ut apparet, paullatim judaici ritus invaluere, et Sabbati diem illa superstitione coluerunt. Persius Sat. V, 179 sq. (ubi cf. Casaubon. p. 465 sq.): « Ut, quum Herodis venere dies unctaque fenestra Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ, etc. » *Ruhk*. — *Lucernas*, non *lucernam*, *a. c. R. A. S.*

3. *Vetemus salutationibus*. Ecce officia, quæ hominibus tribuebant, ad Deos eadem transtulere, et ut potentes salutare mane, sic etiam istos instituerunt. Apuleius XI: « Inchoatæ locis salutationibus religiosi primam nunciantes horam, perstrepunt. » Prudentius: « Mane salutatum concurritur, omnis adorat Pubes. » Plautus, atque alii, crebro. *Lips*.

4. *Foribus assidere*. Nondum scilicet apertis: nam cum prima luce, aut ante, faciebant. *Lips*.

5. *Lintea et strigiles*. Quasi lotione Dii egerent: sunt enim hæc balnearia instrumenta. (Vertit *Lagrange*: *Des linges et des grattoirs de bains*.) Nec miremur: nam et cibum esui apponebant. Vide me II Elector. cap. XVIII. *Lips*.

6. *Speculum tenere Junoni*. Hic locus lucem accepit ab alio ejusdem auctoris ex illius operibus amissis excerpto, quem tamen servavit Augustinus insertum in opere suo de civitate Dei: « In capitolium perveni, inquit Seneca: pudebit publicatæ dementiæ, quod sibi vanus furor attribuit officii: alius nomina Deo subjicit, alius horas Jovi nunciat; alius lictor est, alius unctor, qui vano motu brachiorum imitatur unguentem: sunt

Digitized by Google

quærit ministros Deus; quidni? ipse humano generi mi-
48 nistrat; ubique et omnibus præsto est. Audiat licet quem
modum servare[1] in sacrificiis debeat, quam procul resi-
lire a molestis superstitionibus[2]: nunquam satis profectum
erit, nisi, qualem debet, Deum mente conceperit, omnia
habentem, omnia tribuentem, beneficium[3] gratis dan-
tem. Quæ causa est Diis benefaciendi? Natura[4]. Errat,
si quis putat illos nocere nolle[5]: non possunt; nec acci-
pere injuriam queunt, nec facere. Lædere etenim lædi-
49 que, conjunctum est. Summa illa ac pulcherrima omnium
natura, quos periculo exemit, ne periculosos quidem
fecit. Primus est Deorum cultus, Deos credere; deinde,
reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine
50 qua nulla majestas est; scire, illos esse qui præsident
mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani ge-
neris tutelam gerunt, interdum curiosi singulorum. Hi

quæ Junoni et Minervæ capillos disponant, longe a templo, non tantum simulacro stantes, digitos movent ornantium modo, sunt quæ speculum teneant.» Sæpe occurrunt etiamnunc in monumentis antiquis specula, et in pompa Isidis ab Apuleio descripta, Metamorph. XI p. 770 ubi vid. Colv. et Oudendorp. nostri loci memores. Cf. *Bottiger griech. Vasengemalde*, III, p. 59. *Ruhk.*

1. *Quem modum servare.* Sic recte unus Pal. 3. Vulgo *quemadmodum se gerere* edd. a Mur. cum Pal. 2. *Quemadmodum servire* ed. Er. cum ms. Col. *Quemadmodum servare, a. c. R. A. Schw.* — Suspicor reliquisse Senecam: *quemadmodum servare in s.* uti est in Tarvis. et Veneta. *Servare* est observare; etc. *Gronov.*

2. *Molestis superstitionibus.* Vulgo *molestiis ac superstit. Schw.*

3. *Beneficium* non *beneficia*, *a. c. R. A. Schw.*

4. *Natura.* Totus hic locus de Diis, quorum cultus decretis etiam niti debet, tam egregius est, ut non mirum sit, quod inde et multis aliis locis ejusmodi perperam inducerentur multi ad credendum, Senecæ fuisse cum Paulo apostolo consuetudinem, unde hæc et talia acceperit, nemine scilicet nisi Christiano homine digna. Tamen *interdum curiosi singulorum* et *cæterum castigant quosdam... puniunt* excidisse Nostro nolles, quippe quæ sanior philosophia repudiat, quin etiam Stoa et ipsa; nisi postrema mitiges interpretatione, quam M. Anton. et Epictetus passim suppeditant. Cæterum e Platonis libris de Rep. inprimis e libr. X de Legg. toto hæc hausta videri possunt. *Ruhk.*

5. *Nocere nolle.* Sic recte ms. *a.*

Digitized by Google

nec dant malum, nec habent : cæterum castigant quosdam, et coercent, et irrogant pœnas, et aliquando specie boni puniunt[1]. Vis Deos propitiare? bonus esto! Satis illos coluit, quisquis imitatus est.

Ecce altera quæstio, Quomodo hominibus sit utendum[2]. Quid agimus? quæ damus præcepta? Ut parcamus sanguini humano? quantulum est, ei non nocere, cui debeas prodesse! Magna scilicet laus est, si homo mansuetus homini est! Præcipiemus ut naufrago manum porrigat, erranti viam monstret, cum esuriente[3] panem suum dividat? Quando omnia, quæ præstanda sunt ac vitanda, dicam? quum possim breviter hanc illi formulam[4] humani officii tradere : « Omne hoc, quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est : membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, quum ex iisdem[5] et in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, et sociabiles fecit; illa æquum justumque composuit : ex illius constitutione miserius est nocere, quam lædi; ex illius imperio paratæ[6] sunt

51 52 53

Perperam vulgo *nocere velle*, ex parum intellecto loquendi more, familiari Senecæ. *Schw.*

1. *Et aliquando... puniunt.* Id est, dant bona externa, quæ in malum cedunt. Videntur indulgere, castigant. *Lips.*

2. *Quomodo hominibus sit utendum.* De usu et consuetudine cum hominibus. Sunt communes sententiæ (κοιναὶ ἔννοιαι), quas et educatio et lectio poetarum epicorum et gnomic. animis juvenilibus instillabat. Cf. Cic. de Offic. lib. I, capp. prioribus. *Ruhk.*

3. *Cum esuriente.* Notat Muretus, proximum hoc Sacrorum illi præcepto esse : Esurienti frange panem tuum.

4. *Formulam humani officii.* Est decretum, δόγμα, stoicum, de quo vid. Lipsii Physiol. stoic. I, 8; et Casaubon. ad Persium p. 276 sqq. *R.*

5. *Quum ex iisdem.* Elementis, et item astris, secundum stoicos. *Et in eadem*, vel in actiones easdem, et finem : vel resolvendos in illa eadem, e quibus sumus. *Lips.*

6. *Paratæ sunt juvantis manus.* Sic ed. *R.* Er. et Mur. *Juvandis, a. c. A. Ad juvandum* ed. Lips. et seqq. cum mss. Pinc. et Grut. *Schw.*—Int. Hæc nobis imperavit ut semper manus nostræ paratæ essent ad cæteros adjuvandos.

Digitized by Google

juvantis manus. Iste versus et in pectore, et in ore sit :

Homo sum, humani nihil a me alienum puto[1] ! »

Habeamus[2] ! In commune nati sumus. Societas nostra lapidum fornicationi simillima est; quæ casura, nisi invicem obstarent, hoc ipso sustinetur.

54 Post Deos hominesque, dispiciamus, Quomodo[3] Rebus sit utendum. In supervacuum præcepta jactavimus, nisi illud præcesserit, qualem de quacumque re habere debeamus opinionem, de paupertate, de divitiis, de gloria, de ignominia, de patria, de exsilio. Æstimemus singula, fama remota; et quæramus, quid sint, non quid vocentur.

55 Ad *Virtutes* transeamus. Præcipiet aliquis, ut prudentiam magni æstimemus, ut fortitudinem complectamur; temperantiam amemus; justitiam, si fieri potest, propius etiam, quam cæteras, nobis applicemus. Sed nihil agetur, si ignoramus, quid sit Virtus; una sit, an plures; separatæ, an innexæ[4]; an, qui unam habet, et cæte-
56 ras habeat; quo[5] inter se differant. Non est necesse fabro de fabrica quærere, quod ejus initium, quis usus sit; non magis quam pantomimo, de arte saltandi. Omnes istæ artes se sciunt[6], nihil deest; non enim ad totam pertinent vitam. Virtus et aliorum scientia est, et sui. Discendum de ipsa est[7], ut ipsa discatur. Actio recta non

1. *Homo... puto!* Versus Terentii Heautontim. act. I, sc. 1, 54. *Ruhk.*

2. *Habeamus!* (Scil. in pectore et in ore.) *In commune nati sumus.* Vulgo *habeamus in commune, quod nati sumus.* Sed *quod* ignorat ms. *a.* cum optimo Pinciani cod. *Schw.*

3. *Rebus sit utendum.* De rebus, quas nec bonas, nec malas esse statuebant, ut constat, Stoici. *Ruhk.*

4. *Una sit... innexæ.* Sic Schw. Vulgo *annexæ.* Unam, et annexas omnes inter se virtutes statuebant Stoici, ut sæpe jam vidimus. Lipsii Manuduc. Stoic. III, 4. *Ruhk.*

5. *Quo.* Sic Schw. Vulgo *quomodo.*

6. *Omnes istæ artes se sciunt.* Ambitus artium iis ipsis censetur et continetur: in se consummatæ, non opus habent, ut aliud quid cognoscant. *R.*

7. *Discendum de ipsa est, ut ipsa*

Digitized by Google

erit, nisi recta fuerit voluntas : ab hac enim est actio. Rursus, voluntas non erit recta, nisi habitus animi[1] re- 57
ctus fuerit : ab hoc enim est voluntas. Habitus porro animi non erit in optimo, nisi totius vitæ leges perceperit, et, quid de quoque judicandum sit, exegerit; nisi res ad verum redegerit. Non contingit tranquillitas, nisi immutabile certumque judicium adeptis : cæteri decidunt subinde, et reponuntur, et inter missa appetitaque alternis fluctuantur. Causa usque jactationis est[2], quod nihil li- 58
quet incertissimo regimine utentibus, fama. Si vis eadem semper velle, vera oportet velis. Ad verum sine decretis non pervenitur; continent vitam. Bona et mala, honesta et turpia, justa et injusta, pia et impia, virtutes ususque virtutum, rerum commodarum[3] possessio, existimatio[4] ac dignitas, valetudo, vires, forma, sagacitas sensuum; hæc omnia æstimatorem desiderant[5]. Scire liceat, quanti quidque in censum deferendum sit. Falleris enim, 59
et pluris quædam, quam sunt, putas : adeoque falleris, ut, quæ maxima inter nos habentur, divitiæ, gratia,

discatur. Sic *a. c. A.* Pal. 1. 2. et Col. (et parum abit ed. *R.* cum aliis, *ut in ipsa discatur*). Hoc dicit : ipsa virtus nos docet, quomodo ipsa discenda sit. Sententia paulo obscurior induxit editores, ut interpolarent locum; in quo quidem non nimis callide versatos esse videas. *Ut in ipsa voluntas discatur* ed Er. *Ut ipsa voluntas discatur* ed. Mur. et sqq. *S.*

1. *Habitus animi*. Ἕξις, quam nos barbare prædispositionem vocamus. Stob. Eclog. ph. Vol. II, 7 p. 299 Heer. ἕξεις δὴ, καθ' ἃς πρὸς ταῦτά πως ἔχομεν, καὶ ἀφ' ὧν ἡ τούτων (δυνάμεων) ἐνέργεια εὖ ἢ κακῶς ἀποτελεῖται. *Ruhk.*

2. *Causa usque jactationis est*. (Id est, causa perpetuæ jactationis.) Sic ed. *R.* Idque ipsum debuisse videntur alii libri vett. in quibus vel *visque*, vel *jusque* scribitur. Vulgo *causa hujus jact.* ex Mureti conject. Lips. conj. *causa ejusce. Schw.*

3. *Rerum commodarum*. Stoica phrasi res externas ita dici, quæ vulgo bona, constat : commoda. *Ruhk.*

4. *Existimatio*, *a. c. R. A.* non *æstimatio*. Idem libri cum aliis inserenda dedere duo verba, *scire liceat*, quæ aberant vulgo, a Mureto abjecta. Idem in sqq. *inter nos*, non *inter vos*. *Schw.*

5. *Æstimatorem desiderant*. Int. Ea omnia necesse est ut vero suo pretio æstimentur, ab illis qui sibi quiddam vitæ certum regimen constituere

Digitized by Google

potentia, sestertio nummo[1] æstimanda sint. Hoc nescies, nisi constitutionem ipsam[2], qua ista inter se æstimantur, inspexeris. Quemadmodum folia virere per se non possunt; ramum desiderant, cui inhæreant, ex quo trahant succum: sic ista præcepta, si sola sunt, marcent; infigi volunt sectæ[3].

60 Præterea, non intelligunt hi, qui decreta tollunt, eo ipso confirmari illa, quo tolluntur. Quid enim dicunt? præceptis vitam satis explicari; superflua esse decreta sapientiæ, id est, dogmata. Atqui hoc ipsum, quod dicunt, decretum est: tam, hercules, quam, si nunc ego dicerem, recedendum esse a præceptis[4] velut supervacuis, utendum esse decretis, in hæc sola studium conferendum; hoc ipso, quo negarem curanda esse præce-
61 pta, præciperem. Quædam admonitionem in [5]Philosophia desiderant, quædam probationem, et quidem [6]multa; quia involuta sunt, vixque summa diligentia ac summa subtilitate aperiuntur. Si probationes necessariæ sunt, necessaria sunt decreta[7], quæ veritatem argumentis col-

volunt, nec semper ex fama pendere.

1. *Sestertio nummo*, i. e. minimo, supple: valet. Communis ita sermo et velut formula, in imaginario pretio aut nullo. Cf. Cujac. lib. XIX. Obss. c. XXI. *L.* — Vide Bentley ad Horat. Serm. I, 4, 14, qui et nostri loci meminit. *Ruhk.*

2. *Constitutionem ipsam.* Rationem internam, ex qua ista æstimatio fit. *Ruhk.*

3. *Sectæ.* I. decreto. *Ruhk.*

4. *Recedendum esse a præceptis velut supervacuis, utendum esse decretis, in hæc sola* etc. Vocab. *velut*, et tria verba, *utendum esse decretis*, vulgg. edd. ignota, absque quibus non constabat sententia, opportune nobis obtulit ms. *a. Schw.*

5. *In philosophia.* Ms. *a.* Alii vulgo *philosophiæ. Schw.*

6. *Et quidem multa.* Dixerat *quædam* probationem desiderare: velut corrigit, imo *multa*, inquit, quia, involuta et obscura. *Lips.*

7. *Si prob. necess. sunt, necessaria sunt decreta.* Vulgo brevius, *Si prob. necessariæ sunt, et decreta*: quod ferri poterat, intelligendo *necessaria etiam sunt decreta.* Sed, quoniam particulam *et* ignorat ibi ms. *a.*, temere omissa putavi duo verba, *necessaria sunt*, scilicet a proxime præcedentibus absorpta; quæ duo

Digitized by Google

ligunt[1]. Quædam aperta sunt, quædam obscura. Aperta, quæ sensu comprehenduntur, quæ memoria[2]; obscura, quæ extra hæc sunt. Ratio[3] autem non impletur manifestis; major ejus pars pulchriorque in occultis est. Occulta probationem exigunt, probatio non sine decretis est; necessaria ergo decreta sunt. Quæ res[4] communem sensum facit, eadem perfectum, certa rerum [5]persuasio, sine qua si omnia in animo natant[6], necessaria sunt decreta, quæ dant animis inflexibile judicium. Denique quum monemus aliquem, ut amicum eodem habeat loco, quo se; ut ex inimico cogitet fieri posse amicum; in illo amorem incitet, in hoc moderetur odium; adjicimus: «justum est et honestum.» Justum autem honestumque decretorum nostrorum continet ratio[7]; ergo hæc necessaria est, sine qua nec illa sunt. 62 63

Sed utraque jungamus : namque et sine radice inutiles rami sunt; et ipsæ radices his, quæ genuere, adjuvantur. Quantum utilitatis manus habeant, nescire nulli licet; aperte juvant : cor, illud quo manus vivunt, ex quo impetum sumunt, quo moventur, latet. Idem dicere de præceptis possum : aperta sunt; decreta vero 64

verba bis deinde diserte, § 62, repetuntur. *Schw.*

1. *Quæ veritatem...colligunt.* Principia voces : ut ratio decretorum et præceptorum sit eadem, quæ est Ethicæ puræ et applicatæ. *Ruhk.*

2. *Aperta quæ... memoria.* I. quæ sensu externo et interno comprehenduntur. *Ruhk.*

3. *Ratio .. manifestis.* Plura comprehendit quam ea, quæ sensibus in memoriam perveniunt. *Ruhk.*

4. *Quæ res... persuasio.* I. e. quod efficit, ut omnibus hominibus eadem sententia sit de rebus, id efficit quoque perfectum et evidentem conceptum : atqui hanc sententiam præstat persuasio de rebus, quæ certæ sunt. *Ruhk.*

5. *Certa rerum persuasio.* Vulgo *certarum rerum persuasio :* sed *rerum* non agnoscit ms. *a.* Itaque vocem *certarum* ex duabus *certa rerum* perperam coalitam existimavi. *Schw.*

6. *Sine qua si omnia in animo natant, necessaria sunt decr.* Sic *a. c. A.* cum Pinc. *Natant* tenent libri omnes, ne de *nutent* cogites, ut XXXV, et LXXIV. *Schw.*

7. *Justum.... ratio.* Decreta ni-

Digitized by Google

sapientiæ in abdito. Sicut sanctiora sacrorum tantum initiati sciunt; ita in Philosophia, arcana illa admissis receptisque in sacra ostenduntur; at præcepta, et alia ejusmodi, profanis quoque nota sunt.

65 Posidonius[1] non tantum *præceptionem* (nihil enim nos hoc verbo uti prohibet), sed etiam *suasionem*, et *consolationem*, et *exhortationem* necessariam judicat. His adjicit *causarum inquisitionem, etymologiam*[2]; quam quare dicere nos non audeamus, quum Grammatici, custodes Latini
66 sermonis, suo jure ita appellent, non video. Ait utilem futuram[3] et descriptionem cujusque virtutis: hanc Posidonius *ethologiam*[4] vocat; quidam *characterismon* appellant, signa cujusque virtutis ac vitii et notas reddentem, quibus inter se similia discriminentur. Hæc res eamdem vim habet, quam præcipere. Nam, qui præcipit, dicit:
67 Illa facies, si voles temperans esse. Qui describit, ait: Temperans est, qui illa facit, qui illis abstinet. Quæris, quid intersit? alter præcepta virtutis dat, alter exemplar.

tuntur ratione, quæ justum honestumque continet, ex iis systema principiorum exstruit. *Ruhk.*

1. *Posidonius* itaque et in his non solum pure præcipere, suadere, etc., jubet, sed inquirere quoque in causas, unde hæc omnia fieri nunc debent. *Ruhk.*

2. *Etymologiam; quam quare dicere nos non audeamus.* Sic plane ms. *a.* nisi quod *ethimologian* scribit. *Ethymologiam* ed. *R.* sed perperam præponit *et* copulam, et sequentia verba turbat, quæ ex conject. emendavit Erasmus. *Ethologiam* ms. *c. Ethologiam vel ethymologiam* ed. *A.* Denique vulgo, *quam cur ætiologiam dicere non audeamus*, ex H. Stephani et Mureti speciosa utique emendatione. Sed *ætologiam* (puto *ætiologiam* voluerat) ex vett. libr. etiam laudaverat Pinc. quorum ex præscripto delenda etiam censuerat duo verba præcedentia, *causarum inquisitionem*, ut ex glossemate invecta. *Schw.*

3. *Utilem futuram et descript.* Sic recte ms. *a.* cum Pinc. Perperam vulgo *esse*, absque *et. Schw.*

4. *Ethologiam* recte ms *a.* et ed. *A.* Absurde rursus *ætiologiam* hic ponunt edd. et olim *etymologiam. S.*— Exemplum illustre ex Antiquitate nobis præstant Theophrasti characteres, quibus præluserant rhetores, sive technologi, e. c. Aristoteles: imitati sunt Angli de ethica exponentes, e nostratibus Gellertus, al. *Ruhk.*

Digitized by Google

Descriptiones has, et (ut publicanorum utar verbo[1]) *iconismos*, ex usu esse confiteor. Proponamus laudanda : invenietur imitator. Putas utile, dari tibi argumenta, per quæ intelligas nobilem equum, ne fallaris empturus, ne operam perdas in ignavo? Quanto hoc utilius est, 68
excellentis animi notas nosse[2], quas ex alio in se transferre permittitur?

Continuo pecoris generosi pullus in arvis
Altius ingreditur, et mollia crura reponit :
Primus et ire[3] viam, et fluvios tentare minantes
Audet, et ignoto sese committere ponti[4],
Nec vanos horret strepitus : illi ardua cervix,
Argutumque caput, brevis alvus, obesaque terga,
Luxuriatque toris animosum pectus.....
.....Tum, si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat[5] auribus, et tremit artus,
Collectumque premens volvit sub naribus ignem.

Dum aliud agit Virgilius noster, descripsit virum fortem : 69
ego certe non aliam imaginem magno viro dederim. Sit mihi Cato exprimendus[6], inter fragores bellorum civilium impavidus, et primus incessens[7] admotos jam exercitus Alpibus, civilique se bello ferens obvium; non alium

1. *Iconismos* (vulgo græcis litt. scribitur), verti potest *signalement*. — *Publicanorum utar verbo*. Quare, aut ubi, publicanis hoc verbum in usu? Puto in portoriis fuisse, ubi servi trajiciebantur, et equi, atque alia majoris pretii. Ut constaret tales et tales solvisse portorium, nec alios, describebant formam faciemque singulorum. Et id vocabant εἰκονισμόν. Potuit et in pecunia assignanda, aut delegandа locum habere, Dabis tali, et tali forma, ævo, nota : ut hodieque interdum qui pecuniam in Italia, aut alibi capiendam transcribunt. *Lips.*

2. *Notas nosse* recte dedit ms. *a.* quod et debuerat ed. *R.* in qua *nosce.* Perperam vulgo *notas esse. Schw.*

3. *Primus et ire*, *a. c. R. A.* non *primus inire.* Tum *minantes* iidem non *minaces. Schw.*

4. *Ponti*, non *ponto*, ms. *a. Ponto* vel *ponti* ed. *A. Schw.*

5. *Micat*, *a. R.* ut vulgo ; *nutat c. A. S.*—Virgil. vers. Georg. III, 75.

6. *Sit mihi Cato exprimendus.* Ex conj. sic scripsi, pro vulgato *Si mihi*, etc. *Schw.*—De Catone eadem sæpius affert. Cf. de Provid. II, 6 sq. Epist. XXIV, 14, 11 sq. Idem laudat in Catone Vellei. Paterc. II, 49. Horat. II Carm. 11, 24, etc. Res nota. *R.*

7. *Incessens.* Vertit *Lagrange : Accablant de reproches.*

Digitized by Google

illi assignaverim vultum, non alium habitum. Altius certe nemo ingredi potuit, quam qui simul contra Cæsarem Pompeiumque se sustulit, et, aliis Cæsarianas opes, aliis Pompeianas sibi foventibus [1], utrumque provocavit, os-
70 tenditque aliquas esse et reipublicæ partes [2]. Nam parum est in Catone, dicere :

Nec vanos horret strepitus.....

Quidni? quum veros vicinosque non horreat; quum contra decem legiones, et Gallica auxilia, et mixta barbarica arma civilibus, vocem liberam mittat, et Rempublicam hortetur, ne pro libertate decidat, sed omnia experiatur; honestius in servitutem casura [3], quam itura?
71 Quantum in illo vigoris ac spiritus, quantum in publica trepidatione fiduciæ est! Scit se unum esse, de cujus statu non agatur; non enim quæri, an liber Cato, sed an inter liberos sit. Inde periculorum gladiorumque contemptus. Libet admirantem invictam [4] constantiam viri, inter publicas ruinas non labantis, dicere :

Luxuriatque toris animosum pectus.....

72 Proderit non tantum, quales esse soleant boni viri, dicere, formamque eorum et lineamenta deducere; sed, quales fuerint [5], narrare, et exponere Catonis illud ultimum ac fortissimum vulnus, per quod libertas [6] emisit

1. *Sibi foventibus. Sibi*, i. e. sui causa, suum in commodum, non reipublicæ causa. Pronomen hoc temere abjectum ab Erasmo, opportune dedit ed. *R.* Idem debuerant *a. c. A.* in quibus vitiose *tibi* scribitur. *S.*

2. *Esse et reipubl. partes.* Voculam *et*, qua carebant vulgo, commode dedit ms. *a. Schw.*

3. *Casura, quam itura. Casura*, si vinceretur a tyranni exercitu: *itura*, si sponte semetipsam tyranni imperio submitteret.

4. *Libet admirantem invictam*, etc. Int. aliquis admirans invictam... merito potest dicere.

5. *Sed, quales fuerint.* Temere omissa est *sed* particula in ed. Bipont. et Ruhk. *Schw.*

6. *Emisit.* Sic recte H. Stephanus Epist. V ad Dalecamp. emendavit. Antea : *amisit. Ruhk.*

Digitized by Google

animam; Lælii sapientiam, et cum suo Scipione concordiam; alterius Catonis domi forisque egregia facta; Tuberonis ligneos lectulos [1], quum in publicum [2] sternerent, hædinasque pro stragulis pelles, et ante ipsius [3] Jovis cellam apposita [4] convivis vasa fictilia. Quid aliud est, paupertatem in Capitolio consecrare? Ut nullum aliud factum ejus habeam, quo illum Catonibus inseram, hoc parum credimus? Censura fuit illa, non cœna. O quam 73
ignorant homines cupidi gloriæ, quid illa sit, aut quemadmodum petenda! Illo die populus Romanus multorum supellectilem spectavit, unius miratus est. Omnium illorum aurum argentumque fractum est, et millies conflatum [5]; at omnibus sæculis Tuberonis fictilia durabunt. Vale.

1. *Tuberonis ligneos lectulos.* Q. Ælii Tuberonis. De eo Cicero in Orat. pro Muræna c. 36 hæc habet: «Fuit eodem et studio eruditus apud patres nostros et honestus homo et nobilis Q. Tubero. Is, quum epulum Q. Maximus Africani patrui sui nomine populo Rom. daret, rogatus est a Maximo, ut triclinium sterneret, quum esset Tubero ejusdem Africani sororis filius: atque ille homo eruditissimus ac stoicus stravit pelliculis hædinis lectulos punicanos et exposuit vasa samia: quasi vero esset Diogenes Cynicus mortuus et non divini hominis Africani mors honestaretur!.... Graviter tulit populus Rom. hanc perversam sapientiam Tuberonis.» Exscripsit Ciceronem Valer. Maxim. VII, 5. *Ruhk.*

2. *Quum in public. sternerent* (scil. Romani). Sic recte exhibent *a. c. A*, non ut vulgatæ edd. *sternerentur. S.*

3. *Ante ipsius Jovis.* Epulo publico, in Capitolio. Adde Epist. XCVIII. *Lipsius.*

4. *Apposita*, sic ed. *A.* non *proposita*, ut vulgo. *Schw.*

5. *Et millies conflatum*, a Pinciano ex uno codice (sed eo alioquin probato) laudatum recepit Mur. nec fortasse immerito (quam lection. secutus bene *Lagrange* vertit: *Et mille fois refondu*). Schw. dat *in millies conflatum* ex ms. *a.* (quod intelligi poterat *conflatum*, in ingentem pecuniæ summam procusum). Sic item ed. *R.* et Gruteri codd. omnes, in quibus quidem *milies*, pro more, simplici *l* littera scribitur. Vitiose *in milites* ed. Er. *In vile es* (i. e. *in vile æs*) ms. *c.* et ed. *A.*

Digitized by Google

EPISTOLA XCVI.

OMNIA PATIENTER FERENDA.

Contra querulos scripta est hæc epistola, in qua docetur, omnia a fato venire, quæ decernuntur, non accidunt. Non parendum est Deo, sed assentiendum : et carere velle incommodis omnibus est votum effeminatum, quod virum haud decet.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Tamen tu indignaris[1] aliquid, aut quereris; et non intelligis, nihil esse in istis mali, nisi hoc unum, quod indignaris, et quereris? — Si me interrogas, nihil puto viro miserum, nisi aliquid esse in rerum natura quod putet miserum[2]. Non feram me[3], quo die aliquid ferre non potero. Male valeo? pars fati est. Familia decubuit? fœnus offendit? domus crepuit? damna, vulnera, labores, metus incurrerunt[4]? Solet fieri. Hoc parum est; debuit fieri. Decernuntur ista[5], non accidunt. Si quid credis mihi, intimos affectus meos tibi quum maxime detego : in omnibus, quæ adversa videntur et dura, sic formatus sum : non pareo Deo[6], sed assentior; ex animo illum,
2 non quia necesse est, sequor. Nihil unquam mihi inci-

1. *Tamen tu indignaris* (scilicet quamvis meliora scire debeas). Sic ms. *a.* et Pal. 1. 3. 4. cum edd. a Mur. *Tantum tu* edd. ex *R. Tantum*, absque *tu*, *c. A.* Pal. 2. Col. *Schw.*

2. *Quod putet miserum.* Perperam omissum vulgo pronomen *quod*, inde ab ed. Mur. *Schw.*

3. *Non feram me.* I. e. male mihi erit, de me querar et angar. *Lips.*

4. *Incurrerunt. Incucurrerunt*, ms. *a. Schw.*

5. *Decernuntur ista.* Int. non ea quasi fortuita habere debeo; ex lege fiunt : nam ea lex humanitatis est, ut talibus obnoxia sit.

6. *Non pareo Deo... sequor.* Stoica dogmata et præcepta sunt, quæ sæpe jam vidimus a Nostro exposita his ipsis Epistolis. *Ruhk.*

Digitized by Google

det, quod tristis excipiam[1], quod malo vultu : nullum tributum invitus conferam. Omnia autem, ad quæ gemimus, quæ expavescimus, tributa vitæ sunt. Horum, mi Lucili, nec speraveris immunitatem, nec petieris. Vesicæ te dolor inquietavit[2]; epulæ fuerunt parum dulces[3]; detrimenta continua; propius accedam : de capite timuisti[4]. Quid tu, nesciebas hæc te optare, quum optares senectutem ? Omnia ista in longa vita sunt, quomodo in longa via et pulvis et lutum et pluvia. — Sed voleham vivere, carere tamen incommodis omnibus! — Tam effeminata vox virum dedecet. Videris, quemadmodum hoc votum meum excipias; ego illud magno animo, non tantum bono facio : neque Dii, neque Deæ faciant, ut te fortuna in deliciis[5] habeat! Ipse te interroga, si quis potestatem tibi Deus faciat, utrum velis vivere in macello, an in castris. Atqui[6], vivere, Lucili, militare est. 3

1. *Tristis excipiam.* Temere et absurde *incipiam* dant ed. Bipont. et Ruhk. *Schw.*

2. *Vesicæ te dolor inquiet. Lagrange* interpret. : *Vous êtes tourmenté de la pierre.*

3. *Epulæ fuerunt parum dulces.* Sic edd. inde a Mur. et *epulæ* quidem ex ed. *R.* cum ms. Pal. 2, et Col. Sed verum videtur *epistolæ*, quod præfert ms. *a.* cum Pal. 1. 3. et 4. Scil. *epistulæ* in vetustis codd. olim scribebatur; quam scripturam (per *u* pro *o*) ut alibi constanter, sic et h. l. ms. *a.* exhibet : idemque vocab. *epistolæ* in ms. *c.* et ed. *A.* compendiosa scriptura significatur. *Schw.* — Ruhkopf. (vid. not. infer.) probat *Epistolæ. Lagrange* interpretatur *epulæ : Les alimens n'ont plus de douceur pour vous.* — Porro sciat lector, verbum *fuerunt* ex Mureti ing. esse, quum vett. libri omnes *vero erunt* exhibeant : sed particulæ *vero* non videtur hic fuisse locus, et verbum potius in præt. quam in fut. positum requirebatur : quare admodum probabilis hactenus fuerit Mureti emendatio. *Schw.*

4. *De capite timuisti.* Refert hæc Lipsius ad Ep. XXIV, ubi de judicii eventu sollicitum fuisse Lucilium scribit noster. Ita non opus est, ut cum Grutero statuamus, hanc et tres quatuor quæ præcedunt lineas hiulcum quid habere : præsertim si non *epulæ*, sed *epistolæ* cum mss. nonnullis ap. Grut. legamus. Sensus esset : Epistolæ parum dulces allatæ sunt, quæ detrimenta continua nunciant; quid, quod periculum capitis i. e. vitæ tibi afferunt. *Ruhk.*

5. *Fortuna in deliciis.* Tale de Providentia, c. 1 : « Deus bonum virum in deliciis non habet. »

6. *Atqui... militare est.* Conf. ad

Digitized by Google

Itaque hi, qui jactantur, et per operosa atque ardua sursum ac deorsum eunt, et expeditiones periculosissimas obeunt, fortes viri sunt, primoresque castrorum; isti, quos putida quies [1], aliis laborantibus, molliter habet, turturillæ [2] sunt, tuti contumeliæ causa. Vale.

Epistt. LI, § 5; LIX, § 6. sq. *Ruhk.*

1. *Putida quies.* Recte illa vox servata in duobus mss. Pal. quorum in uno quidem *putrida* scribitur, qua scriptura et alias sæpe in hoc vocab. utuntur libri nostri. Mendose *putica a. c. A. Schw.*—*Publica* dant edd. ex *R.* quod probat Ruhkopfius, dicens ad publicam pacem referendum esse.

2. *Turturillæ.* I. molles: sive vocem derives ab ave turture, sive, quod Lipsius probat, a Turturilla. In Excerptis Pithœanis est: *Turturilla, ita dicitur locus, in quo corruptelæ fiebant, quod ibi turturi opera daretur, i. e. panem.* Ubi Lipsius emendat: *i. e. ganeæ*, et addit: Talia autem loca et homines tuti, non per honorem, sed contumeliam, et quia spernuntur. Gruter. ad h. l. et Taubmann. ad Plauti Bacch. I, 1, 35, quo Gesner in Thes. Stephan. h. v. nos ablegat, nihil extricant. *Ruhk.* — Opsopœus legebat: *Turdi illi sunt* et dicebat Senecam respexisse ad quemdam *Turdum* nomine, de quo Seneca pater lib. IX, Controv. 4, ut de homine mollitie sua famoso loquitur, unde forsan hujus nomen ad designandos delicatiores increbuisse potuisset. Alii legendum esse arbitrantur *Turdilli sunt.* Notum est turdillos uvis delectari, unde latini hoc nomine dissolutos notare potuissent, ut apud Gallos vox *grivois* e voce *grive* (turdus) facta esse videtur. (E notis *Lagrange* versum.)

Digitized by Google

EPISTOLA XCVII.

ET NUNC ET OLIM FUISSE MALOS : DE VI CONSCIENTIÆ.

Lucilium de sæculi vitiis questum refutat, et nunc docet et olim fuisse malos, exemplo petito a judicio Clodiano, quod Clodius nummis et adulteriis, idque Catonis tempore, corruperat. Suo tamen tempore docet fuisse frugaliorem juventutem, et quamvis vitia erumpant, quoniam ad deteriora faciles sumus, vitæ peccata delectant, et prava consuetudo juvat; tamen Boni sensus animis subest, et bona conscientia, quæ prodire vult et conspici, quum nequitia ipsas tenebras timeat, nec latendi fiduciam, Epicuro monente, habeat. Nam mala facinora conscientia damnantur, atque etiam interno flagello, aut morsu puniuntur.

Cf. Nostrum Epist. CV, et Cicero De Fin. I, 11.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Erras, mi Lucili, si existimas nostri sæculi esse vitium luxuriam et negligentiam boni moris, et alia, quæ objecit[1] suis quisque temporibus. Hominum sunt ista, non temporum; nulla ætas vacavit a culpa. Et, si æstimare licentiam cujusque sæculi incipias, pudet dicere, nunquam apertius, quam coram Catone, peccatum est. Credat aliquis[2] pecuniam esse versatam in eo judicio, in 2
quo reus erat Clodius[3] ob id adulterium, quod cum Cæ-

1. *Objecit.* In præt. pro more Nostri, *a. c. A.* Vulgo *objicit. Schw.* — *Quæ objecit.... quisque temporibus.* Notum est Hesiodeum Opp. et D. 157 sq. et Horat. in Art. poet. 173 in descriptione senis : « Difficilis, querulus, laudator temporis acti Se puero, censor castigatorque minorum. » Cf. Gatack. ad M. Anton. VII, 1. *Ruhk.*

2. *Credat aliquis*, etc. Fiebat hoc facinus a. U. 691. Vide Ciceron. Epp. ad Attic. I, 13, 14, 16, et Middleton's *life of Ciceron* ad h. ann. *Ruhk.*

3. *P. Clodius.* Quæstor et senator, homo nobilis (Appii filius), disertus, audax, malorum propositorum executor, infamis etiam sororis stupro (Vellei. Pat. II, 45), adulterium cum

Digitized by Google

saris uxore in aperto[1] commiserat, violatis religionibus ejus sacrificii, quod pro populo fieri dicitur, sic submotis extra conspectum omnibus viris, ut picturæ quoque masculorum animalium contegantur? Atqui[2] dati judicibus nummi sunt; et, quod hac etiamnunc pactione turpius est, stupra insuper matronarum et adolescentulorum no-
3 bilium stillarii loco[3] exacta sunt. Minus crimine, quam absolutione, peccatum est. Adulterii reus adulteria divisit, nec ante fuit de salute securus, quam similes sui judices suos reddidit. Hæc in eo judicio facta sunt, in quo, si nihil aliud, Cato testimonium[4] dixerat. Ipsa ponam verba Ciceronis, quia res fidem excedit (*Epistola-*
4 *rum ad Atticum* libro I[5]) : « Arcessivit ad se[6], promisit, intercessit, dedit. Jam vero, o Dii boni, rem perditam!

Pompeia, C. Jul. Cæsaris uxore, in ædibus Pontificis maximi, ubi sacra Bonæ Deæ non adeunda viris (vide Tibull. I., 6, 22. Juvenal. VI, 339. interpp. Cicer. Harusp. resp. 17) quæ ad Phalli (Lingam vocant Orientales) religionem spectasse videntur, per virgines vestales incredibili cerimonia quotannis celebrabantur, commiserat, ut Seneca h. l. et Dio Cass. XXXVII, 45, tradunt, s. commissurus erat teste Cicerone l. l.; sed detectus accusatus est. *Ruhk.*

1. *In aperto. In operto* ed. Lips. et seqq. ex uno Pal. 4. *Schw.*

2. *Atqui.* Etiamsi hoc facinus horrendum esset, tamen. — Quæstio extra ordinem fuit. Quum enim Pontifices, ad quos res delata fuerat, nefas esse decrevissent, Clodiani pertulerunt, ut non judicio populi, sed prætoris et sex et quinquaginta judicum ad id selectorum committeretur, a quibus Clodius absolutus est. *R.*

3. *Stillarii loco.* (Conf. *Ducange* Glossar. voc. *stillatura.*) Recte vett. libri omnes, nisi quod nonnulli simpl. *l* ponunt, et in fine *i*, pro more, pro *ii*. Vulgo *salarii* ex edit. Ven. *Schw.* — Sane *stillarium* aliquis interpretetur pro additamento vel auctario, quod supra legitimam mensuram in liquidis velut stillando datur, et hinc metaphora (vulgari sermone : *Pardessus le marché*). Ipse mox Seneca, *accessionem* vocat : et Cicero, *mercedis cumulum;* scilicet non contenti nummis judices, mercedis cumulum petierunt, ut sibi matronæ nobiles et adolescentuli in stuprum traderentur.

4. *Cato testimonium.* Catonem testimonium contra Clodium dixisse, aliunde, opinor, non constat. *Ruhk.*

5. *Cic... excedit... lib. I.* Hæc verba Schweigh. solus textui inseruit, ex ms. *a. Epistolarum ad Atticum libro* quod a Romanorum consuetudine prorsus abhorrere nobis videtur. Cæterum hæc ex Ep. XVI desumpta sunt.

6. *Arcessivit ad se.* Non Clodius

Digitized by Google

etiam noctes certarum mulierum, atque adolescentulorum nobilium introductiones, nonnullis judicibus pro mercedis cumulo fuerunt. » — Non vacat de pretio queri, plus in accessionibus fuit. Vis severi illius uxorem? dabo illam. Vis divitis? hujus quoque tibi præstabo concubitum. Adulterium nisi feceris, damna[1]. Illa formosa, 5
quam desideras, veniet; illius tibi noctem promitto, nec differo : intra comperendinationem[2] fides promissi mei exstabit[3]. Plus est distribuere adulteria, quam facere : illud est, matribus familiæ[4] denuntiare; hoc,[5] illudere. Hi judices Clodiani a senatu petierant præsidium, quod non erat, nisi damnaturis, necessarium[6]; et impetraverant. Itaque eleganter illis Catulus, absoluto reo : « Quid 6
vos, inquit, præsidium a nobis petebatis? an, ne nummi vobis eriperentur[7]? » Inter hos tamen jocos, impune

ipse, sed Crassus, qui corrumpendos judices susceperat, ut patet ex illa Ciceronis epistola, unde verba a Seneca allata petita sunt.

1. *Adulterium nisi feceris, damna.* Ex uno cod. pal. sic optime restituit Grut., quocum consentit editio vetus. Erasmi ed. *adulterium ubi feceris damna. Ruhk.* — *Lagrange*, Erasmi lect. sane secutus, vertit : *Après cela, condamnez l'adultère, quand vous en serez coupable vous-même.* — Sensus vero, admissa nostra lect., videtur esse : si promissum adulterium non obtinueris, me a te damnari annuo.

2. *Intra comperendinationem fides promissi m.* Ita alias legi notatum ad oram edit. Erasm., quæ habet : *intra comparandi f.* quocum mss. codd. consentiunt : nullo sensu. — *Intra comperendinationem.* I. e. priusquam in suffragia de me vocentur judices : itaque, hac in causa, actione secunda i. comperendinatione admissa. Cf. Heineccii Antiq. rom. syntagm. IV, 18, 30. *Ruhk.*

3. *Exstabit*, *a. c. R. A.* Vulgg. edd. *stabit. Schw.*

4. *Matribus.... denuntiare.* Velut imperium in eas exercere, et per minas ad alium mittere : quod plus est, quam per blanditias subrepere et illudere. *Lips.*

5. *Hoc*, *illudere.* Duo verba ignorant alii libri omnes, excepto uno Pinciani (et eo quidem alioqui non optimo) et Palatinus sec. e quibus illa primus recepit Mur. *Schw.*

6. *Nisi damnaturis*, *necessarium.* Quia Clodius turbulentissimis civibus nitebatur, quos divitiis publicis rapinisque quotidie pascebat; quique, eo damnato, in judices forsan desæviissent, nisi publico præsidio illi defensi fuissent.

7. *Ne nummi vobis eriperentur.* De his omnibus vide Ciceron. Ep. ad Attic. lib. I. Ep. XVI.

Digitized by Google

tulit[1] ante judicium adulter, in judicio leno; qui dam-
nationem pejus effugit, quam meruit. Quidquam fuisse
corruptius illis moribus credis, quibus libido non sacris
inhiberi, non judiciis poterat; quibus in ea ipsa quæs-
tione, quæ extra ordinem senatusconsulto exercebatur,
7 plus, quam quærebatur, admissum est[2]? Quærebatur,
an post adulterium aliquis posset tutus esse; apparuit,
sine adulterio tutum esse non posse. Hoc inter Pompeium
et Cæsarem, inter Ciceronem Catonemque commissum
est; Catonem, inquam, illum, quo sedente populus ne-
gatur permisisse sibi postulare Florales jocos[3] nudanda-
rum meretricum. Credis spectasse tunc severius homines,
quam judicasse? Et fient, et facta ista sunt: et licentia
urbium, aliquando disciplina metuque, nunquam sponte,
8 considet. Non est itaque[4] quod credas, nunc plurimum
libidini permissum esse, legibus minimum. Longe enim
frugalior hæc juventus, quam illa, est, quum reus adul-
terium apud judices negaret, judices apud reum confi-
terentur; quum stuprum committeretur rei judicandæ
causa; quum Clodius iisdem vitiis gratiosus, quibus no-

1. *Impune tulit.* Int. impunitus dimissus est Clodius, nec ulla pœna affectus, etiamsi adulter et leno esset.

2. *Plus, quam quærebatur, admissum est?* Scilicet majus crimen, quam illud de quo in judicio quærebatur, in ipso judicio admissum est: continuatio est ejus sententiæ, turpiorem fuisse Clodii absolutionem quam scelus.

3. *Florales jocos.* Floralia Aprili exeunte celebrata, ut omnia bene deflorescerent (Plin. XVIII, 29), in honorem Nymphæ Chloridis, Ovid. Fast. V, 195. Lactant. I, 20, 10 de falsa Relig.: « Celebrantur illi ludi eum omni lascivia convenientes memoriæ meretricis. Nam præter verborum licentiam, quibus obscenitas omnis effunditur, exuuntur etiam vestibus populo flagitante meretrices, quæ tunc mimarum funguntur officio, et in conspectu populi usque ad satietatem impudicorum luminum cum pudendis motibus detinentur. » Laudat Val. Max. II, 10, 8. Martial. I, Epigr. 1. *Ruhk.*

4. *Non est itaque...minimum.* Bene vertit *Lagrange*: *Ne croyez donc pas que la débauche ait acquis des forces dans notre siècle, et que les lois en aient perdu.*

Digitized by Google

cens, conciliaturas[1] exerceret in ipsa causæ dictione. Credat hoc quisquam? qui damnabatur uno adulterio, 9
absolutus est multis!

Omne tempus Clodios, non omne Catones feret. Ad deteriora faciles sumus, quia nec dux potest, nec comes deesse: et res etiam ipsa sine duce, sine comite, procedit; non pronum [iter[2]] est tantum ad vitia, sed præceps. Et, quod plerosque inemendabiles facit, omnium aliarum artium peccata artificibus pudori sunt, offenduntque deerrantem[3]; vitæ peccata delectant. Non gau- 10
det navigio gubernator everso; non gaudet ægro medicus elato; non gaudet orator, si patroni culpa reus cecidit: at, contra, omnibus crimen suum voluptati est. Lætatur ille adulterio, in quod irritatus est ipsa difficultate; lætatur ille circumscriptione furtoque; nec ante[4] illi culpa, quam culpæ fortuna, displicuit. Id prava consuetudine evenit. Alioquin, ut scias subesse animis, etiam in pessima abductis, boni sensum, nec ignorari turpe, sed negligi; omnes peccata dissimulant, et, quamvis feliciter cesserint, fructu illorum utuntur, ipsa subducunt. At 11

1. *Conciliaturas*. Honesto nomine vocavit lenocinia (*fonctions d'entremetteur*). Conciliandi enim verbum proprie in (nequitia et) matrimonio dicitur. Ovid. Amor. I, 13, 42: « Num me nupsisti conciliante seni. » *Mur.*

2. *Pronum* [*iter.*] Perperam *prænuncius*, *a. c. R. A.* et omnes Pinc. et Gruteri codd. *Pronum iter* primus edidit Erasm. (nescio an ex vet. cod. Brit. quem in Append. laudat) et tenuit Mur. Dein nude *pronum* ed. Lips. Gron. et Bip. quod revocavit Matthiæ, qui tamen in Progr. ait male se dedisse integrum *pronum iter*. Equidem substantivum nomen uncis inclusi, ut suspectum: nunc vero prorsus abjectum malim: nam sicut nomine *præceps* substantive utitur Noster (conf. Epist. XCIV), sic et *pronum* substantive accipi poterat, subintellecto (si velis) nomine *iter*. *Prænuntius* revocavit Ruhkopfius; tum sua auctoritate *præceps* in *præceptor* mutavit, quod merito repudiavit Matth. *Schw.*

3. *Deerrantem : vitæ p. d.* Omnium fere codd. lectio est. Erasmus: *dum errantem v. p. d.* Muretus in ed. rom. ex ingenio: *errantem in vitia p. d. Ruhk.*

4. *Nec ante... displicuit.* I. e. non

Digitized by Google

bona conscientia prodire vult et conspici; ipsas nequitia tenebras timet. Eleganter itaque ab Epicuro[1] dictum puto : « Potest nocenti contingere ut lateat, latendi fides non potest : » aut, si hoc modo melius hunc explicari posse judicas sensum : Ideo non prodest latere peccantibus, quia latendi etiam si felicitatem habent, fiduciam non habent. Ita est! tuta scelera esse possunt, secura non possunt.

12 Hoc ego repugnare[2] sectæ nostræ, si sic expediatur, non judico. Quare? quia prima illa[3] et maxima peccantium est pœna, peccasse; nec ullum scelus, licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur ac vindicet, impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est. Sed nihilominus et hæ illam[4] secundæ pœnæ premunt ac sequuntur, timere semper, et expavescere, et securitati
13 diffidere. Quare ego hoc supplicio nequitiam liberem? quare non semper illam in suspenso relinquam? Illic dissentiamus[5] cum Epicuro, ubi dicit : « Nihil justum esse

aliter culpa displicuit, quam si successus eventusque non placuit, ex voto non fuit. *Lips.*

1. *Epicuro.* Servavit Diog. Laert. X, 151, p. 671 Amstel. ubi sententia rata 38 hæcce est : « Οὐκ ἔστι τὸν λάθρα τὶ ποιοῦντα ὧν συνέθεντο πρὸς ἀλλήλους, εἰς τὸ μὴ βλάπτειν, μηδὲ βλάπτεσθαι, πιστεύειν ὅτι λήσει, κἂν μυριάκις ἐπὶ τοῦ παρόντος λανθάνῃ· μέχρι γὰρ καταστροφῆς ἄδηλον εἰ καὶ λήσει. *R.*

2. *Hoc ego repugnare sectæ nostræ.* Stoicæ : quia Stoici peccatum ob ipsum fugi spernique volebant, ut virtutem amari ob ipsam. At Epicurei præmia et pœnas in utrisque spectabant. Neque prorsus damno, ait Sen., neque pugnat nobiscum : quia, etsi in peccato malum est, tamen et pœnæ secundæ adhærent sequuntur-que; et earum aspectu peccare etiam timeamus. *Lips.*

3. *Prima illa.* Temere omissa vox posterior in edd. inde a Mur. *Schw.*

4. *Et hæc illam.* Recte *a. c.* A. Vulgo *et hæc, et illa. Schw.*

5. *Illic dissentiamus.* Timor assiduus facit, Epicurus ait, ut vitia et crimina vitanda esse censeamus. Consentit Seneca, sed dissentit in eo, quod negat, actionum nostrarum causam hanc esse primariam. Apud Diog. Laert. l. l. 36, 37 agit Epicurus de injustitia, quam per se et natura malam esse negat, sed metu suspicionis, ne fortasse non lateat talium facinorum vindices et exactores. At contra Stoici ap. Ciceron. de Fin.

Digitized by Google

natura, et crimina vitanda esse, quia vitari metus non possit. » Hic consentiamus, mala facinora conscientia flagellari, et plurimum[1] illi tormentorum esse, eo, quod perpetua illam sollicitudo urget ac verberat, quod sponsoribus securitatis suæ non potest credere. Hoc enim ipsum argumentum est[2], Epicure, natura nos a scelere abhorrere; quod nulli non etiam inter tuta timor est. Multos fortuna liberat pœna, metu neminem. Quare? 14
nisi quia[3] infixa nobis ejus rei aversatio est, quam natura damnavit? Ideo nunquam fides latendi fit etiam latentibus, quia coarguit illos conscientia, et ipsos sibi ostendit[4]. Proprium autem est nocentium, trepidare. Male de nobis actum erat, quod multa scelera legem et judicem effugiunt et scripta supplicia, nisi illa naturalia et gravia de præsentibus solverent, et in locum patientiæ timor[5] cederet. Vale.

III, 21 : « Minime vero probatur huic disciplinæ (stoicæ), de qua loquor, aut Amicitiam, aut Justitiam ob utilitates adscisci, aut probari. Jus autem, quod ita dici appellarique possit, id esse natura, alienumque a sapiente non modo injuriam cuiquam facere, verum etiam nocere. » *Ruhk.*

1. *Plurimum.* Temere *plurima* ed. Rip. et Ruhk. *Schw.*

2. *Argumentum est, Epicure, natura nos*, etc. *Argumentum Epicure*, absque *est*, ms. *a*. *Argumentum est Epicuri* ms. *c*. et ed. *A*. Duabus scripturis inter se collatis, prodibat nostra, quam unice veram judicavi, eamdemque jam Lipsius ex conject. proposuerat. Absurde vulgo, et prorsus contra Senecæ mentem, *argumentum Epicuri est. Schw.*

3. *Nisi quia, a.c. A.* Pal. 2. Aberat vulgo *nisi. Schw.*

4. *Et ipsos sibi ostendit.* Sic Juvenalis, XIII, 198 : « Nocte dieque suum gestare in pectore testem. »

5. *In locum patientiæ timor.* Scilicet, in locum pœnarum, quæ revera accidere debent, timor earum cederet, succederet, quæ accidere possunt. *Ruhk.*

Digitized by Google

EPISTOLA XCVIII.

BONIS EXTERNIS NON CONFIDENDUM.

Amicum hortatur, ut neminem felicem credat ex felicitate suspensum, ideoque ex iis quæ fragilia sunt, nec in nostra potestate : sed illud, quod ex se ortum, fidele firmumque est, et in nostra potestate, sapientiam puta et virtutem, prosequatur. Neque tamen illa externa omnino aspernanda sunt, sed consideranda tanquam materia bonorum malorumque, prout iis aliquis utatur. Præparandus itaque animus ad amissionem bonorum, et obfirmandus ad tolerandum : neque tamen ita, ut sit futuri anxius. Quidni ? et alii tulerunt, et nos mala, quæ terribilia videntur, non sunt, vincamus, inter exempla simus, et ipsam vitam, dum ea ūti possis, non deseramus. Sic philosophiam in opere discamus.—Utiliter libri Senecæ de Tranquillitate animi, de Vita beata, et de Constantia sap., una cum Consolationibus tribus conferentur.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Nunquam credideris felicem quemquam ex felicitate suspensum[1]! Fragilibus innititur, qui adventitio lætus est : exibit gaudium, quod intravit. At illud ex se ortum fidele firmumque est, et crescit, et ad extremum usque prosequitur : cætera, quorum admiratio est vulgo, in diem bona sunt. — Quid ergo? non usui ac voluptati esse possunt?— Quis negat? sed ita, si illa ex nobis[2] pendent,

1. *Nunquam... suspensum.* Contra Epicureos hoc dictum esse constat, quippe qui in felicitate acquirenda summum bonum et sapientiam collocavere, atque conscientiam rationis ad felicitatem ducentis virtutem nominaverunt : quum Stoici in uno honesto sapientiam et virtutem, cætera in externis ponerent. Egregie judicantem cf. Kantium *in Critik der prakt. Vernunft* p. 198 sq. ed. II. *R.*

2. *Si illa ex nobis pendent.* Atqui ex nobis pendent quum illis nos non tradimus totos, sed eis ita fruimur ut nullo modo impediant animum ad vera bona tendentem; ut, si tollan-

Digitized by Google

non ex illis nos. Omnia quæ fortunam intuentur, ita fructifera ac jucunda fiunt, si qui habet illa[1], se quoque habet, nec in rerum suarum potestate est. Errant[2] enim, 2
Lucili, qui aut boni aliquid nobis, aut mali judicant tribuere fortunam : materiam dat bonorum ac malorum, et initia rerum apud nos in malum bonumve exiturarum. Valentior enim omni fortuna animus est; in utramque partem ipse res suas ducit, beatæque ac miseræ vitæ sibi causa est. Malus[3] omnia in malum vertit, etiam quæ cum specie[4] optimi venerant : rectus atque integer[5] corrigit 3
prava fortunæ, et dura atque aspera ferendi scientia mollit; idemque et secunda grate excipit modesteque, et adversa constanter ac fortîter. Qui licet prudens sit, licet exacto faciat cuncta judicio, licet nihil supra vires suas tentet; non continget[6] illi bonum illud integrum, et extra minas positum, nisi certus adversus incerta est. Sive alios 4
observare volueris (liberius enim inter aliena judicium est), sive te ipsum, favore seposito; et senties hoc, et confiteberis, nihil ex his optabilibus et caris utile esse, nisi te contra levitatem casus, rerumque casum sequentium, instruxeris; nisi illud frequenter, et sine querelæ, inter singula damna dixeris : Diis aliter visum[7] est.

tur, potius ea videantur a nobis relicta, quam nos ab illis; adeo æquo animo illorum solamur jacturam!

1. *Qui habet illa. Qui* ex conject. correxi, quum *si quis* dedissent vett. libri; quod tenens Erasmus, *habens* ex conject. edidit. *Schw.*

2. *Errant.* Fere omnes præter Stoicos philosophi, atque de his rebus semper digladiati sunt invicem. Sæpe jam monuimus. *Ruhk.*

3. *Malus.* Ruhkopf. cum quinque codd. addit *animus*.

4. *Cum specie.* Sic exhibent *a. c. R. A.* Aberat *cum* vulgatis edd. *Schw.*

5. *Rectus atque integer.* I. sapiens. Sæpe a nostro describitur eodem modo, nec abludit Horat. ad Licin. Carm. II, 10. III, 29. al. Fortunam ludum ludere cum hominibus sæpe crudelem, minari et malis hominum gaudere, nota est antiquitatis opinio vel ex Horatio Carm. supra laud. ad Mæcen. Od. III, 29, vss. 49 sqq. *R.*

6. *Continget.* Vulgo *contingit*, et mox *extra minas fortunæ positum* edd. invitis mss. *Schw.*

7. *Diis aliter visum.* Quam bene

Digitized by Google

5 Imo, mehercules, ut carmen[1] fortius ac justius repetam[2], quo animum tuum magis fulcias, hoc dicito, quoties aliquid aliter, quam cogitabas, evenerit : Dii melius[3]. Sic composito nihil accidet. Sic autem componetur, si, quid humanarum rerum varietas possit, cogitaverit, antequam senserit; si et liberos, et conjugem, atque patrimonium sic habuerit, tanquam non utique semper habiturus, et tanquam non futurus ob hoc miserior, si
6 habere desierit. Calamitosus est animus futuri anxius, et ante miserias miser; qui sollicitus est, ut ea, quibus delectatur, ad extremum usque permaneant. Nullo enim tempore conquiescet; et exspectatione venturi[4] præsentia, quibus frui poterat, amittet. In æquo est autem amissio rei, et timor amittendæ.

7 Nec ideo præcipio tibi negligentiam. Tu vero[5] metuenda declina; quidquid consilio prospici potest, prospice; quodcumque læsurum est, multo ante, quam accidat, speculare et averte[6]. In hoc ipsum tibi plurimum conferet fiducia, et ad tolerandum omnino obfirmata mens. Potest fortunam cavere, qui potest ferre; certe in tranquillo non tumultuatur[7]. Nihil est nec miserius nec

convenit hoc stoici sapientis dictum inter adversa fortunæ, cum isto Christianorum voto : fiat voluntas tua!

1. *Carmen.* I. formulam. *Ruhk.*

2. *Repetam.* Sic olim ed. Ven. Er. et Mur. rursusque nuper Ruhk. Sed rectius fortasse fuerit *petam* quod habet ed. Lips. Gron. et Bip. cum *a. c. R. A.* Pinc. et Grut. *Schw.*

3. *Dii melius* providebunt. Formulam autem loquendi hanc: *Dii melius duint*, *Dii meliora ferant*, *Dii meliora*, *melius*, plerumque explicare licet per : εὐφήμει, velut Cicero de Senect. c. 14, interpretatur Sophoclis responsum ap. Platon. Vol. VI, p. 150 bip.; sed h. l. et aliis, quæ Brisson. de formulis etc. collegit, suppleas : dabunt, eo sensu, quo Horatius Carm. II, 10, 17 cecinit : « Non si male nunc, et olim sic erit. » *R.*

4. *Exspectatione venturi* ms. *a.* et ed. *A.* Vulgo *futuri. Schw.*

5. *Tu vero.* Perperam vulgo *quin vero. Schw.*

6. *Averte.* Perperam *adverte* vulgo scribitur. *Schw.*

7. *Certe in tranquillo non tumultuatur.* Int. certe, quidquid accidat, si animus tuus tranquillus est, et firma

Digitized by Google

stultius, quam prætimere. Quæ ista dementia est, malum suum antecedere? Denique, ut breviter includam 8
quod sentio, et istos satagios[1], ac sibi molestos describam tibi : tam intemperantes in ipsis miseriis sunt, quam sunt ante illas. Plus dolet quam necesse est, qui ante dolet quam necesse sit. Eadem enim infirmitate[2] dolorem non æstimat, qua non exspectat. Eadem intemperantia fingit sibi perpetuam felicitatem suam[3], fingit sibi crescere debere quæcumque contigerunt, non tantum durare; et, 9
oblitus hujus petauri[4], quo humana jactantur, sibi uni fortuitorum constantiam spondet. Egregie itaque videtur mihi Metrodorus[5] dixisse in ea *Epistola*, qua sororem, amisso optimæ indolis filio, alloquitur[6] : « Mortale est omne mortalium bonum[7] ! » De his[8] loquitur bonis, ad

nititur virtute, in eo tumultum excitare fortuna non poterit.

1. *Satagios, a. c. R. A.* non *satageos*. Ruhk. edidit *satageos* quod interpretatur anxios : a satagendo, sicut abigei ab abigendo.

2. *Eadem infirmitate...exspectat.* Dum veniat, i. e. æque errat in nimis æstimando dolore quam in exspectando. *Ruhk.*

3. *Suam*, quod aberat vulgo, dedere *a. c. R. A. Ead. lin.* ubi repetitur *fingit sibi*, omitti poterat pronomen cum ms. *a. Schw.*

4. *Et, oblitus hujus petauri.* Pro *petauri*, quidam libri *peccati* vulgo editur *fati. Lips.* — Petaurum (πέταυρον, dor. et æol. i. q. μετέωρον, ut adeo male a veteribus grammaticis deducta sit vox a πρὸς τὸν ἀέρα πετᾶσθαι) machinatio quædam proprie funambulorum, cujus ope corpora in altum vibrantur : hinc πέταυρον τῆς τύχης, jactatio fortunæ, apud Plutarchum. *Ruhk.* — Ad ludi genus respicit, tunc frequentis. Rota suspendebatur, per quam motam corpora trajiciebant saltu : atque ii petauristæ dicebantur : ipsa illa petaurum. Videntur et in petauro suspensi fuisse, et in eo elati, ejecti : quo noster maxime spectat. Manilius lib. V : « Ad numeros etiam ille ciet cognata per artem Corpora, quæ valido saliunt excussa petauro, Alternosque cient motus : elatus et ille Nunc jacet, atque hujus casu suspenditur ille. » Vide ibi doctissimum Scaligerum. Et sane artificis cujusdam oscillationis hoc genus fuisse videtur. *L.*

5. *Metrodorus.* Amicus Epicuri notus, *in ea epistola*, quæ nunc deperdita est, et cujus mentio nonnisi h. l. et seq. Epist. fit. *Ruhk.*

6. *Alloquitur.* Consolatur. *R.*

7. *Mortale... bonum.* Ab Euripide (fragm. LXVIII, T. II, p. 485, ed. Lips.) hoc Metrodorus sumpsit : Θνητῶν δὲ θνητὸς ὄλβος. *Muret.*

8. *De his... concurritur.* De fortui-

Digitized by Google

quæ concurritur : nam illud verum bonum non moritur, certum est sempiternumque, sapientia et virtus : hoc
10 unum contingit immortale mortalibus. Cæterum tam improbi sunt, tamque obliti quo eant, quo illos singuli dies turbent [1], ut mirentur aliquid ipsos [2] amittere, amissuri uno die omnia. Quidquid est, cui dominus inscriberis, apud te est, tuum non est; nihil firmum infirmo, nihil fragili æternum et invictum est. Tam necesse est perire quam perdere; et hoc ipsum, si intelligimus, solatium est, æquo animo perdere, quod periturum est [3].

11 Quid ergo adversus has amissiones auxilii invenimus [4]? —Hoc, ut memoria teneamus amissa, nec cum ipsis fructum excidere patiamur, quem ex illis percepimus. Habere eripitur; habuisse nunquam. Peringratus est, qui, quum amisit, pro accepto nihil debet. Rem nobis eripit casus; usum fructumque apud nos reliquit, quem nos
12 iniquitate desiderii perdidimus. Dic tibi : « Ex istis, quæ terribilia videntur, nihil est invictum. Singula vicere jam multi : ignem Mucius [5]; crucem Regulus; venenum Socrates; exsilium Rutilius [6]; mortem ferro adactam Cato : et nos vincamus aliquid! Rursus

tis, e. g. divitiis, honoribus etc. *R.*

1. *Turbent*, *a. c. R. A.* cum aliis. Vulgo *trahant* ex uno cod. Pinc. et duobus Gruteri. *Schw.* — *Trudant* Muretus ex Erasm. et Pinc. conj. *R.*

2. *Ipsos*. Habent *se* edd. a Mur. invitis msstis. *Schw.*

3. *Quod periturum est*. Tenui hoc, editum ante Ruhk. ex ed. *R.* Perperam *pereundum est*, absque *quod*, ms. *a.* et tres Palat. *Quod pereundum est c. A.* cum Pal. sec. et Col. quod recepit Ruhk. *Quod perdendum est* unus probatissimus cod. Pinc. *Schw.*

4. *Invenimus... amisit... reliquit... perdidimus*. Omnia ex libris nostris correcta, pro vulgatis *inveniemus*, *amiserit*, *relinquit*, *perdimus*. *S.*

5. *Mucius* (Scævola); *crucem Regulus*. Vide de Provid. III, 5. Fuisse varietatem in hac re narranda, tum ex hoc loco, tum ex Floro, II, 2, apparet. Nec ultimo illo sive carceris, sive crucis supplicio deformata Reguli majestas. Addas iis, quos in nota ad 3 de Prov. 5 laudavi, Ruperti ad Sil. Ital. VI, 539 : « Italiam cruce sublimis spectaret ab alta.» *Ruhk.*

6. *Rutilius*. De Rutilio cf. ad Consol. ad Marc. 22, 2. Athen. IV, 19. *R.*

Digitized by Google

ista, quæ, ut speciosa et felicia, trahunt vulgum, a multis et sæpe contempta sunt. Fabricius divitias imperator rejecit[1], censor notavit; Tubero[2] paupertatem et 13
se dignam et Capitolio judicavit, quum, fictilibus[3] in publica cœna usus, ostendit, debere his hominem esse contentum, quibus Dii etiamnunc uterentur. Honores repulit pater Sextius[4], qui, ita natus, ut rempublicam deberet capessere, latum clavum[5], divo Julio dante, non recepit: intelligebat enim, quod dari posset, et eripi posse. Nos quoque aliquid ipsi faciamus animose! simus inter exempla! Quare deficimus? quare desperamus? 14
Quidquid fieri potuit, potest. Nos modo purgemus animum, sequamurque naturam; a qua aberranti cupiendum timendumque est, et fortuitis serviendum. Licet reverti in viam, licet in integrum restitui. Restituamur, ut possimus dolores, quocumque modo corpus invaserint, perferre, et fortunæ dicere: Cum viro tibi negotium est; quære quem vincas! »

His sermonibus[6], et his similibus, lenitur illa vis ul- 15

1. *Fabricius.... rejecit.* Et quum Pyrrhus illi magnifica munera, amicitiæ pignus, obtulit; et quum Samnitium legatis ingentem illi summam pecuniæ offerentibus, ut gratum animum ob concessam pacem testificarentur, respondit se malle his imperare qui aurum haberent, quam aurum habere.

2. *Tubero.* Conf. ad Epistol. XCV, § 72. *Ruhk.*

3. *Fictilibus.... uterentur.* Confer. Ep. XXXI fin. Plin. 35, 46: « In satris quidem etiam inter has opes hodie fictilibus prolibatur simpuviis. » Confer. Heynius ad Tibull. I, 1, 38. *Ruhk.*

4. *Pater Sextius* dignitatem senatoriam repudiavit et se ad philosophiæ stoicæ studium contulit. Is et filius celebres fuere primis sub imperatoribus rom. Cf. ad Ep. LIX, 6. Muretus hic laudat Plutarch. Vol. II, p. 77. E. Frcf. *Ruhk.*

5. *Latum clavum.* Insigne senatorium, pectore demissum. *Lips.*

6. *His sermonibus, et* etc. Abrupta hæc esse quivis intelligit, inquit Ruhk. Quare Muretus ait: quum hujus senis nullam in superioribus mentionem fecerit Seneca, facile adducor, ut putem, multa hujus epistolæ principio desiderari. At Stephanus Epist. ad Dalecham. XXVII crediderit potius, hujus ipsius epistolæ finem desiderari, et principium ali-

Digitized by Google

ceris : quam opto mehercules mitigari, et aut sanari, aut stare et cum ipso senescere. Sed securus de illo sum : de nostro damno agitur, quibus senex egregius eripitur. Nam ipse vitæ plenus est, cui adjici nihil desiderat sua
16 causa, sed eorum quibus utilis est[1]. Liberaliter facit, quod vivit. Alius jam hos cruciatus finisset : hic tam turpe putat mortem fugere, quam ad mortem confugere. — Quid ergo? non, si suadebit res, exibit?—Quidni exeat, si nemo jam uti eo poterit? si nihil aliud, quam dolori operam dabit? Hoc est, mi Lucili, philosophiam in opere discere[2], et ad verum exerceri : videre quid homo prudens animi habeat contra mortem, contra dolorem; quum
17 illa accedat[3], hic premat. Quid faciendum sit, a faciente discendum est. Adhuc argumentis actum est, an posset[4] aliquis dolori resistere, an mors magnos quoque animos admota submitteret[5]. Quid opus est verbis? In rem præsentem eamus! nec mors illum[6] contra dolorem

cujus alius, ad quam pertinent : *his sermonibus* etc. — Schw. vero : Nil opus esse videtur, ut cum viris doctis statuamus plura quædam intercidisse ante ista verba. Respondere hæc potuit Seneca ad præcedentem aliquam Lucilii Epistolam : ac sive casu, sive consulto omittere potuit viri illius nomen, de quo hic agitur.

1. *Sed eor. q. util. e.* Eodem argumento sibi mortem consciscendi cupiditatem insanam aggreditur *J.-J. Rousseau : S'il te reste au fond du cœur le moindre sentiment de vertu, viens, que je t'apprenne à aimer la vie. Chaque fois que tu seras tenté d'en sortir, dis en toi-même : que je fasse encore une bonne action avant que de mourir. Puis va chercher quelque indigent à secourir, quelque infortuné à consoler, quelque malheureux à défendre... Si cette considération te retient aujourd'hui; elle te retiendra encore demain, après demain, toute la vie. Si elle ne te retient pas, meurs; tu n'es qu'un méchant.*

2. *In opere discere.* Sic plurimi codd. at quidam *in opus ducere*, item bene, propter sequentia : *in rem præsentem eamus. Ruhk.*

3. *Quum illa accedat, hic premat. accedit* malebam, et *premit;* ut alibi, ubi *quum* tempus significat. Sed nil mutant libri : nempe *quum* hic pro *quamvis* accipi debebit. *Schw.*

4. *Posset.* Sic mss. *a. R. A.* Vulgo *possit. Schw.*

5. *Submitteret* dederunt *a. c. A.* Vulgo *submittere. Schw.*

6. *Nec mors illum... contra mortem.* Lux e sequentibus affulget : scilicet non ideo contra dolores fortis

Digitized by Google

facit fortiorem, nec dolor contra mortem : contra utrumque sibi fidit; nec spe mortis patienter dolet, nec tædio doloris libenter moritur : hunc fert, illam exspectat. Vale.

est, quod sperat dolorem brevi morte finiendum esse; nec ideo contra mortem fortis est, quod talis dolor vitam morte pejorem facit.

EPISTOLA XCIX.

CONSOLATORIA IN MORTE FILII; NON INDULGENDUM DOLORI.

Cum amico epistolam communicat Marullo scriptam, quum is filium parvulum amisisset morte. Magis objurgat Marullum quam consolatur, quoniam molliter jacturam ferre dicebatur. Quum filius incertæ spei decesserit parvulus, quid faceret Mar. si amicum amisisset? Causæ doloris non sunt conquirendæ, sed magis gaudendum eo, quod habuisset mortuum, quam mœrendum, quod amisisset : dolor est quum ingratus, tum supervacuus. Deinde omnes sequamur, quos amisimus, nos oportet. Mors ex omnibus rebus certissima est. Nec lugendum, quod puer decessit. Vita enim et per se considerata et immenso comparata brevissima est. Accedit, quod vita nec bonum nec malum est; sed plus timeri poterat, ut spes egregias impleret, si consideraveris, qualis ætas sit. Atqui naturæ tributum solvas : quod Stoæ præceptis haudquaquam adversatur; sed absit omnis ostentatio doloris : omnia ad rationem revocanda sunt. Deinde memoria mortui celebranda, sæpius de eo cogitandum est, ut omnis acerbitas tristitiæ abeat : neque tristitiæ indulgendum est, quidquid contra dicat Metrodorus; voluptatem aliquam coguatam esse tristitiæ.

Cf. Senecæ tres Consolationes, et superiorem Epistolam.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

EPISTOLAM[1], quam scripsi Marullo[2], quum filium parvulum amisisset, et diceretur molliter ferre[3], misi tibi.

1. *Epistolam... misi tibi.* Sequitur inde a § 2. *Ruhk.*

2. *Marullo.* De Marullo nihil amplius constat, quam quod hic legis.

3. *Molliter ferre.* Id est, luctui nimis indulgere.

Digitized by Google

In qua non sum solitum morem secutus, nec putavi leniter illum debere tractari, quum objurgatione esset quam solatio[1] dignior. Afflicto enim, et magnum vulnus male ferenti, paulisper cedendum est : exsatiet se, aut certe primum impetum effundat. Hi, qui sibi [2]lugere sumpserunt, protinus castigentur, et discant, quasdam etiam lacrimarum ineptias esse.

2 « Solatia exspectas[3]? convicia accipe. Tam molliter tu fers mortem filii? quid faceres, si amicum perdidisses? Decessit filius incertæ spei, parvulus : pusillum temporis periit[4]. Causas doloris conquirimus, et de fortuna etiam iniquo[5] queri volumus, quasi non sit justas querendi
3 causas præbitura. At, mehercules, satis mihi jam videbaris animi habere, etiam adversus solida mala; nedum ad istas umbras malorum, quibus ingemiscunt homines moris causa. Quod damnorum omnium maximum est, si amicum perdidisses, danda opera erat, ut magis gauderes quod habueras, quam mœreres quod amiseras. Sed plerique non computant, quanta [6]præceperint, [7]quantum
4 gavisi sint. Hoc habet[8] inter reliqua mali dolor iste : non supervacuus tantum, sed ingratus est. Ergo, quod

1. *Solatio.* Sic *a. c. A.* Vulgo *consolatione*, quod ex scholio ductum videtur. *Schw.*

2. *Hi qui sibi lugere sumpserunt.* Qui luctui dedita opera indulgent. *Lagrange : Celui qui se condamne volontairement aux pleurs.*

3. *Solatia exspectas?* etc. Hic ego incipere ipsam epistolam ad Marullum (vel, ut alii libri, *Marillum*) opinor, et totam deinceps ad finem poni. *Lips.*

4. *Pusillum temporis periit.* Intellige, *periit illi. Schw.*

5. *Iniquo.* Ms. *a.* ut *præpostero, directo*, et similia, adverbialiter dicuntur. Alii vulgo *inique*; sed *iniqui* ed. Bip. et Ruhk. invitis libris. *Schw.*

6. *Quanta præceperint.* Vulgo *perceperint* h. l. libri omnes; sed infra pro vulgato *percepta* recte *præcepta* dederunt *a. c. A.* unde idem verbum hic restituere non dubitavi. *Schw.*

7. *Quantum*, pro vulg. *quantumve*, dedere *a. c. A.* cum Pinc. et Pal. 2. *S.*

8. *Hoc... mali dolor iste.* Correxi ex ms. *a.* coll. Pinc. et Grut. *Dolor iste* latebat sub *doloris se*, quod est in ms. *a.* Vulgo : *inter rel. mala dolor, quod non*, etc. *Schw.*

Digitized by Google

habuisti talem amicum, periit opera? tot annis, tanta conjunctione vitæ, tam familiari studiorum societate, nihil actum est? Cum amico effers amicitiam[1]? et quid doles amisisse, si habuisse non prodest? Mihi crede, magna pars ex his, quos amavimus, licet ipsos casus abstulerit, apud nos manet. Nostrum est[2], quod præteriit, tempus; 5
nec quidquam est loco tutiore, quam quod fuit. Ingrati adversus præcepta[3], spe futuri, sumus; quasi non, quod futurum est, si modo successerit nobis, cito in præterita transiturum sit. Anguste fructus rerum determinat, qui tantum præsentibus lætus est: et futura et præterita delectant; hæc, exspectatione; illa, memoria: sed alterum pendet, et non fieri potest; alterum non potest non fuisse.
Quis ergo furor[4] est, certissimo excidere? Acquiescamus 6
his, quæ jam hausimus; si modo non perforato[5] animo hauriebamus, et transmittente quidquid acceperat.

» Innumerabilia[6] sunt exempla eorum, qui liberos juvenes sine lacrimis extulerint; qui in senatum, aut in aliquod publicum officium, a rogo redierint, et statim aliud egerint. Nec immerito: nam, primum, supervacuum est dolere, si nihil dolendo proficias; deinde, ini-
quum est queri de eo, quod uni accidit, omnibus[7] restat. 7

1. *Cum amico effers amicitiam?* Cum Stephano Prood. II, c. 4, interpunctione mutata, interrog. notam posui. *Ruhk.*

2. *Nostrum est.... fuit.* Stoicum dogma s. præceptum erat: ne futuro turberis, τὰ μέλλοντα μὴ ταρασσέτω. M. Antonin. VII, 8. Epict. Diss. III, 24. Affine est, τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν, εὖ δίσθαι, Hemsterhus. ad Lucian. III, p. 365 sqq. Deinde cum nostro convenit hoc Virgilii Æn. I, 207: «olim meminisse juvabit.» Cf. Ep. 1. *R.*

3. *Præcepta.* Int. ea quæ *præcepimus*, ea quibus antea fruiti sumus.

4. *Quis ergo furor. Lagrange* vertit: *Quelle fureur de laisser échapper le plus sûr?*

5. *Perforato animo.* Respicere videtur ad fabulam satis notam de Danaidibus, quarum dolia pertusis fundis omnia transmisere hausta. Ovid. Heroid. XIV. *Ruhk.*

6. *Innumerabilia sunt exempla eorum.* Cf. Valer. Max. V, 10. *Ruhk.*

7. *Omn. restat.* Omnes manet.

Digitized by Google

Deinde, desiderii stulta conquestio est, ubi minimum interest inter amissum et desiderantem : eo itaque æquiore animo esse debemus, quod, quos amisimus, sequimur. Respice celeritatem rapidissimi temporis; cogita brevitatem hujus spatii, per quod citatissimi currimus; observa hunc comitatum generis humani, eodem tendentis, minimis intervallis distinctum, etiam ubi maxima viden-
8 tur : quem putas perisse, præmissus est. Quid autem dementius, quam, quum idem tibi iter emetiendum sit, flere eum, qui antecessit? Flet aliquis factum, quod non ignoravit futurum? aut, si mortem in homine non cogitavit, sibi imposuit[1]. Flet aliquis factum, quod aiebat non posse non fieri? Quisquis aliquem queritur mortuum esse, queritur hominem fuisse. Omnes eadem conditio
9 devinxit : cui nasci contigit, mori restat. Intervallis distinguimur, exitu æquamur. Hoc, quod inter primum diem et ultimum jacet, varium incertumque est : si molestias æstimas, etiam puero longum; si velocitatem, etiam seni angustum. Nihil non lubricum et fallax, et omni tempestate mobilius. Jactantur cuncta, et in contrarium transeunt, jubente fortuna : et in tanta volutatione rerum humanarum nihil cuiquam, nisi mors, certum est.
10 Tamen de eo queruntur omnes, in quo uno nemo decipitur.

» Sed puer decessit! — Nondum dico, melius[2] agi cum eo qui vita defungitur : ad eum transeamus qui consenuit; quantulo vincit infantem? Propone temporis profundi vastitatem, et universum complectere; deinde hoc, quod ætatem vocamus humanam, compara immenso :

1. *Sibi imposuit.* Semetipsum fefellit.

2. *Melius agi cum eo* etc. Int. meliorem esse conditionem ejus qui vita defungitur. Bene vertit *Lagrange : Que celui qui est débarrassé de la*

Digitized by Google

videbis quam exiguum sit, quod optamus, quod extendimus. Ex hoc quantum lacrimæ, quantum sollicitudi- 11
nes occupant? quantum mors, antequam veniat, optata? quantum valetudo, quantum timor, quantum teneri aut rudes, aut inutiles anni? dimidium ex hoc edormitur. Adjice labores, luctus, pericula; et intelliges, etiam in longissima vita minimum esse quod vivitur. Sed quis[1] tibi concedet, non melius se habere eum, cui cito reverti licet, cui ante lassitudinem peractum est iter? Vita nec bonum nec malum est; boni ac mali lo- 12
cus est. Ita nihil ille perdidit, nisi aleam in damnum certiorem[2]. Potuit evadere modestus et prudens; potuit sub cura tua in meliora formari: sed (quod justius timetur) potuit fieri pluribus similis. Aspice[3] illos juvenes, quos ex nobilissimis domibus in arenam luxuria projecit; aspice illos, qui suam alienamque libidinem exercent, mutuo impudici; quorum nullus sine ebrietate, nullus sine aliquo insigni flagitio dies exit: plus timeri quam sperari potuisse, manifestum erit. Non de- 13
bes itaque causas doloris arcessere[4], nec levia incommoda indignando cumulare. Non hortor, ut nitaris, et

vie a des grâces à rendre à la nature.

1. *Sed quis... reverti licet.* Sc. ad Deum, unde manavit. Cf. Consolat. ad Marc. 22. *Ruhk.* — Int. perinde ac si scriptum foret: quis negabit melius se habere, etc.

2. *Aleam in damnum certiorem.* Sic Pinc. libri, Erasmus rel.: *nisi aleam. In damnum certius potuit evadere.* Sed sensus est: alea ea certior est in damnum, quæ etsi aliquando Venerem exhibeat, plures tamen habere solet subsultantes canes. *Ruhk.* — Bene vertit *Lagrange* hanc sententiam: *Mourir, c'est quitter un jeu de hasard où il y a plus à perdre qu'à gagner.*

3. *Aspice... projecit.* De iis agitur qui, dissipata re familiari, eo redigebantur, ut gladiatores fierent. Cf. ad Ep. LXXXVII, 8 et Lips. Saturnal. I, c. 3. *Ruhk.* — Et alibi dictum a Nostro: « qui se locant ad gladium aut cultrum. »

4. *Causas doloris arcessere.* Nam causas tibi doloris arcessis, qui lugeas amissum filium, qui certius tibi dissolutum virum, quam bene moratum promittebat.

Digitized by Google

surgas[1] : non tam male de te judico, ut tibi adversus hoc[2] totam putem virtutem advocandam. Non est dolor iste, sed morsus : tu illum dolorem facis. Sine dubio multum Philosophia profecit, si puerum, nutrici adhuc quam patri notiorem, animo forti desideras!

14 » Quid? nunc ergo duritiam suadeo, et in funere ipso rigere vultum volo, et animum ne contrahi quidem patior? Minime! Inhumanitas est ista, non virtus, funera suorum iisdem oculis, quibus ipsos, videre, nec commoveri ad primam familiarium divulsionem[3]. Puta autem me vetare; quædam sunt sui juris[4] : excidunt etiam retinentibus lacrimæ, et animum profusæ levant[5]. Quid ergo est? Permittamus[6] illis cadere, non imperemus : fluat quantum[7] affectus ejecerit, non quantum poscet
15 imitatio. Nihil vero mœrori adjiciamus, nec illum ad alienum augeamus exemplum. Plus ostentatio doloris exigit, quam dolor : quotusquisque sibi tristis est? Clarius, quum audiuntur, gemunt[8]; et, taciti quietique dum secretum est, quum aliquos videre[9], in fletus novos exci-

1. *Surgas*. Sic *a. c. A.* Pal. 2, 4. Col. I. e. te erigas, *tollas animos*, ut ait infra. Vulgo *urgeas*. *Schw.*

2. *Adversus hoc*. Sic *a. c. R. A.* non *adv. hæc*. *Schw.*

3. *Divulsionem*. Sic *a. c. R. A.* non *divisionem* ut Erasm. et unus Palat. *Schw.*

4. *Quædam sunt sui juris*, *a. c. R. A.* ubi imperite *non* infulserant vulgo. *Schw.* — Int. Sunt libera : imperio alieno non aguntur : se ostendunt nobismetipsis nolentibus.

5. *Animum profusæ levant*. Apud Senecam patrem X Controv. 1 : « Plerumque omnis dolor per lacrimas effluit. » *Lips.*

6. *Permittamus... imperemus*. Etenim multi sunt, qui lacrimas, suis oculis nolentibus, eliciunt, ut ingentem dolorem simulent; imperant lacrimis, ut cadant.

7. *Fluat quantum*. Dedere *a. c. A.* ut voluerat Matthiæ; non *fluant* ut vulgo. *Schw.*

8. *Clarius, quum audiuntur, gemunt*. Ut Gelliam facere ait Martialis Epigr. I, 34 : « Amissum non flet, quum sola est, Gellia patrem : Si quis adest, jussæ prosiliunt lacrimæ. » Verum autem est, quod subjicitur : « Ille dolet vere, qui sine teste dolet. » *Ruhk.*

9. *Quum aliquos videre*. Sic ms. *a.* *Viderunt* ed. *R.* Perperam *viderint* vulgo. *Schw.*

Digitized by Google

tantur. Tunc capiti suo manus[1] ingerunt; quod potuerant facere, nullo prohibente, liberius : tunc mortem comprecantur sibi; tunc lectulo devolvuntur. Sine spectatore cessat dolor. Sequitur nos, ut in aliis rebus, ita in hac quoque, hoc vitium, ad plurium exempla componi; nec, quid oporteat, sed quid soleat, aspicere. A natura discedimus : populo nos damus, nullius rei bono auctori, et in hac re, sicut in omnibus, inconstantissimo. Videt aliquem fortem in luctu suo; impium vocat, et efferatum : videt aliquem collabentem[2], et corpori affusum; effeminatum ait, et enervem. Omnia itaque ad rationem 16 17 revocanda sunt.

» Stultius vero nihil est, quam famam captare tristitiæ, et lacrimas approbare[3]; quas judico sapienti viro alias permissas cadere, alias vi sua latas. Dicam quid intersit. Quum primus[4] nos nuntius acerbi funeris perculit; quum tenemus corpus e complexu nostro in ignem transiturum; lacrimas naturalis necessitas exprimit : et spiritus, ictu doloris impulsus, quemadmodum totum corpus quatit, ita oculos, quibus adjacentem humorem perpremit et expellit. Hæ lacrimæ per elisionem cadunt nolentibus 18 nobis. Aliæ sunt, quibus exitum damus, quum memoria eorum, quos amisimus, retractatur; et inest quiddam dulce tristitiæ[5], quum occurrunt sermones eorum jucundi, conversatio hilaris, officiosa pietas : tunc oculi, velut in gaudio, relaxantur. His[6] indulgemus; illis vin-

1. *Capiti suo manus.* Sive ut crines vellant, sive ut frontem feriant. *Lipsius.*

2. *Collabentem.* Sic *a. c. R. A.* non *collabantem* ut vulgo.

3. *Et lacrimas app.* Vertit *Lagrange : Se faire un mérite de pleurer.*

4. *Primus*, *a. c. A.* non *primum*, ut vulgo. *Schw.*

5. *Et inest quiddam dulce tristitiæ.* Ovidius, Trist. IV, 3, 37 : « Est quædam flere voluptas : Expletur lacrimis egeriturque dolor. »

6. *His.... vincimur.* His indulge-

Digitized by Google

cimur. Non est itaque, quod lacrimas propter circumstantem[1] assidentemque aut contineas[2], aut exprimas: nec cessant, nec fluunt[3] unquam tam turpiter, quam
19 finguntur. Eant sua sponte; ire autem possunt placidis atque compositis. Sæpe, salva sapientis auctoritate, fluxerunt; tanto temperamento, ut illis nec humanitas[4], nec dignitas deesset. Licet, inquam, naturæ obsequi, gravitate servata. Vidi ego in funere suorum verendos, in quorum ore amor eminebat, remota omni lugentium scena[5]. Nihil erat, nisi quod veris dabatur affectibus. Est aliquis et dolendi decor: hic sapienti servandus est; et, quemadmodum in cæteris rebus, ita et in lacrimis
20 aliquid sat est. Imprudentium, ut gaudia, sic dolores exundavere. Æquo animo excipe necessaria. Quid incredibile, quid novum evenit? quam multis[6] quum maxime funus locatur! quam multis vitalia emuntur[7]! quam multi post luctum tuum lugent!

» Quoties cogitaveris puerum fuisse, cogita et homi-

mus, quas memoria dilectorum elicit; nobis non invitis fluunt: illis autem vincimur, quas primus nuntius acerbi funeris expressit: non penes nos est illas cohibere.

1. *Circumstantem assidentemque.* Sic nostri, pro vulg. *circumstantes assidentesque. Schw.*

2. *Aut contineas, aut exprimas.* Seu te flere pudeat, seu dolorem ostentare cupias.

3. *Nec fluunt... finguntur.* Omnium turpissimæ habendæ sunt lacrimæ, quæ fictæ sunt. *Ruhk.*

4. *Humanitas.* Int. sensus illos humanos quos natura omnium pectoribus impressit, ut in funere nostrorum commoveremur.

5. *Lugentium scena*, i apparatu et specie, nullo fuco adhibito. Hinc scena et pompa conjunguntur e. c. Cic. Orat. III, 45. *Ruhk.*

6. *Quam multis.... locatur.* Hæc Ruhk. glossematis loco habet et uncis includit; agnoscunt tamen libri omnes.— *Quam multis quum maxime* (i. e. hoc ipso momento) *funus locatur*, efferendum nempe, et urendum a libitinariis.

7. *Quam multis vitalia emuntur?* Sic plurimi codd. Alii, *q. multi v. emittunt.* Erasmus conjec. *eruuntur*, quod Gronovius explicat satis contorte de ægrotis, qui a medicis curantur, ac confert Consol. ad Marc. c. 22, 1: « Adjice incendia, rel. » Wernsdorf ad Poet. Min. Lat. Vol. III, p. 311 τὸ *emuntur* probat, a quo

nem; cui nihil certi promittitur[1], quem fortuna non utique perducit ad senectutem; unde visum est, dimittit. Cæterum frequenter de illo loquere, et memoriam[2] ejus, 21
quantum potes, celebra; quæ ad te sæpius revertetur, si erit sine acerbitate ventura. Nemo enim libenter tristi conversatur, nedum tristitiæ. Si quos sermones ejus, si quos quamvis parvuli jocos cum voluptate audieras, sæpius repete: potuisse illum implere spes tuas, quas paterna mente conceperas, audacter affirma. Oblivisci quidem suorum, ac memoriam cum corporibus efferre; et effusissime flere, meminisse parcissime; inhumani animi est. Sic aves, sic feræ suos diligunt fœtus; quarum 22
concitatus est amor, et pæne rabidus, sed cum amissis totus exstinguitur. Hoc prudentem virum non decet: meminisse perseveret[3], lugere desinat.

» Illud nullo modo probo, quod ait Metrodorus, « esse » aliquam cognatam tristitiæ voluptatem; hanc esse cap» tandam[4] in ejusmodi tempore. » Ipsa Metrodori verba subscripsi. Μητροδώρου Ἐπιστολῶν πρὸς τὴν ἀδελφὴν ά.

Schefferi codd. (teste Heinsio in Adversariis p. 457) *quam multi vitalia emunt* præstantes haud multum abludunt. *Ruhk.* — Ruhkopfium probat Schw. aspirantibus edd. ante Mur. et ms. *a.* et Pal. 1, 3, 4. — *Quam multis vitalia emuntur*, i. e. torus s. lectus feralis et funebria, quibus cadavera efferantur. *Vitalia* rariore hoc significatu occurrit etiam ap. Petron. c. 77 ubi verba sunt: « Interim, Stiche, profer vitalia, in quibus volo me efferri. » Pæne idem valent præcedentia: *quam multis quum maxime funus locatur.*

1. *Promittitur*, *a. c. R. A.* non *promittatur. Schw.*

2. *Et memoriam ejus.* Plutarchus Consol. ad Appollonium: « Commodum aliquod est defunctis, si pia memoria eos colamus. Nemo enim bonus gemitu dignus est, sed hymnis et laudibus; neque luctu, sed recordatione laudabili. » Lipsius e Græco vertit.

3. *Meminisse perseveret.* Tacitus simile: « Feminis lugere honestum est, viris meminisse. »

4. *Hanc esse captandam.* Sic scripsi cum Pal. 1, 3, 4, ut voluerat Pinc. Pro *esse* perperam *ipse* habent *a. c. R. A.* quod in *ipsam* mutavit Er. *Schw.*

5. Μητροδώρου... καιρόν. Græca verba prorsus desunt editis ante Gronovium, desunt etiam nostro ms. *c.*

Digitized by Google

Ἔστιν γάρ τις [λύπῃ συγγενὴς] ἡδονὴ, ἣν κυνηγετεῖν κατὰ τοῦτον
23 τὸν καιρόν. De quibus non dubito quid sis sensurus. Quid enim turpius[1], quam captare in ipso luctu voluptatem, imo per luctum; et inter lacrimas quoque, quod juvet,

Reperta quidem in mssis suis profitentur Erasm. Lips. et Grut. sed ita depravata, ut nihil inde extricari potuerit. Gruterus tamen postrema verba hæc fere fuisse ait, καρπὸν ἡδονὴ ζητεῖν τοῦτον κατὰ τοῦτον τὸν καιρόν. Denique in ed. Gron. et seqq. Græca exhibebantur in hunc modum scripta: Μιχθεῖσα ἡδονὴ ἀηδίᾳ τὶς γάρ ἐστί, σοι μὲν ζητητέη κατὰ τοῦτον τὸν καιρόν, quam inficetam scripturam unde hausisset Gronovius diu inquirens, tandem ex ed. Th. De Juges cognovi, ex Dalecampii ingenio fuisse procusam. Nos nostrum ms. *a.* secuti sumus, qui ea ipsa verba, quæ exhibuimus, satis perspicue perscripta dedit, exceptis duobus λύπῃ συγγενὴς, quæ, quum ibi deessent, nos ex Senecæ latinis supplevimus. *Metrodori Epistolam, qua sororem amisso optimæ indolis filio alloquitur*, haud multo ante memoraverat Noster, XCVIII. Illud dissimulare non debeo, mea aliquatenus de conjectura factum, quod post ἀδελφὴν notam numeralem ά, adscripsi, qua *Epistolarum ad Sororem liber primus* significaretur. Ac, notam quidem aliquam numeralem a Seneca hic adjectam fuisse, intelligi par erat ex genitivo Ἐπιστολῶν, coll. XCVII, ubi simillima ratione scribitur *Epistolarum ad Atticum lib. I.* Quinam autem fuisset ille numerus, hariolatus eram ex eo, quod pro ΕΠΙΣΤΟΛΩΝ in cod. nostro ΕΠΙΣΤΟΛαΩΝ scribitur, ubi litteram α alieno loco intersertam conjectaveram. Sed, sumpto hoc ipso, intelligo sic potius a me scribi debuisse, Ἐπιστολῶν ά. πρὸς τὴν ἀδελφήν, i. e. *Epistolarum libro primo, ad Sororem.* — Κυνηγετεῖν legitimum est græcum verbum, quod latino *captare* et *aucupari* (infra) Seneca expressit. *S.* — Locum hunc pro conclamato habuerat Ruhkopfius, qui lectionem græcam a Gron. prolatam secutus erat. Omnes, inquit, fere codd. vel lacunam h. l., ut in græcis fit, habuere, vel tam corrupte et obscure præstiterunt verba græca, ut viri doctissimi, Sylburg. Gruter. al. se inde expedire non possent. Dubito an sincera Metrodori verba teneamus. Quæ enim ex iis argumentatur Seneca, cogunt nos colligere, et luctus et lacrimarum meminisse in iis Metrodorum. Quorum tamen in codd. neque vola, neque vestigium.

1. *Quid enim turpius.* Nisi fallor, (nam quum verba Metrodori sincera non habere videamur, nec certo definire possumus) Seneca non satis justus in Metrodorum fuerit, quippe quem non diversam sententiam ab ea protulisse putem, quam noster § 18 ipse attulit: « et inest quiddam dulce tristitiæ », etc. Sed hæ sectæ consuerant sic in se invicem invehi, ut quaque occasione data vel levissima abuterentur. Ita una τῆς ἡδονῆς, voluptatis (propr. felicitatis) mentio eamdem iram concitare Stoicis rigidis solebat, quam et nostra memoria felicitatis s. Eudæmonismi, quem vocant, mentionem interdum justo rigidioribus Criticæ philosophiæ asseclis iisdemque virtutis propugnatoribus fortissimis excitare memini. *Rukk.*

Digitized by Google

quærere? Hi sunt[1] qui nobis objiciunt nimium rigorem, et infamant præcepta nostra duritia, quod dicamus dolorem aut admittendum in animum non esse, aut cito expellendum. Utrum tandem est aut incredibilius, aut inhumanius, non sentire amisso amico dolorem, an voluptatem in ipso dolore aucupari? Nos quod præcipimus, 24
honestum est: quum aliquid lacrimarum affectus effuderit, et, ut ita dicam, despumaverit, non esse tradendum animum dolori. Quid tu dicis? miscendam ipsi dolori voluptatem! Sic consolamur crustulo pueros, sic infantium fletum infuso lacte compescimus. Ne illo quidem tempore, quo filius ardet, aut amicus exspirat, cessare pateris voluptatem, sed ipsum vis titillare mœrorem. Utrum honestius dolor ab animo submovetur, an volu- 25
ptas ad dolorem quoque admittitur? *admittitur*, dico? *captatur*, et quidem ex ipso! « Est aliqua, inquit, voluptas » cognata tristitiæ[2]. »—Illud nobis licet dicere; vobis quidem non licet. Unum bonum nostis, voluptatem; unum malum, dolorem. Quæ potest inter bonum et malum esse cognatio? Sed puta esse; nunc potissimum eruitur[3]? et ipsum dolorem scrutamur, an aliquid habeat jucundum circa se et voluptarium? Quædam remedia, aliis partibus 26
corporis salutaria, velut fœda et indecora adhiberi aliis nequeunt; et, quod aliubi prodesset sine damno verecundiæ, id fit inhonestum loco vulneris. Non te pudet luctum voluptate sanare? Severius ista plaga curanda est.

1. *Hi sunt*, etc. Cf. de Constant. Sap. cap. 3, 1 not. *Ruhk*.

2. *Voluptas cognata tristitiæ*. Statius: « Tunc flere, et scindere vestes, Fataque, et injustos rabidis pulsare querelis Cœlicolas, solamen erat. » Vide Aristotelem I Rhetor. c. 11. *L.*

3. *Nunc potissimum eruitur*. Int. num tempus est opportunum hanc voluptatis cum mærore cognationem eruere, quum tibi filius aut amicus exspirat? Num decet ad illam tunc confugere, et in dolorem inquirere an habeat voluptatem circa se?

Digitized by Google

Illud potius admone, nullum mali sensum ad eum, qui periit, pervenire; nam si pervenit, non periit. Nulla, inquam, eum res lædit, qui nullus est; vivit, si læditur. Utrum putas illi male esse[1], quod nullus est? an, quod
27 est adhuc aliquis? Atqui nec ex eo potest ei tormentum esse, quod non est : quis enim nullius sensus est? nec ex eo, quod est; effugit enim maximum mortis incommodum, non esse. Illud quoque dicamus ei, qui deflet ac desiderat in ætate prima raptum : Omnes, quantum ad
28 brevitatem ævi, si universo compares, et juvenes et senes, in æquo sumus. Minus enim ad nos ex omni ætate venit, quam quod minimum esse quis dixerit; quoniam quidem minimum, aliqua pars est; hoc, quod vivimus, proximum nihilo est : et tamen (o dementiam nostram!) late disponitur.

» Hæc tibi scripsi, non tanquam exspectaturus esses
29 remedium a me tam serum : liquet enim[2] mihi, te locutum tecum quidquid lecturus es : sed ut castigarem illam exiguam moram, qua a te recessisti[3], et in reliquum adhortarer, contra fortunam tolleres animos, et omnia ejus tela, non tanquam possent venire, sed tanquam utique essent ventura, prospiceres. » Vale.

1. *Male esse* recte *a. R. Malum e. A.* Vulgo *mala esse. Schw.*

2. *Liquet enim mihi te locutum... lecturus es.* Vertit *Lagrange* perinde ac si habuisset in contextu *me locutum : Je me souviens d'ailleurs de vous avoir déjà entretenu de tout ce que vous y lirez.*

3. *A te recessisti.* Intel. Te ipsum oblitus es.

Digitized by Google

EPISTOLA C.

DE PAPIRIO FABIANO PHILOSOPHO JUDICIUM, EJUSQUE SCRIPTIS.

Fabianum Papirium philosophum, quem Seneca audiverat docentem et declamantem, defendit ab amici reprehensione. Compositionem is accusaverat: effundi verba, non fingi. Negat Noster hanc censuram, quum Fabianus non negligens, sed securus in oratione nec sine cura fuerit, non absimilis optimis sermonis latini auctoribus. Sed etiamsi censura ista non usquequaque injusta fuerit, tamen id præcipue egisse Fabianum confitendum est, ut omnia quæ composuerit, animis scripserit, non auribus, ad profectum tendant et ad bonam mentem.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

FABIANI PAPIRII [1] *libros*, qui inscribuntur [2] *Civilium*, legisse te cupidissime scribis, sed non respondisse exspectationi tuæ: deinde, oblitus de philosopho agi, compositionem ejus accusas.—Puta esse, quod dicis, et effundi verba [3], non fingi: primum, habet ista res suam

1. *Fabiani Papirii.* Cf. Consolat. ad Marciam 23, 3, not. Ep. XI, 3; XI, 11; LII, 10; LVIII, 4. Nat. Qu. III, 27, ubi magna hujus viri laus celebratur. Scripta ejus omnia perierunt. Seneca quoque pater totum virum describit et genus eloquii, de quo hic censura occurrit: imo requirit in eo, quæ filius excusat et tuetur. Videsis Controv. II præf. *Ruhk.*

2. *Civilium.* Ita plurimi codd. Alii *artium civ.*, alii *artium et vilium*, quidam *artium julium*, denique *archimilium.* Unde Lipsius, qui remotiorem et græc. vocem subodorabatur, suspicatus est: αἰτιῶν φυσικῶν. Scripsit certe Pap. et citatur eo titulo a Charisio: *Causarum naturalium.* Civilia tamen Nat. Quæst. l. l. in not. quoque laudantur. — *Civilia* interpretor πολιτικά, in quibus de Republica egisse videtur Platonis, Aristotelis, Zenonis rel. more. *Ruhk.*

3. *Effundi verba, non fingi* Erasmus et unus Palatinus; alii et Pinc. *eff. v. n. figi*, probante Pinciano. Sed *fingi* præstat: est enim solemne de cura, et opponitur negligentiæ in compositione. Ita τῷ *effundere* opponitur *fundere*. Cf. Ep. XL, 2. *Ruhk.* — *Fingi.* Sic edd. vulgo, cum *c. R. A.* quod poterat intelligi de oratione

Digitized by Google

gratiam; et est decor proprius orationis leniter [1] lapsæ. Multum enim interesse existimo, utrum exciderit, an fluxerit. Nunc in hoc quoque, quod dicturus sum, in-
2 gens differentia est. Fabianus mihi non effundere [2] videtur orationem, sed fundere : adeo larga est; et sine perturbatione, non sine cursu tamen, veniens. Illud plane fatetur et præfert, non esse tractatam [3], nec diu tortam. Sed ita, ut vis [4], esse credamus : mores ille, non verba composuit, et animis scripsit ista, non auribus. Præterea [5], ipso dicente non vacasset tibi partes intueri, adeo te summa rapuisset : et fere, quæ impetu placent,
3 minus præstant ad manum relata [6]. Sed illud quoque multum est, primo aspectu oculos occupasse; etiam si contemplatio diligens inventura est quod arguat. Si me interrogas [7], major ille est, qui judicium abstulit, quam

artificiose *tractata* ac *torta* quam mox dicit. Sed parum apte opponuntur ista duo, *effundi* et *fingi*. Imo *figi* scriptum oportebat, quod habet ms. *a*. cum Pal. 1, 2, 4, et Col. jamque olim e vett. libris commendaverat Pinc. Refertur ad *stimulos*, quos desideraverat *Schw*.

1. *Leniter lapsæ*, quam Ep. LII, 11, inoffensam ac molliter lapsam vocat : alias fluens. Cf. I. Chr. Th. Ernesti Lexicon Technol. lat. rhet. p. 176 sq. *Ruhk*.

2. *Non effundere*, cum impetu videlicet, et turbide; sed fundere leniter, et cum ordine. *Lips.* — Idem Pater Seneca l. l. : « Nunquam inopia verbi substitit, sed velocissimo cursu ac facillimo omnes res beata (i. uber) circumfluebat oratio. » Addit, « verba velut injussa fluxisse, ideoque *non tractata*, *nec diu torta*, nulla arte adhibita varie verba transferendi, immutandi, inflectendi, etc.»

3. *Esse tractatam. Esse se tract.* edd. a Mur. invitis msstis. *Schw*.

4. *Ita, ut vis*. Bene e libris aliquot asserunt Gruterus. Sententia : Age, esto uti dicis, parum compositus aut constructus : nempe philosophum, non oratorem, agit. *Lipsius*.

5. *Præterea...relata*. Spectant hue Patris Senecæ verba : « quoties incidebat aliqua materia, quæ convicium sæculi reciperet, inspirabat magno magis quam acri animo. *Ruhk* ».

6. *Ad manum relata*, in manum sumpta et relecta, quum judicium mora se collegit, et certius appendit ac librat. *Lipsius*.

7. *Si me interrogas... abstulit*. Qui in dicendo rapuit, et veluti invitum traxit inventorum et excogitatorum apta expositione adeoque tractatione, major est *quam qui meruit*, quod cura dictionis et fingendi studio, sæpe etiam opprimendo, irruendo, oppugnando fieri solet. Uter Ernesti verbis

Digitized by Google

qui meruit : et scio hunc tutiorem esse[1]; scio audacius sibi de futuro promittere[2].

Oratio sollicita[3] Philosophum non decet. Ubi tandem erit fortis et constans, ubi periculum sui faciet, qui timet verbis? Fabianus non erat negligens in oratione, sed securus. Itaque nihil invenies sordidum : electa verba 4
sunt, non captata, nec hujus sæculi more[4] contra naturam suam posita et inversa; splendida tamen, quamvis sumantur e medio : sensus honestos et magnificos habes[5], non coactos in sententiam, sed latius[6] dictos. Videbimus[7] quod[8] parum recisum sit, quod parum structum, quod non hujus recentis polituræ : quum circumspexeris omnia, nullas videbis angustias inanes[9]. Desit 5

in Lexico laud. p. 398, qui hoc elegans Senecæ acumen comparavit cum illis Quintil. X, 1, 110, Ciceronem laudantis: « Cui tanta unquam jucunditas affuit, ut ipsa illa, quæ extorquet, impetrare eum credas, et quum transversum vi sua judicem ferat, tamen ille non rapi videatur, sed sequi. » Lipsius addit : Plus illic ingenii et ignis, hic curæ et intentionis. *R.*

1. *Hunc* (qui meruit) *tutiorem esse.* I. e. illi minus esse timendum ne quid in posterum perdat.

2. *De futuro promittere.* Vivere posse, et ætatem ferre. *Lipsius.*

3. *Oratio sollicita*, i. anxie timens, captans, nimis poliens. Cf. Ernesti Lexicon h. v. *Ruhk.*

4. *Nec hujus sæculi more...inversa.* Cf. Ep. CXIV, et Jo. Nic. Funccii de imminente lat. ling. senectute (Marburgi 1736, 4). *Ruhk.*

5. *Habes.* Sic *a. c. A. Habet R. Habeas* vulgo. *Schw.*

6. *Latius dictos*, *a. c. A.* Vulgo *altius ductos. Schw.*

7. *Videbimus*, etc. Fortasse respexit Seneca patris sui judicium : « Sæpe minus quam audienti sat est, eloquitur : et in summa ejus ac simplicissima facultate dicendi, antiquorum tamen vitiorum remanent vestigia. Quædam tam subito desinunt, ut non brevia sint, sed abrupta. » *Ruhk.*

8. *Quod... quod... quod* ex ed. Er. revocavi, invitis licet libris; in quibus *quid... quid .. quid* ex vetere paradiorthosi erat. *Schw.*

9. *Nullas videbis angustias inanes.* Int. si Fabianus non micat vanis illis sententiarum fulgoribus nunc usitatis, at non vitiis nostris laborat : nempe nullas in eo videbis angustias inanes; angustias vocat Seneca, sententias illas in quibus voces premuntur et velut in angustiis alliduntur ut quoddam acumen eliciant : quas autem si interroges sententias, atque introspicias, nihil in illis, nisi inane, reperies. Sensus quem verbo *angustias* damus, nobis cognatus esse videtur vocibus sup. *coactos in sententiam.* Ideo nobis acumen auctoris

Digitized by Google

sane varietas marmorum, et concisura[1] aquarum cubiculis interfluentium, et pauperis cella[2], et quidquid aliud luxuria, non contenta decore simplici, miscet: quod dici solet, domus *recta* est[3]. Adjice nunc, quod de compositione non constat[4]. Quidam illam volunt esse ex horrido comptam; quidam usque eo aspera gaudent, ut etiam, quæ mollius casus explicuit, ex industria dissipent, et clausulas abrumpant, ne ad exspectatum respondeant.
6 Lege Ciceronem: compositio ejus una est; pedem curvat[5] lenta, et sine infamia mollis. At contra, Pollionis Asinii[6] salebrosa, et exiliens, et, ubi minime exspectes, relictura. Denique, omnia apud Ciceronem desinunt, apud Pollionem cadunt; exceptis paucissimis, quæ ad certum modum, et ad unum exemplar, adstricta sunt.

non intellexisse videtur *Lagrange* qui vertit: *Vous ne trouverez nulle part le moindre vide.* In eo difficultas est, quod non appareat ex duobus sententiæ membris anthithesin fieri, nulla nempe apposita particula, qua oppositio membrorum indicetur: sed nobis satis ostendi oppositio videtur ex ipso motu et constructione totius sententiæ.

1. *Concisura.* Divisio aquarum per minutos canales in cœnationibus præsertim æstivis. Cf. de Tranq. an. 1, 5. Provid. 3, 9, not. *Ruhk.*

2. *Pauperis cella.* Bene habet: neque aliud est, quam divites istos habuisse distinctam etiam cœnationem, aut cubiculum, quod *pauperis cellam* dicerent: ubi certis diebus velut tenuem et pauperem victum imitarentur. Sic Consol. ad Helv., c. 12: « Sumunt (locupletes) quosdam dies, quum jam illos divitiarum tædium cepit, quibus humi cœnent, et remoto auro argentoque, fictilibus utantur. Dementes! hoc quod aliquando concupiscunt, semper timent.» Conf. Ep. XVIII, 4, not.

3. *Domus recta est*, i. sine vitio ac mendo. Sic recta cœna, recte vivere, recte convivari, rectiora servitia apud Sueton. Jul. 47 ubi vide Græv. Oudendorp et Ernesti. *Ruhk.*

4. *De compositione non constat.* I. alii aliam præstantiorem judicant.

5. *Pedem curvat lenta.* Dedere *a.* Pal. 1, 4. et ms. Lips. Ab equi gressu ducta locutio. Ante *curvat*, verbum *servat* infulciunt *c. A. R.* unde vulgo *pedem servat*, *curata*, *lenta*, ex Erasmi ing. *Schw.*

6. *Pollionis Asinii.* Idem judicant de eo Quint. X, 1, 113 aliique. Cæterum notissimus esse debet hic amicus Virgilii, Horatii, Augusti, cujus scripta diversi generis omnia periere, ex Horat. Carmen, II, 1. Virgil. Ecl. IV et VIII. Vide Heynium ad Eclog. III, 84, post Manutium ad Cic. Ep. fam. X, 31. *Ruhk.*

Digitized by Google

Humilia præterea[1] tibi videri dicis omnia, et parum 7
erecta; quo vitio carere eum judico. Non sunt enim humilia illa, sed placida, et ad animi tenorem quietum compositumque formata; nec depressa, sed plana. Deest illis[2] oratorius vigor, stimulique[3], quos quæris, et subiti ictus sententiarum; sed totum corpus (videris quam sit comptum[4]) honestum est. Non habet oratio ejus, sed debet dignitatem[5]. Affer, quem Fabiano possis præponere. Dic Ciceronem, cujus libri ad Philosophiam per- 8
tinentes pæne totidem sunt, quot Fabiani: cedam; sed non statim pusillum est, si quid maximo minus est. Dic Asinium Pollionem: cedam; et respondeamus: In re tanta eminere est, post duos esse. Nomina[6] adhuc T. Livium: scripsit enim et Dialogos, quos non magis[7] Philosophiæ annumerare possis, quam Historiæ, et ex professo Philosophiam continentes libros. Huic quoque dabo 9

1. *Humilia præterea.* Scilicet, in Fabiano.

2. *Deest illis*, etc. In eamdem sententiam M. Ann. Seneca l. l.: « Derat illi oratorium robur et ille pugnatorius mucro: splendor vero velut voluntarius non elaboratæ orationis aderat. » *Ruhk.*

3. *Stimulique... et ictus sententiarum* sunt Ciceroni aculei, κέντρον, comico Eupolidi de Pericle ap. Plin. Epp. I, 20, de vi orationis altius in animos auditorum descendente, pungente, et veluti acriter expugnante persuasionem atque assensum. Conf. Ernesti Lexic. lat. s. v. *Aculeus* et Ej. Lexic. gr. sub voce κέντρον. *Ruhk.*

4. *Videris quam sit comptum*, a. c. *R. A.* cum aliis. Possis signa parentheseos tollere, et colon post *comptum* signare: perinde erit. Vulgata lectio *sed totum corpus vide: quamvis non sit comptum* partim ex Erasmi, partim ex Gruteri conj. erat. *S.*

5. *Debet dignitatem.* Omnium codd. lectio est proba: i. e. non repræsentat quidem dignitatem, sed sæpius audita, sæpius lecta, exhibitura est. *Ruhk.*—Lipsius legi vult: *dabit.* Quod sic interpretatur: oratio ejus, esto, dignitatem non habet, sed eam dabit, id est, tota honesti et virtutis plena, ista animo inseret, et faciet te magnum et honestum.

6. *Nomina... libros.* Dialogos et libros philosophicos Livii periisse constat. Cf. Schottum ad Aurel. Victor. Epitom. c. XLVIII, p. 598 a. *Ruhk.*

7. *Non magis* tenent libri omnes. Alius scriptor *non minus Phil. quam Historiæ* dixisset; aut *non magis Historiæ, quam Philosophiæ*: sed similes inversiones orationis amat Noster, et multa occurrunt exempla in

Digitized by Google

locum; vide tamen, quam multos antecedat, qui a tribus vincitur, et tribus eloquentissimis.

Sed non præstat omnia; non est fortis oratio ejus, quamvis elata sit; non est violenta, nec torrens, quamvis effusa sit; non est perspicua[1], sed pura. Desideres, inquis, contra vitia aliquid aspere dici, contra pericula animose, contra fortunam superbe, contra ambitionem
10 contumeliose: volo luxuriam objurgari, libidinem traduci, impotentiam frangi; sit aliquid oratorie acre, tragice grande, comice exile. — Vis illum assidere pusillæ rei, verbis? Ille rerum se magnitudini addixit; eloquentiam, velut umbram, non hoc agens, contrahit[2]. Non erunt sine dubio singula circumspecta, nec in se collecta,
11 nec omne verbum excitabit ac punget, fateor; exibunt multa, nec ferient[3], et interdum otiosa præterlabetur oratio: sed multum[4] erit in omnibus lucis[5], et ingens sine tædio spatium. Denique illud præstabit, ut liqueat tibi, illum sensisse quæ scripsit. Intelliges hoc actum, ut tu scires, quid illi placeret; non ut ille placeret tibi. Ad profectum omnia tendunt, ad bonam mentem; non quæ-
12 ritur plausus. Talia esse scripta ejus non dubito; etiamsi

Epp. XII, XXXI, LXXXII, CII. *Schw.*

1. *Non est perspicua, sed pura.* H. e. non nimis ornate translucida est, sed nativam simplicitatem habet. Cf. Ernesti s. v. *Purus.* Lipsius *non est perspicua* de obscuritate intelligere mavult, parum attentus, opinor, ad oppositionem, quam *sed pura* exhibet. *Ruhk.*.

2. *Eloquentiam.... contrahit.* Secum trahit eloquentiam, quanquam non hoc agat, non hoc conetur ut eloquens sit, sicut nobiscum trahimus umbram inscii. Ideo bene vertit *Lagrange: L'eloquence le suit comme son ombre, sans qu'il y pense.*

3. *Exibunt multa, nec ferient.* Locutio ducta a gladiatoribus, quorum manus *exire* dicuntur, quum parant ferire. *Lips.*

4. *Sed multum erit in omnibus lucis.... spatium.* Multa lux adest, omnia clara et aperta sunt, et percurrere, perlegere potes omnia sine tædio, quod ex obscuritate etc. oriri solet. Lipsius intelligit *lucis* de splendore et dignitate. *Ruhk.*

5. *Lucis.* Recte præbuit ed. Ruhk. cum msstis. Mendosum *locis* ex superioribus editt. adhæsit ed. Matth. *S.*

Digitized by Google

magis reminiscor, quam teneo; hæretque mihi color eorum[1], non ex recenti conversatione familiariter, sed summatim, ut solet ex vetere notitia. Quum audirem certe illum, talia mihi videbantur; non solida, sed plena; quæ adolescentem indolis bonæ attollerent, et ad imitationem sui evocarent[2], sine desperatione vincendi: quæ mihi adhortatio videtur efficacissima; deterret enim, qui imitandi cupiditatem fecit, spem abstulit. Cæterum verbis abundabat; sine commendatione partium singularum, in universum magnificus. Vale.

1. *Hæretque mihi color eorum.* I. generalis orationis notio et species. Alio modo τῷ *color* usi sunt rhetores. Vide Ern. Lexic. lat. h. voce. *R.*

2. *Evocarent*, *a. c. A.* ex more Nostri. *Vocarent* vulgo. *Schw.*

EPISTOLA CI.

DE MORTE SENECIONIS.

Subita amici cujusdam morte ansam sumit docendi, nihil fidendum aut spondendum nobis esse, quum omnia sint incerta, ideoque vitam bonam non esse differendam, sed singulos dies singulas vitas putandas, neque ita vivendum, ut futuri aviditate mortisque metu corripiamur. Ita Mæcenatis votum exagitat, qui omnia mala in carmine quodam dixerat se perpeti quam mori malle.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Omnis dies, omnis hora, quam nihil sumus, ostendit, et aliquo argumento recenti admonet fragilitatis oblitos; tum æterna meditatos[1] respicere cogit ad mortem. — Quid sibi istud principium velit, quæris? [2] Senecionem

1. *Tum æterna meditatos.* Vulgo *quum æterna meditantes. Schw.*

2. *Senecionem Cornelium*, ex hoc uno loco novimus. *Ruhk.*

Digitized by Google

Cornelium, equitem Romanum splendidum et officiosum[1] noveras: ex tenui principio se ipse promoverat, et jam illi declivis erat cursus ad cætera. Facilius enim
2 crescit dignitas, quam incipit. Pecunia[2] quoque circa paupertatem plurimam moram[3] habet, dum ex illa erepat[4]. Hic etiam Senecio divitiis imminebat, ad quas illum duæ res ducebant efficacissimæ, et quærendi, et custodiendi scientia; quarum vel altera locupletem fa-
3 cere potuisset. Hic homo summæ frugalitatis, non minus patrimonii quam corporis diligens, quum me ex consuetudine mane vidisset[5]; quum per totum diem amico graviter affecto, et sine spe jacenti, usque in noctem assedisset; quum hilaris cœnasset; genere valetudinis præcipiti arreptus[6], angina, vix compressum
4 arctatis faucibus spiritum traxit in lucem. Intra paucissimas ergo horas, postquam omnibus erat sani ac valentis officiis functus, decessit. Ille, qui et terra et mari[7] pecuniam agitabat; qui ad publica[8] quoque, nullum relinquens inexpertum genus quæstus, accesserat;

1. *Splendidum.* Epitheton ordinis equestris. — *Officiosum.* Salutationibus, deductionibus, etc. *Ruhk.*

2. *Pecunia... erepat.* I. e. pecunia diu exigua est adeoque paupertati diu adhærescit, dum crescat et deinceps ex ea, velut e nido angustiore, erepat. Muretus laudat Plutarch. An Seni sit gerenda Resp. c. VI, Vol. XII p. 109 Hutt. de Lampide Demosthenis æquali, nauclero ditissimo, qui interrogatus, quomodo tantas opes sibi parasset? respondit: Parvas quidem magno, magnas parvo labore. *Ruhk.*

3. *Plurimam moram.* Vulgo ex Mur. emend. Rectius fuerit *plurimum moræ.* Nam *plurimum amorem* vel *amoris* scribitur in libr. vett. *S.*

4. *Erepat* ms. *a.* Vulgo *ereptat. S.*

5. *Quum me ex consuetudine mane vidisset.* Salutandi gratia: summo enim loco constitutus erat Seneca, qui Senecioni divitiis inhianti utilissimus esse poterat. Multus autem hic erat in augenda pecunia negotiis, mercatura, prædiis emendis, vendendis, etc. *Ruhk.*

6. *Arreptus, a. c. R. A.* quod valet *adreptus* vel *correptus;* non *abreptus,* ut edd. a Mur. *Schw.*

7. *Terra et mari.* Ita Grut. quinque. Ante: *mari et t. Ruhk.*

8. *Ad publica.* Vectigalia conducenda. Cf. Græv. ad Cicer. Verr. lib. III, c. XXXVIII. *Ruhk.*

Digitized by Google

in ipso actu bene cedentium rerum, in ipso procurrentis pecuniæ impetu, raptus est.

Insere nunc, Melibœe, piros; pone ordine vites[1]!

Quam stultum est[2], ætatem disponere ne crastini quidem dominum[3]! O quanta dementia est spes longas inchoan- 5
tium! — Emam[4], ædificabo, credam, exigam, honores geram; tum demum lassam et plenam senectutem in otium referam. — Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia sunt; nihil sibi[5] quisquam de futuro debet promittere; id quoque, quod tenetur, per manus exit; et ipsam, quam premimus, horam[6] casus incidit. Volvitur tempus, rata quidem lege, sed per obscurum: quid autem ad me[7], an naturæ certum sit, quod mihi incertum
est? Navigationes longas, et pererratis littoribus alienis, 6
seros in patriam reditus proponimus, militiam, et castrensium laborum tarda manupretia[8], procurationes[9], officiorumque per officia processus; quum interim ad latus

1. *Insere... vites.* Versus est Virgil. Ecl. I, 74: ironice dictum est: quid juvat nunc tot tantisque laboribus districtum anhelasse et divitias captasse? *Ruhk.*

2. *Quam stultum est... inchoantium?* Similia habes Ep. XIII, extr. 23 fin. Cf. Mitscherlich. ad Horat. I, Od. IV, 15; quem locum fortasse in animo habuit noster. *Ruhk.*

3. *Ne crastini quidem dominum, a. c. A.* Vulgo *ne crastino quidem dominamur.*

4. *Emam...credam.* Mutuum dabo, usuras *exigam*, ut Alphius fœnerator ap. Horat. Epod. II. Similis est Horat. I, Serm. 1, 28, et egregia parabola ap. Evangel. Luc. XII, 16–20; ubi cf. Paulum. *Ruhk.*

5. *Nihil sibi.* Horat. Carm. I, 11, 7: «Dum loquimur, fugerit invida ætas.» *Ruhk.*

6. *Quam premimus, horam.* Clarum est: et nec hora hæc certa, et casus potest abrumpere. At Mureto visum, *oram* legere et funem nauticum interpretari: libri sunt a nobis. *Lips.*

7. *Quid autem ad me.* Subaudi: *pertinet.* Quid mea refert, interest?

8. *Tarda manupretia.* Χειροδόσια. Nam promotiones castrenses gradatim fiebant, nec magna, nisi in extremis, præmia. Juvenal. XIV, 197: «Ut locupletem aquilam tibi sexagesimus annus Afferat.» *Lips.*

9. *Procurationes.* Nempe provinciarum. *Ruhk.*

Digitized by Google

mors est : quæ quoniam nunquam cogitatur, nisi [1] aliena, subinde nobis ingeruntur mortalitatis exempla, non diu-
7 tius, quam dum miramur, hæsura. Quid autem stultius, quam mirari, id ullo die factum, quod omni potest fieri? Stat quidem terminus nobis, ubi illum inexorabilis fatorum necessitas fixit; sed nemo scit nostrum, quam prope versetur.

Sic itaque formemus animum, tanquam ad extrema ventum sit; nihil differamus; quotidie cum vita paria fa-
8 ciamus [2]. Maximum vitæ vitium est, quod imperfecta semper est, quod in aliud ex alio differtur [3]. Qui quotidie vitæ suæ [4] summam manum imposuit, non indiget tempore. Ex hac autem indigentia timor nascitur, et cupiditas futuri, exedens animum. Nihil est miserius dubitatione venientium [5], quorsus evadant. Quantum sit illud, quod restat, aut quale, [non] collecta [6] mens inexplica-

1. *Nisi aliena.* Nisi quum alios in conspectu nostro aufert.

2. *Quotidie cum vita paria faciamus.* Sc. nomina; tanquam nihil sit residui; non illa nobis, non nos illi obligemur. Cf. Ep. XIX, 9. *Ruhk.*

3. *Quod in aliud ex alio differtur.* Sic verissime Pinc. partim e mss. partim e conject. Vulgo, *quod etiam aliquid ex illa differtur. Schweig.* —Nonnulli codd. *etiam*, alii *quod in aliquid*, ex quo Pincian. *quod in aliud ex alio.* Lipsii codex in margine: *quod meum aliquid*, explicat: fruar tota; manum injiciam, nihil incerto tempori reservem. Fortasse erat *quum imp. semper est, quod*, etc. *R.*

4. *Qui quotidie vitæ suæ... imposuit.* I. e. extremam, ultimam vitæ operam præstitit. Sic Ep. XII, 4, potatio extrema, quæ ebrietati summam manum imponit, i. finit. Cæterum laudata epistola conferri meretur. *R.*

5. *Dubitatione venientium.* Ita plurimi codd. Alii *dub. vehementer irruentium.* Ex illo conj. Pinc. *volventium* s. *volutantium* propter sequens: *quomodo effugiemus hanc volutationem?* ex hoc Grut. conj. sive *verentium* sive *vehementer hærentium. Ruhk.* — Int. Nihil est miserius ista dubitatione qua torquemur, nescientes quo venientia, s. ventura evadant, i. e. quid futurum sit.

6. [*Non*] *collecta mens.* Ed. Ruhk. ex Pinciani conject. Vulgo *collecta* libri omnes, absque negante particula; cui uncinos ideo circumdedi, quia haud satis certa est emendatio, atque aliud quidpiam fortasse hic latet. Fors. *incollecta* scriptum oportuerat: cujus vocabuli prima vocalis latebat in præcedente voce *quali*, quam pro *quale* hic habent *a. c. A.*

Digitized by Google

bili formidine agitatur. Quo modo effugiemus hanc volutationem? uno, si vita nostra non prominebit[1], si in se colligetur: ille enim ex futuro suspenditur, cui irritum est præsens. Ubi vero, quidquid mihi debui[2], redditum est; ubi stabilita mens[3] scit, nihil interesse inter diem et sæculum; quidquid deinceps dierum rerumque venturum est, ex alto prospicit, et cum multo risu seriem temporum cogitat. Quid enim varietas mobilitasque casuum perturbabit, si certus sis adversus incerta? Ideo propera, Lucili mi, vivere; et singulos dies, singulas vitas puta. Qui hoc modo se aptavit[4]; cui vita sua quotidie fuit tota; securus est. In spe viventibus, proximum quodque tempus elabitur, subitque aviditas[5], et miserrimus, ac miserrima omnia efficiens, metus mortis. Inde illud Mæcenatis[6] turpissimum votum, quo et debilitatem

9

10

Schw. — Lipsio placuit: *quale collectu, mens inexpl.* Gronovio: *aut quale conjectantes inexpl. f. a. R.* — *Non collecta* explicatur sequentibus: *si in se colligetur*, et verti potest: *Qui n'est pas recueillie en elle-même.*

1. *Non prominebit.* Int. in futurum.

2. *Quidquid mihi debui.* Scilicet mihi debeo, ut præsens tempus ad colendam sapientiam conferam.

3. *Stabilita mens*, collecta in se. Pertinent huc Horatiana illa Carm. III, 29, 41 sq. ubi Mitscherlich. et Dœring. amiciss. Senecæ memores fuere, quos videas. *Ruhk.*

4. *Aptavit.* Sic rescripsi loco: *aptabit*, Stephanum Epist. ad Dalecamp. 22 secutus. *Ruhk.*

5. *Avid.* Vivendi, futuri temporis.

6. *Mæcenatis.* Parum amico animo in Mæc. fuisse Senecam constat. Sæpius enim eum carpsit, quum propter lasciviam vitæ, tum propter luxuriam styli. Vide de Provid. 3, 9. Ep. XCII, 114. Præter Meibomii librum: Mæcenas. Lugd. Bat. 1653, 4, laudantur quoque *les Recherches sur la vie de Mécène, par M. Souchay.* In scriptis ejus fuere etiam carmina, unde hi versus desumpti esse videntur, in quos Sen. acerbissime invehitur. Meibomius tamen, p. 154, excusat Mæcenatem scholæ Epicuri, quam Mæcenas sectabatur, dogmatibus, in quibus et illud laudat ap. Diog. Laert. X, 119, τὸν σοφὸν καὶ πηρωθέντα τὰς ὄψεις μαθέξειν τοῦ βίου. Enimvero multo justior defensio Mæcenatis contra Senecam a natura poeseos utique lyricæ peti posset: quam tamen angustia hujus loci non capit. Versus 6 et 7 disquisitionibus Ge. Calixti, Theologi olim helmstad. doctissimi, lucem acceperunt, probatis Salmasio al., et nuper Paulo ad Matth. XXVII, 32. (Vol. III, p. 745 sqq. ed. 1.) Demonstravit autem, præter arrectarium stipitem ipsius crucis et ejus anten-

Digitized by Google

non recusat, et deformitatem, et novissime acutam crucem, dummodo inter hæc mala spiritus prorogetur :

11 Debilem facito manu [1],
Debilem pede, coxa ;
Tuber adstrue gibberum,
Lubricos quate dentes :
Vita dum superest, bene est !
Hanc mihi, vel acuta
Si sedeam cruce, sustine.

12 Quod miserrimum erat, si incidisset, optatur; et tanquam vita petitur supplicii mora [2]. Contemptissimum putarem, si vivere vellet usque ad crucem. Tu vero, inquit, me debilites licet, dum spiritus in corpore fracto et inutili maneat; depraves licet, dum monstroso et distorto [3], temporis aliquid accedat; suffigas licet, et acutam sessuro crucem subdas : est tanti [4], vulnus suum premere, et patibulo pendere destrictum, dum differat, id

nam, cui manus infigerentur, fuisse in medio stipitis palum quemdam, instar sedilis, acutum, cui suspendendus insideret et velut inequitaret, ac defunctus putresceret. Cf. Meibom. c. 24, p. 152 sq. Quominus Jo. Gurlitto amiciss. in *Wiedeburg. humanist. Magaz.* V, p. 353, de pœna servorum ἡ σκόλοψ dicta, palo per corpus adacto, explicanti assentiri possim, impediunt sequentia verba : *et acutam sessuro crucem subdas. R.*

1. *Debilem.... manu.* Hos versus pro Ithyphallicis habitos Bern. Brisson. formul. I in aliquem Glyconiorum versuum hunc ordinem redegit. Ultimus versus : *Si sedeam cruce, sustine* ex antiq. codd. restitutus est a Pinc. Pronuncies : *Si sedam;* recte enim Jo. Gurlittus amiciss. in *human. Magaz.* V, p. 353, syllabas monet *eo, ea, ua*, etc. contrahi solere : cf. Poetica major Giessens. p. 159. Salmasii al. conjecturas affert Meibom. Mæcenas p. 151 sqq. *R.*—Quos versus sic vertit Noster *La Fontaine* (lib. I, fab. xv) :

Mécénas fut un galant homme.
Il a dit quelque part : Qu'on me rende impotent,
Cul-de-jatte, goutteux, manchot, pourvu qu'en somme
Je vive, c'est assez; je suis plus que content.

Idem sequentem fabulam concludit acuta sententia priori cognata :

Le trépas vient tout guérir ;
Mais ne bougeons d'où nous sommes :
« Plutôt souffrir que mourir, »
C'est la devise des hommes.

2. *Supplicii mora.* Nam erat in extremis Mæcenatis, *sustine*, id est, serva mihi vitam et extende, etiam in cruce, ultimisque malis. *Lips.*

3. *Distorto.* nonnulli palat. at editio vetus *deserto.* Margo cod. Col. *discerpto. Ruhk.*

4. *Est tanti*, sc. pretii. Paulus tamen ad Matth. 27, 42, p. 748 ed. 1,

Digitized by Google

quod est in malis optimum, supplicii finem : est tanti, habere animam, ut agam[1]! — Quid huic optes, nisi Deos 13
faciles[2]? quid sibi vult ista carminis effeminati turpitudo? quid timoris dementissimi pactio? quid tam fœda vitæ mendicatio? Cui putes[3] unquam recitasse Virgilium,

Usque adeone mori miserum est[4]?

Optat ultima[5] malorum, et, quæ pati gravissimum est, extendi ac sustineri cupit : qua mercede? scilicet vitæ longioris. Quod autem vivere est[6], diu mori? Invenitur 14
aliquis, qui malit inter supplicia[7] tabescere, et perire membratim, et toties per stillicidia amittere animam, quam semel exhalare? Invenitur qui velit adactus ad illud infelix lignum[8], jam debilis, jam pravus, et in fœdum scapularum ac pectoris tuber elisus, cui multæ moriendi causæ etiam citra crucem fuerant, trahere animam tot tormenta tracturam? Nega nunc magnum beneficium 15
esse naturæ, quod necesse est mori. Multi pejora adhuc pacisci parati sunt; etiam amicum prodere, ut diutius vivant; et liberos ad stuprum manu sua tradere, ut

emendat : *Est contentus.—Est tanti... finem* Num hæc tantam æstimationem merentur? *Ruhk.*

1. *Habere animam, ut agam* (eam). Non alio fine vivere, quam ut moriens vivam; habeam animam ut semper emittam. *Lips.*

2. *Deos faciles* in ejus vota : meruit exaudiri. Cæterum similia laudat Lipsius ex Hom. Odyss. λ, 488. Eurip. Iphig. A. 1218 sqq. *Ruhk.*

3. *Cui putes, a. c. A. Cui putas* ed. *R. Huic putas* vulgo. *Schw.* — Cæterum putamus hic *cui* esse pro *huic* atque ita intelligendum. At non intelligimus quomodo e contextu *Lagrange* hanc versionem elicuerit : *Était-ce ainsi que Virgile mendiait la vie, lorsqu'il s'écriait...*

4. *Usque... miserum est?* Virgilii versus est Æn. XII, 646. *Ruhk.*

5. *Ultima malorum.* Quæ in malis sunt sævissima.

6. *Quod autem vivere est?* (I. e. quænam autem hæc vita est?) *a. c. A. Schw.* — Vulgo : *quid autem hujus vivere est?*

7. *Qui malit inter suppl.* Sic edd. ex Erasmi emend. *qui velit* dabant libri vett. quod ferri non poterat, nisi dein poneres *potius quam*, etc. *Schw.*

8. *Infelix lignum.* Ita crucem vo-

Digitized by Google

contingat lucem videre, tot consciam scelerum. Excutienda vitæ cupido est, discendumque, nihil interesse, quando patiaris quod quandoque patiendum est. Quam bene vivas refert, non quamdiu; sæpe autem in hoc est bene, ne diu[1]. Vale.

cari docuit Lips. in libellis de illa re.

1. *In hoc est bene, ne diu.* Quia sæpe virtus suadet, ut vitam effundamus, v. c. pro patria.

EPISTOLA CII.

CLARITATEM POST MORTEM BONUM ESSE.

Occupato in cogitatione de æternitate animarum sibi supervenisse narrat epistolam Lucilii, in qua objicit Senecæ, quod non solverit objectionem adversariorum, claritatem idcirco bonum non esse posse, quod ex distantibus constet. Quod quia non ad mores s. Ethicam pertineat, se distulisse profitetur. Jam quum doctrinam Stoicorum de corporibus præmisisset, accedit ad probationem dogmatis, claritatem esse bonum: ac primum quidem laudare dignos esse actionem honestam. Deinde, quæ unus bonus vir judicat bona, ea omnes viri boni judicent oportet: quandoquidem veritatis una vis, una facies est. Tum non est bonum ex distantibus constans; laus enim non vox est, quæ bonum non est, sed sententia: aliud enim est laus, aliud laudatio quæ vocem exigit. Laus autem judiciis continetur, atque refertur ad animum, non ad verba. Claritas itaque laus est bonorum, quæ sine voce contingere potest, quum gloria et fama vocem desiderent et multorum judiciis censeantur. Laus est et laudati et laudantis. Sed satius est, in immensum mentem suam extendere, quam his disputationibus operam dare. Magna autem et generosa res humanus animus, cujus patria est mundus, cujus cogitationi omne tempus patet ad divina nati et aliquando subvolaturi.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Quomodo molestus est jucundum somnium videnti, qui excitat (aufert enim voluptatem, etiamsi falsam, effectum tamen veræ habentem): sic epistola tua mihi

Digitized by Google

fecit injuriam; revocavit enim me, cogitationi aptæ[1] traditum, et iterum, si licuisset, ulterius. Juvabat *de Æternitate*[2] *animarum* quærere, imo mehercules credere: credebam enim me facile[3] opinionibus magnorum virorum, rem gratissimam promittentium magis, quam probantium. Dabam me spei tantæ: jam eram fastidio 2
mihi; jam reliquias ætatis infractæ contemnebam, in immensum illud tempus, et in possessionem omnis ævi transiturus; quum subito experrectus sum epistola tua accepta, et tam bellum somnium perdidi. Quod repetam, si te dimisero, et redimam.

Negat me epistola prima[4] totam quæstionem expli- 3
cuisse, in qua probare conabar id, quod nostris placet, «claritatem, quæ post mortem contingit, bonum esse.» Id enim me non solvisse, quod opponitur nobis: Nullum, inquiunt, bonum ex distantibus[5]; hoc autem ex distantibus constat. — Quod interrogas[6], mi Lucili, ejusdem quæstionis est, loci alterius; et ideo non hoc tantum, sed alia quoque eodem pertinentia, distuleram. Quæ- 4

1. *Aptæ*. I. invicem nexæ. Lipsius emendat *altæ*. *Ruhk*.

2. *Juvabat de æternitate... probantium*. Sæpe jam vidimus, nutare notum super hac re, et velle magis quam credere. Egit de hoc Lipsius Physiol. stoic. III, 11. Cf. Conzii *Abhandlungen* supra laud. p. 90 sqq. Cæterum idem passus est quod Cicero Tusc. Qu. I, 11: «Nescio quomodo, dum lego, assentior: quum posui librum et mecum ipse de immortalitate animorum cœpi cogitare, assensio omnis illa elabitur.» *Ruhk*.

3. *Me facile*. Sic omnes fere codd. et vetustæ edd. Antea sine: *me*. *R*.

4. *Negat me epistola prima*. (I. e. initium tuæ epistolæ negat me, etc.) Sic vett. libri. *Negas* edd. ex Erasmi ingenio. Alii *neget*. *Schw*. — Ruhkopfius qui edidit *negas* sic de hac epistola prima disserit: Lipsius de epistola Senecæ intelligit, quam ipse observavit non exstare. Fortasse *epistola prima* est prior tuæ epistolæ pars, in qua Lucilius explicare voluit, etc. Ita referas ad *negas* τὸ· *Id enim me non solvisse*. *Ruhk*.

5. *Ex distantibus*, i. quorum partes separatæ sunt. *R*. — Cf. infra § 6 (et ibi not. 4); cujus loci *Lagrange* oblitus vertit: *Distant de nous*.

6. *Quod interrogas... alterius*: i. e. ad eamdem quæstionem pertinet, sed in altera disciplina, i. e. in Logica tractatur. *Ruhk*.

Digitized by Google

dam enim, ut scis, moralibus rationalia[1] immixta sunt. Itaque illam partem rectam[2], et ad mores pertinentem, tractavi: Numquid stultum sit ac supervacuum, ultra extremum diem curas transmittere? an cadant bona nostra nobiscum, nihilque sit ejus, qui nullus est? an ex eo, quod, quum erit, sensuri non sumus, antequam sit[3], ali-
5 quis fructus percipi, aut peti possit? Hæc omnia ad mores spectant; itaque suo loco posita sunt. At quæ a dialecticis contra hanc opinionem dicuntur, segreganda fuerunt; et ideo seposita sunt. Nunc, quia omnia exigis, omnia, quæ dicunt, persequar; deinde singulis occurram.

Nisi aliquid prædixero, intelligi non poterunt, quæ
6 refellentur. Quid est, quod prædicere velim? Quædam continua esse corpora[4], ut hominem; quædam esse composita, ut navem, domum, omnia denique quorum diversæ partes junctura in unum coactæ sunt; quædam ex

1. *Rationalia*. Logica, dialectica.

2. *Rectam*, *et* e codd. pal. et edit. veteri recepi. Antea: *recta ad* ex ingenio Mureti. *Ruhk.*

3. *An ex eo*, *quod*, *quum erit*, *sensuri non sumus*, *antequam sit*, *aliquis*. Cum Gronovio trium mss. lectionem dedi. — *An ex eo... possit.* i. e. an ex fama postuma, quam quum habebimus, sensuri non sumus, quippe mortui, antequam sit et existat postuma fama, sive antequam mortuis nobis sit superstes, nunc statim aliquis fructus percipiatur. *Gronov.*

4. *Quædam continua esse corpora*, etc. Vides hic subtilem Stoæ divisionem corporum adumbratam, sed non plene explicatam. Attigit post Lipsii Physiol. II, 4. Tiedemann *System* II init. Etsi res non usquequaque clara sit, quoniam fontes primarii exaruerunt, tamen patet: primum voci σῶμα, *corpus*, novam vim tribui a Stoicis, quippe qui quum omne id, quod quid efficit, tum actiones ita appellant: deinde omnes res vocarunt corporalia, 1° quæ quin vere exstent nemo dubitat; 2° quæ sensuum præsidio cognoscuntur; 3° omnia solida. Jureconsultos rom. etiam hanc doctrinam de corporibus eorumque partibus recepisse notum est: cf. Gataker ad M. Antonin. VII, 13, p. 264. *Ruhk.* — Ipsa hæc divisio in Plutarchi præceptis connubialibus: « Philosophi aiunt corporum alia ex distantibus constare, ut classem et exercitum; alia ex compositis, ut domum et navem: alia denique unita et continua esse ut quodque animantium. » Eadem in Pomponio Jct°. q. xxx, De usurpationibus. *Lipsius.*

Digitized by Google

distantibus, quorum adhuc membra separata sunt, tanquam exercitus, populus, senatus : illi enim, per quos ista corpora efficiuntur, jure aut officio cohærent, natura diducti et singuli sunt. Quid est, quod etiam nunc prædicere velim ? Nullum bonum putamus[1] esse, quod ex 7
distantibus constat : uno enim spiritu[2] unum bonum contineri ac regi debet, unum esse unius boni principale. Hoc, si quando desideraveris, per se probatur; interim ponendum fuit, quia in nos nostra tela[3] mittuntur.

« Dicitis, inquit[4], nullum bonum ex distantibus esse; 8
claritas autem ista, bonorum virorum secunda opinio[5] est. Nam quomodo fama non est unius sermo, nec infamia unius mala existimatio; sic nec claritas, uni bono placuisse. Consentire in hoc plures insignes et [6]spectabiles viri debent, ut claritas sit. Hæc autem ex judiciis plurium efficitur, id est, distantium : ergo non est bonum. Claritas, inquit[7], laus est a bonis bono reddita; laus ora- 9
tio; oratio vox est, aliquid significans; vox autem, licet bonorum virorum sit, bonum non est. Nec enim, quid-

1. *Nullum bonum putamus.* Nexus sententiarum eo continetur, quod virtutes, vitia, alia, adeoque bonum in corporum numero esse, statuebant Stoici. Cf. Tiedemann l. l. p. 14 sqq. *Ruhk.*

2. *Uno enim... principale.* Quæ una vi, sola virtute reguntur, corpora continua, τὰ ὑπὸ μιᾶς ἕξεως κρατούμενα ait Sext. Emp. adv. Phys. I, cap. 2. *Unus spiritus* est principium dirigens: *principale*, i. e. primarium principium, respectu utique practico. *R.* — Sic Pomponius quæ sunt continua corpora his ipsis verbis definiebat: quæ continentur uno spiritu.

3. *Quia in nos nostra tela mittantur.* Sic ex conject. correxi, quum *nos* ante *nostra* intercidisset in *a. c. R. A. Quo nostra tela nitatur* ed. Mur. Lips. et Bip. ex Mureti ing. *Quia indè nostra tela mittuntur* ed. Gron. et Ruhk. ex Lipsii conject. contra mentem auctoris. *Schw.* — *Lagrange* vertit: *Puisque c'est l'arsenal d'où nous tirons nos armes*, ut videatur eamdem ac Ruhk. lectionem secutus.

4. *Inquit.* Objectio adversariorum, bonum non esse claritatem. *Ruhk.*

5. *Secunda opinio.* Amica et favens. *Lips.*

6. *Et spectabiles.* Vulgo *et præstantes*, invitis mss. *Schw.*

7. *Claritas, inquit.* Transit ad aliam objectionem.

Digitized by Google

quid vir bonus facit, bonum est : nam et plaudit, et sibilat; sed nec plausum quisquam, nec sibilum, licet omnia ejus admiretur et laudet[1], bonum dicit; non magis quam sternutamentum[2], aut tussim. Ergo claritas bo-
10 num non est. Ad summam, dicite nobis, utrum laudantis, an laudati bonum sit? Si laudantis bonum esse dicitis, tam ridiculam rem facitis, quam si affirmetis meum esse, quod alius bene valeat. Sed laudare dignos, honesta actio est : ita laudantis bonum est, cujus actio est; non nostrum, qui laudamur : atqui hoc quærebatur. »

11 Respondebo nunc singulis cursim. Primum[3], an sit aliquod ex distantibus bonum, etiam nunc quæritur; et pars utraque sententias habet. Deinde, claritas non desiderat multa suffragia; potest et unius boni viri[4] judicio esse con-
12 tenta : nam omnes bonos bonus unus judicat[5].— « Quid ergo? inquit, et fama erit unius hominis existimatio, et infamia unius malignus sermo? Gloriam quoque, inquit, latius fusam intelligo; consensum enim multorum exigit. » — Diversa horum conditio est, et illius[6]. Quare? quia, si de me bene vir bonus sentit, eodem loco sum, quo, si

1. *Licet omnia... laudet.* Int. idem ille qui omnia ejus boni viri admiratur et laudat, non tamen dicit plausum ejus aut sibilum bonum esse.

2. *Sternutamentum.* Ms. *a. sternumentum. Schw.*

3. *Primum.... habet.* Nihil nobis uberius restat ex hisce disputationibus, nec quidquam earum sciremus, nisi Seneca nobis servatus esset. Patet tamen, adhuc sub judice litem fuisse; itaque nec ipse quidquam definire audet. *Ruhk.*

4. *Unius boni viri*, quasi in abstracto cogitati, sapientis, cui non gloriam, sed claritatem tribuebant, sicut quum non ἔνδοξον, sed εὐκλεῆ esse dicebant, probante Lipsio ex Philone judæo super verbis : « Evigilavit Noe. » *Ruhk.*

5. *Nam omnes bonos bonus unus judicat.* Schweigh. dat *nos bonos bonus judicat*, ex mss. *a. c. R.* — Ruhkop. explicat vulgatam *bonus unus :* quasi loco omnium. Eamdem sententiam prodidit Apost. Paulus in Ep. I ad Corinth. II, 15, 16, ubi πνευματικὸς i. bonus, sensu stoico, omnia judicare dicitur, a nemine autem (ψυχικῷ, stulto, ἀπαιδεύτῳ, ἰδιώτῃ) judicari posse.

6. *Horum* (nempe *famæ*, *gloriæ*,

Digitized by Google

omnes boni idem sentirent; omnes enim, si me cognoverint, idem sentient. Par illis idemque judicium est; 13
æque vero insistitur[1] ab his, qui dissidere non possunt. Ita pro eo est, ac si omnes idem sentiant, quia aliud sentire non possunt. Ad gloriam aut famam non est satis unius opinio. Illic idem potest unius sententia, quod omnium; quia omnium, si perrogetur[2], una erit: hic diversa dissimilium judicia sunt, dissimiles affectus; dubia omnia invenias, levia, suspecta. Putas tu posse unam 14
omnium esse sententiam? non est unius una[3] sententia. Illi[4] placet verum; veritatis una vis, una facies est: apud hos falsa sunt, quibus assentiuntur. Nunquam autem falsis constantia est; variantur et dissident. — « Sed laus, 15
inquit, nihil aliud quam vox est: vox autem bonum non est. » — Quum dicant, claritatem esse laudem bonorum, a bonis redditam; jam non ad vocem referunt, sed ad sententiam. Licet enim vir bonus taceat, sed aliquem judicet dignum laude esse, laudatus est[5]. Præterea, aliud est *laus*[6], aliud *laudatio*: hæc et vocem exigit: itaque nemo dicit *laudem funebrem*, sed *laudationem*, cujus officium oratione constat. Quum dicimus aliquem *laude* 16
dignum, non verba illi benigna hominum, sed judicia

aliorumque, quæ ut infra dicit, § 18, *multorum judiciis constant*).... *illius* (nempe *claritatis*, quæ *judicium est bonorum*).

1. *Æque vero insistitur ab his qui dissidere non possunt.* Sic vulgo ex Erasmi maxime ing. Videndum quid lateat sub vetere scriptura, *æque vero* (sic ms. *a. Vere c. A. Vera* ed. *R.*) *inficiscitur* (*inficitur* unus Pinciani, *prospicitur* ed. *A.*): *dissentire non p. S.* — Muretus *æque vero sentitur ab his q. d. n. p.* Int. æque viam illam veri boni omnes premunt. *R.*

2. *Perrogetur.* Supple: vox Curiæ (quum Consul omnium sententias ordine exquirit). *Lips.*

3. *Non est unius una.* Nam variant, et nemo, sapiente excepto, sibi constat. *Lips.*

4. *Illi* (sc. viro bono) *a. c. R. A. Illis* edd. a Mureto. *Schw.*

5. *Laudatus est.* Is scilicet, quem vir bonus vel tacite judicat laude dignum esse.

6. *Aliud est laus, aliud laudatio.* En subtilitatem admodum arbitrariam! Interdum laus et laudatio

Digitized by Google

promittimus. Ergo laus etiam [1] taciti est bene sentientis, ac bonum virum apud se laudantis. Deinde, ut dixi, ad animum refertur laus, non ad verba, quæ conceptam laudem egerunt, et in notitiam plurium emittunt. Laudat, qui laudandum esse judicat. Quum Tragicus [2] ille apud nos ait, « Magnificum esse laudari a laudato viro ;»
17 laude digno, ait. Et quum æque antiquus Poeta [3] ait,

..... Laus alit artes ;

non laudationem dicit, quæ corrumpit artes : nihil enim æque et eloquentiam, et omne aliud studium auribus deditum vitiavit, quam popularis assensio. Fama vocem utique desiderat, claritas non ; potest enim citra vocem contingere, contenta judicio : plena est, non tantum in-
18 ter tacentes, sed etiam inter reclamantes. Quid intersit inter claritatem et gloriam, dicam. Gloria multorum judiciis constat, claritas bonorum.

« Cujus, inquit [4], bonum est claritas, id est, laus bono a bonis reddita ? utrum laudati, an laudantis ? » —Utriusque : meum, qui laudor [5] ; quia natura me amantem omnium genuit, et bene fecisse gaudeo, et gratos me invenisse virtutum interpretes lætor. Hoc plurium bonum est, quod grati sunt ; sed et meum. Ita enim animo compositus sum, ut aliorum bonum meum judicem ; utique

synonyma fuere. Apud Liv. VIII, 40, *laudes funebres* occurrunt. *Ruhk.*

1. *Ergo laus etiam... sentientis.* I. Ergo ille etiam qui tacitus bene sentit de viro bono, illi laudes dat.

2. *Quum tragicus ille*, etc. Cn. Nævium, qui tempore Scipionis maj. vixit Romæ, respici putat Lipsius. Tragœdiis et Comœdiis scribendis bello punico I celeber fuit. Laudat hæc a Seneca adducta etiam Cicero Epist. ad Div. V, 12 nr. 25, 15, 6.

3. *Æque antiquus poeta*, quis fuerit, non constat. *Ruhk.*

4. *Cujus, inquit... Utriusque*, etc. Nam bonum omne id est, quod prodest, nec ab utilitate distat, s. quod semper et sine mutatione iis, qui ratione præditi sunt prodest. Cf. Tiedemann *System* II, p. 35 sqq. *Ruhk.*

5. *Meum, qui laudor.* Int. quasi scriptum esset : *mei, qui laudor.*

Digitized by Google

eorum, quibus ipse sum boni causa. Est istud laudan- 19
tium bonum; virtute enim geritur[1] : omnis autem virtutis actio bonum est. Hoc contingere illis non potuisset, nisi ego talis essem. Itaque utriusque bonum est, merito laudari; tam mehercule, quam bene judicasse[2], judicantis bonum est, et ejus, secundum quem judicatum est. Numquid dubitas, quin justitia et habentis bonum sit, et ejus, cui debitum solvit? Merentem laudare, justitia est: ergo utriusque bonum est.

Cavillatoribus istis abunde responderimus[3]. Sed non 20
debet[4] hoc nobis esse propositum, arguta disserere, et philosophiam in has angustias ex sua majestate detrahere. Quanto satius est, ire aperta via et recta, quam sibi ipsi flexus disponere, quos cum magna molestia debeas relegere? neque enim quidquam aliud istæ disputationes sunt, quam inter se perite captantium lusus. Dic 21
potius[5], quam naturale sit, in immensum mentem suam extendere. Magna et generosa res est humanus animus; nullos sibi poni[6], nisi communes et cum Deo, terminos patitur. Primum, humilem non accipit patriam, Ephesum aut Alexandriam, aut si quod est etiamnunc frequentius incolis, lætius[7] tectis solum. Patria est illi, quodcum- 22

1. *Virtute enim geritur.* Virtus enim eos impulit, ut laudarent virum bonum: ergo bene faciunt quum laudant laude dignum; ideoque laus illa bonum laudantium est.

2. *Bene judicasse.* Respicit Seneca judicem in tribunali sedentem, affirmatque æquum judicium et judicis qui æquitati paruit, et illius qui jure suo vicit, bonum esse.

3. *Responderimus.* Sic ed. Lips. et sqq. ex conj. Pinc. *Respondebimus* dabant libri vett. *Respondimus* ed. Mur. *Schw.* — Int. possemus respondere; resp. facile esset.

4. *Debet, a. c. A.* Vulgo *debuit. S.*

5. *Dic potius, quam naturale sit.* I. e. quantopere necessarium sit naturam et rationis leges sequi. *Ruhk.*

6. *Nullos sibi poni... patitur.* De hac necessitudine inter Deos et bonos multi sunt Stoici, imprimis Seneca: e. c. De Tranq. an. 8. De provident. 1, Ep. LIII, 11, not. 66, etc Epictet. Enchirid. c. 15. *Ruhk.*

7. *Lætius.* Perperam *latius* edd *S*

Digitized by Google

que suprema et universa circuitu suo cingit; hoc omne convexum, intra quod jacent maria cum terris; intra quod aer, humanis divina secernens, etiam [1] conjungit; in quo disposita [2] tot numina [3] in actus suos excubant. Deinde, arctam ætatem sibi dari non sinit: omnes, inquit, anni mei sunt; nullum sæculum magnis ingeniis clusum est, nullum non cogitationi pervium tempus. Quum venerit dies ille, qui mixtum hoc divini humanique secernat; corpus hic [4], ubi inveni, relinquam; ipse
23 me [5] Diis reddam. Nec nunc sine illis sum, sed gravi terrenoque [6] detineor carcere [7]. Per has mortalis ævi moras illi meliori vitæ longiorique proluditur [8]. Quemadmodum [9] novem mensibus tenet nos maternus uterus, et præparat non sibi, sed illi loco, in quem videmur emitti, jam idonei spiritum trahere, et in aperto durare; sic per hoc spatium, quod ab infantia patet in senectutem, in alium naturæ maturescimus [10] partum. Alia origo nos exspectat, alius rerum status. Nondum cælum, nisi ex intervallo, pati possumus.

1. *Secernens, etiam conjungit.* Nam super aerem cælum statim excipit, ubi Dii, i. e. æterni ignes. Idemque conjungit, quia terram cum cælo medius interjectus nectit. *Ruhk.*

2. *In quo disp.* Sic Schw. ex suis mss. Vulgo *intra quod. Schw.*

3. *Disposita tot numina.* Partim cælo, partim aere, terra, mari; quæ plena scilicet omnia geniorum.

4. *Corpus hic.* Perperam *corpus hoc* edd. a Mur. *Schw.*

5. *Ipse me. Ipsis me Diis, c. A.S.*

6. *Sed gravi terrenoque.* Omnes quos novimus Stoicos corpus cum vinculis custodiaque ad exemplum Platonis aliorumque comparasse, notum est. Cf. Senec. Consol. ad Helv. ad Marc. passim, Ep. LXV, 16. *Ruhk.*

7. *Carcere.* Aberat vulgo: recepimus ex *c. A. Schw.*

8. *Proluditur.* I. præluditur. Conf. Gronov. ad Senec. trag. Hercul. fur. 222. *Ruhk.*

9. *Quemadmodum...partum.* Eamdem sententiam pulchram ap. Indiæ sapientes, quos Brachmanas vocabant (nunc Brahminos dicunt) viguisse, patet e Megasthene Strabonis XV p. 822, quam Lipsius hic laudat et perperam ab iis ad Græcos manasse statuit, quum potius a Zoroastre in Indiam profecta videri debeat. Cf. Buhlii amiciss. *Lehrbuch der Gesch. der Philos.* I, p. 97 sqq. *Ruhk.*

10. *In alium naturæ maturescimus*

Digitized by Google

Proinde intrepidus horam illam decretoriam[1] prospice; 24
non est animo suprema, sed corpori. Quidquid circa te jacet rerum, tanquam hospitalis loci sarcinas specta; transeundum est. Excutit redeuntem[2] natura, sicut intrantem. Non licet plus efferre, quam intuleris; imo etiam ex eo, quod ad vitam attulisti, pars magna ponenda est. Detrahetur tibi hæc circumjecta, novissimum 25
velamentum tui, cutis; detrahetur caro et suffusus sanguis discurrensque per totum; detrahentur ossa nervique, firmamenta fluidorum ac labentium. Diès iste, quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis est[3]. Depone onus! quid cunctaris, tanquam non prius quoque, relicto, in quo latebas, corpore exieris? Hæres, reluctaris; tunc quoque magno nisu matris expulsus es. Gemis, ploras; et hoc ipsum flere, nascentis est. Sed tunc debebat ignosci: rudis et imperitus omnium veneras; ex maternorum viscerum calido mollique fomento emissum afflavit aura liberior, deinde offendit duræ manus tactus; tenerque adhuc, et nullius rei gnarus, obstupuisti inter ignota. Nunc tibi non est novum, separari

partum. Inepte olim edd. *in alium naturæ sumimur partum.* Plures, *naturæ simus* aut *sumus.* Recte *maturescimus* ed. Ruhk. et sic fere ms. *a.* sed delendum erat vocab. *naturæ.S.*

1. *Horam illam decretoriam.* Quasi dicas κριτικὴν et judicialem. Nam decernit judex, quum sententiam profert, et in alterutrum statuit: hinc *arma decretoria* quæ *lusoriis* noster opponit, Ep. CXVII, quibus de victoria, aut vita cernitur. Item *decretorius stylus*, 1 de Clem. cap. 16, quo pater filium damnat, et exhæredem facit. Neque aliter Plinius, *caniculæ sidus uvis decretorium* dixit: item, *Diem quo aquila oritur, florentibus oleis decretorium. Lips.*

2. *Excutit redeuntem.* Inquirit in te, utrum aliena tecum afferas, nihil enim præter animum apportabis. *Ruhk.*— Nobis autem videtur inquisitionis sensum non esse in verbo *excutit;* sensus: nihil nobis defunctis nisi animum relinquit natura; nos exuit omnibus externis.

3. *Æterni natalis est.* Scil. æternæ vitæ. Facit ad immortalitatem animi, sensu quodam suo Stoicis creditam, et ambigue creditam. Phys. III, 12. *Lips.*—*Lagrange: Ce jour... est celui de votre naissance pour l'éternité.*

Digitized by Google

ab eo, cujus ante pars fueris[1]; æquo animo membra jam supervacua dimitte, et istud corpus inhabitatum diu pone.
27 Scindetur, obruetur, abolebitur. Quid contristaris? ita solet fieri! pereunt sæpe[2] velamenta nascentium. Quid ista sic diligis, quasi tua? istis opertus es! Veniet, qui te revelet, dies, et ex contubernio fœdi atque olidi ventris educat.

Hinc nunc quoque tu, quantum potes, subvola; carisque[3] etiam ac necessariis cohære, ut alienus[4]. Jam hinc altius aliquid sublimiusque[5] meditare. Aliquando[6] naturæ tibi arcana retegentur, discutietur ista caligo, et lux undique clara percutiet. Imaginare tecum, quantus ille sit ful-
28 gor, tot sideribus inter se lumen miscentibus. Nulla serenum umbra turbabit; æqualiter splendebit omne cæli latus;

1. *Nunc tibi non est novum... fueris.* Non hoc tibi est novum: nam jam olim separatus es a ventre matris cujus pars eras.

2. *Sæpe* vett. libr. omnes. *Semper* edd. ex Pinciani conj. *Æque* conjectabat Grut. *Schw.*

3. *Subvola; carisque*, etc. Schw. in textum inserit duplicem lectionem: *Carisque, nisi etiam necessariis*, [sive *carisque etiam ac necessariis*]. Locus, inquit, in vett. libr. omnibus misere corruptus, in quo latus conjecturis campus. Vulgo ex Lipsii maxime conject. *subvola: utique etiam necessariis, quæ cohærebunt, alienus.* Ms. *a.* sic habet, *subvoluptari quæ nisi quæ necessariisque cohærebit alienus.* Ms. *c. subvola ubique nisi a necessariis quæ cohærebant alienus.* Sed hunc locum, itemque alios, quos transvolare nunc cogor, alio tempore, si Deo placuerit, excutiemus. *Schw.*—Ruhkopfius, qui Lipsii lectionem secutus est: magna, inquit, et intricata varietas lectionis et emendationum est. Vulgata olim: *subvolutaris quæ nisi etiam necessariis coh.* Unde Pinc. *subvola: ab aliis nisi quæ etiam necessariis.* At mss. pal. et Gronovii: *subvolutaris qui utique necessariusque cohærebit.* Hinc Gronov. fecit: *Hinc nunc quoque tu, quantum potes, subvola: caris quoque necessariisque cohære, ut alienus.* Manum abstineo. *Ruhk.*

4. *Cohære, ut alienus.* Int. sic vel amicos et necessarios tuos dilige, ut eos primo jussu fortunæ relicturus.

5. *Altius aliquid sublimiusque.* Nam videtur, inquit Themistius, ipsum τοῦ θανάτου, id est, mortis nomen, hominem e vita migrantem in sublime ferre, καὶ ἄνω εἰς θεὸν, id est sursum ad Deum vehere. *Lips.*

6. *Aliquando.... retegentur.* Hoc Stoici agere volebant. Animum astris sociatum, illa et naturam rerum totam contemplari: quod ipsum et Deus illis erat. Cicero (in fragm. ex Hor-

Digitized by Google

dies et nox aeris infimi vices sunt. Tunc in tenebris vixisse te dices, quum totam lucem totus aspexeris; quam nunc, per angustissimas oculorum vias, obscure intueris, et tamen admiraris illam jam procul[1]. Quid tibi videbitur 29
divina lux, quum illam suo loco videris? Hæc cogitatio nihil sordidum animo subsidere sinit, nihil humile, nihil crudele. Deos rerum omnium esse testes ait; illis nos approbari[2], illis in futurum parari jubet, et æternitatem proponere; quam qui mente concepit, nullos horret exercitus, non terretur tuba, nullis ad timorem minis agitur. Quidni non timeat[3], qui mori sperat? si is quoque, [4] qui 30
animum tamdiu judicat manere quamdiu retinetur corporis vinculo, solutum[5] statim spargi, id agit, ut etiam post mortem utilis esse possit. Quamvis enim ipse ereptus sit oculis, tamen

> Multa viri virtus animo, multusque recursat
> Gentis honos[6].

Cogita, quantum nobis exempla bona prosint; scies magnorum virorum, non minus quam præsentiam[7], esse utilem memoriam. Vale.

tensio): « Una igitur erimus beati cognitione Naturæ et scientia: quæ sola etiam Deorum est vita laudanda. » Cf. Lipsii Physiol. III, 24. *Ruhk.*

1. *Admiraris illàm jam procul.* Sic ms. *a.* cum ed. *A. Illam procul. R. Illam tam procul* ms. *c.* Vulgo *tam procul*, absque *illam. Schw.*

2. *Illos nos approbari...jubet.* Hæc cogitatio jubet, ut vitam nostram Diis probatam faciamus.

3. *Quidni non timeat.* Cur ille timore agatur? *Ruhk.*

4. *Is quoque, qui.* Epicurum tangere videtur, cujus de natura animi et immortalitate sensum explicuit Lucretius lib. tertio.

5. *Solutum, a. c. R. A.* Vulgo *exsolutum. Schw.*

6. *Multa... honos.* Versus sunt Virgilii Æn. IV init., quibus Dido Æneam describit. *Ruhk.*

7. *Non minus quam præsentiam, esse utilem memoriam.* Sic Pal. 2 et 3. Alii libri veteres omnes, *non minus præsentiam esse utilem quam memoriam.* Unde vulgo, *non minus præsentia esse utilem memoriam*, ex emendatione Erasmi. Poteras et corrigere, *non magis quam præsentiam* etc. Sed veterem scripturam defendit Gruterus, ut mori Senecæ convenientem. Conf. not. ad similem locum Epist. c. *Schw.*

Digitized by Google

EPISTOLA CIII.

HOMINI AB HOMINE PRÆCIPUE CAVENDUM.

Non ista circumspicienda et devitanda esse monet, quæ forsan evenient, sed ea pericula, quæ homini ab homine imminent, quippe quæ subito sint. In qua cautione tamen semper cogitandum est, quid sit hominis officium : alterum intuere, ne lædaris ; alterum ne lædas.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Quid ista circumspicis [1], quæ tibi possunt fortasse evenire, sed possunt et non evenire? incidentium [2] dico ruinam. Aliqua nobis incidunt, non insidiantur : illa potius vide, illa devita, quæ nos observant, quæ captant [3]. Rariores [4] sunt casus, etiamsi graves, naufragium facere, vehiculo everti ; ab homine homini quotidianum periculum. Adversus hoc te expedi, hoc intentis oculis intuere : nullum est malum frequentius, nullum
2 pertinacius, nullum blandius. Tempestas minatur, antequam surgat; crepant ædificia, antequam corruant; prænuntiat fumus incendium : subita est ex homine pernicies,

1. *Quid ista circumspicis.* Sunt qui laciniam superioris epistolæ putent, eique annectendam. Non idem ego. *Lips.*

2. *Incidentium.* Recte ed. Ruhk. cum mss. Vulgo *incendium. Schw.*

3. *Quæ captant.* Explicatio Senecæ mox sequitur : ab homine homini quotidianum periculum. Lipsius affert notam in Plauto (Asinar. II, 3, 88 ubi cf. Taubmann) parœmiam : « Homo homini lupus. » Contrario tamen sensu dicitur homo homini deus. Conf. Erasmi Adag. Chil. I, Centur. I, nr. 69, 70. *Ruhk.*

4. *Rariores.* Ex Gruteri conject. adscivi. *Rari* olim edd. ex Pinc. conject. Vitiose *paries* ms. *a. Pares c. R. A.* quod tenens Ruhk. junxit præcedentibus *quæ captant pares. Schw.*

Digitized by Google

et eo diligentius tegitur, quo propius accedit. [1] Erras, si istorum, tibi qui occurrunt, vultibus credis : hominum effigies habent, animos ferarum; nisi quod illarum perniciosior est primus incursus : quos transiere, non quærunt [2]; nunquam enim illas ad nocendum, nisi necessitas, injicit [3]. Hæ aut fame, aut timore coguntur ad 3
pugnam : homini perdere hominem libet. Tu tamen ita cogita quod ex homine periculum sit, ut cogites quod sit hominis officium. Alterum intuere, ne lædaris; alterum, ne lædas. Commodis omnium læteris, movearis incommodis; et memineris, quæ præstare debeas, quæ cavere. Sic vivendo quid consequeris? non, ut ne noceant; 4
sed ne fallant. Quantum potes autem, in Philosophiam secede : illa te sinu [4] suo proteget; in hujus sacrario eris aut tutus, aut tutior. Non arietant [5] inter se, nisi in eodem ambulantes. Quid autem [6]? ipsam Philosophiam non debebis jactare : multis fuit periculi causa, insolenter tractata et contumaciter. Tibi vitia detrahat, non aliis exprobret; non abhorreat a publicis moribus [7]; nec hoc agat, ut, quidquid non facit, damnare videatur. Licet sapere sine pompa, sine invidia. Vale.

1. *Erras... quærunt.* Egregia sunt, quæ in eamdem sententiam leguntur in Arriani Diss. Epict. I, 3. « Quosdam hominum lupis similes esse, infidos, insidiatores, noxios; alios leonibus; agrestes, feroces, immanes; plerosque vulpeculis, detractores et fraudulantes. »

2. *Quos transiere, non quærunt.* Sic recte ms. *a.* Vulgo *quos transire non queunt. Schw.*

3. *Injicit, a. R.* et Pinc. Sic dicimus *injicere se in medios hostes.* Vulgo *inigit* ex Lips. conj. *Mittit. c. A. S.*

4. *Sinu.* Sic recte olim edd. ex Er. emend. pro vitioso *nisu*, quod dabant *a. R. Visu* ed. Ruhk. cum *c. A. Schw.* — *Visu* explicat Ruhk. vi videndi, cavendi ne tibi noceant.

5. *Non arietant.... ambulantes.* Simile est, quod in superiore quadam Epist. *rixa est inter competitores.*

6. *Quid autem. Quia autem* ms. *a. Quin etiam* ed. Bip. ex Gronovii conjectura. *Schw.*

7. *Non abhorreat a publicis moribus.* Tale Ciceronis inter fragmenta, ad Marcum filium : « Philosophiæ quidem præcepta noscenda, vivendum autem civiliter. » *Lips.*

Digitized by Google

EPISTOLA CIV.

DE INVALETUDINE SUA, ET CARITATE IN SE UXORIS : ANIMI MALA PEREGRINATIONE NON SANARI : CUM PRISCIS ET MAGNIS VIRIS VIVENDUM.

Scripta est hæc epistola e villa Senecæ, Nomentano, haud procul Roma sito, quo se receperat ex urbe, ut febrem subrepentem fugeret, vel invita uxore Paulina, cujus ut curam et caritatem in se laudat, ita ejus amore duci se fatetur, ut valetudini suæ consulat. Loci quidem mutatione hac se refectum ac recreatum narrat, sed hoc potissimum animo tribuit. Nam peregrinatio per se omnem valetudinem non restituit, nec prodesse potest, nisi animus mutetur, emendetur, affectus cupiditatesque recidantur. Quibus demum factis omnia loca ac status juvabunt et proderunt ad vana et pericula domanda. Tunc exemplis vitiorum relictis, ad meliores transeundum peregrinatione pulcherrima, ad priscos et eos magnos viros, Zenonem, Socratem, Catonem rel. quos cogitatione intueri atque imitari oportet, non ut scite loquaris, sed ut animum potius indures, adversus minas fortunæ erigas, et in opere sis. Ita vitia tolluntur, virtutes inseruntur.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

In Nomentanum[1] meum fugi, — quid putas? Urbem? — imo febrem, et quidem subrepentem. Jam manum mihi injecerat; protinus itaque parari vehiculum jussi, Paulina mea retinente. Medicus initia esse dicebat, motis venis, et incertis[2], et naturalem turbantibus modum. Exire perseveravi. Illud mihi in ore erat domini mei Gallionis[3], qui, quum in Achaia febrem habere cœpisset,

1. *In Nomentanum*, ubi prædium ejus et vineæ. Infra Ep. CX, 1, et Columella III, 3. *L.* — Sita erat hæc villa duobus fere milliaribus germanicis (70 stadiis) a Roma in Gabinis juxta urbem cognominem, quo ducebat porta et via Nomentana. Cf. Adler, p. 60. *Ruhk.*

2. *Et incertis.* Perperam *sed incertis* vulgo. *Schw.*

3. *Domini mei Gallionis.* Fratris maximi natu M. Ann. Novati, qui a

Digitized by Google

protinus navem ascendit, clamitans non corporis esse, sed loci morbum. Hoc ego Paulinæ meæ dixi, quæ mihi 2
valetudinem meam commendat. Nam, quum sciam spiritum[1] illius in meo verti, incipiò, ut illi consulam, mihi consulere; et, quum me fortiorem senectus ad multa reddiderit, hoc beneficium ætatis amitto[2]. Venit enim mihi in mentem, in hoc sene et adolescentem esse, cui parcitur. Itaque, quoniam[3] ego ab illa non impetro, ut me fortius amet[4], impetrat illa [a me[5],] ut me diligentius
amem. Indulgendum est enim honestis affectibus: et in- 3
terdum, etiam si premunt causæ, spiritus in honorem suorum vel cum tormento revocandus, et in ipso ore retinendus est; quum bono viro[6] vivendum sit, non quamdiu juvat, sed quamdiu oportet. Ille, qui non uxorem, non amicum tanti putat, ut diutius in vita commoretur, qui

I. Gallione adoptatus post Caligulæ excessum Junii Annæi Gallionis nomen accepit, cui libros de Ira et de Vita Beata adscripsit Noster. Post nostri Senecæ mortem propria se manu interfecit, Eusebio ad ann. 818 narrante: cf. Dio Cass. 62, 25. Meminit ejus Tacit. Ann. 15, 73. An sit ille Gallio, qui Actor. Apostol. 18, 12 memoratur proconsul *Achaiæ* i. Græciæ, adhuc incertum est. Cæterum de more, patres atque fratres grandiores natu per honorem et blanditias *dominos* appellandi, egit Lipsius in Excursu P. ad Taciti Annal. II. *Ruhk.*

1. *Spiritum.* I. e. vitam. Sic Philippus medicus Regi Alexandro M. ap. Curt. III, 6, 10, ait: « Rex, semper quidem spiritus meus ex te pependit. »

2. *Beneficium ætatis amitto.* Cogor ut multa, quæ spernere vellem, caveam.

3. *Itaque quoniam... amem.* Nimis temere et indulgenter illa me amat, nec impetro, ut robustius: ad omnia mala mea collabitur. *Ruhk.*

4. *Ut me fortius amet.* Optime habet: nec Pincianus aut alii debebant movere. Fortiter amat, qui non indulget, qui severo quodam amore, ut patres liberos, ut Deus bonos viros. *Lips.*

5. [*A me*]. Verba a Mur. adjecta, commode quidem, sed invitis mss. *Schw.*

6. *Quum bono viro... oportet.* Seneca de Benefic. II, 18 sapientes quidquid oportet juvat, i. e. quidquid opportunum et εὔκαιρον est. Nam Cicero ita videtur reddere, ubi Cato Stoicus apud eum de Fin. III, 18 disserit: « At sæpe officium est sapientis, desciscere a vita, quum sit beatissimus, si id opportune facere possit. » Et paullo ante: « Rectam affectionem, sive τὸ κατόρθωμα ponit in opportunitate »: sic enim appellare se εὐκαιρίαν. *Lips.*

Digitized by Google

perseverat mori, delicatus est[1]. Hoc quoque imperet sibi animus, ubi utilitas suorum exigit; nec tantum, si vult mori, sed si cœpit, intermittat, et suis se commo-
4 det. Ingentis animi[2] est, aliena causa ad vitam reverti; quod magni viri sæpe fecerunt. Sed hoc quoque summæ humanitatis existimo, senectutem suam, cujus maximus fructus[3] est securior sui tutela, et vitæ usus animosior, attentius conservare, si scias alicui tuorum esse dulce, utile, optabile. Habet præterea in se non mediocre ista res gaudium et mercedem : quid enim jucundius, quam uxori tam carum esse, ut propter hoc tibi carior fias?
5 Potest itaque Paulina[4] mea non tantum suum mihi timorem imputare, sed etiam meum.

Quæris ergo, quomodo[5] mihi consilium profectionis cesserit?—Ut primum gravitatem Urbis excessi, et illum odorem culinarum[6] fumantium, quæ motæ, quidquid pestiferi vaporis obruerant[7], cum pulvere effundunt,
6 protinus mutatam valetudinem sensi. Quantum deinde adjectum putas viribus, postquam vineas[8] attigi? In pas-

1. *Delicatus est.* Caret illo robore quo sapiens nititur, ut omnia incommoda pro cæterorum salute sustineat.

2. *Ingentis animi... fecerunt.* Ipse Noster exemplo est Ep. LXXVIII init. : « Ad summam maciem deductus sæpe impetum cepi abrumpendæ vitæ : patris me indulgentissimi senectus retinuit.» *Ruhk.*

3. *Maximus fructus... animosior.* Gignit senectus securiorem tutelam sui, sc. minus anxiam et sollicitam ; et enim minore, ut par est, cura ii laborant ut se ipsos tueantur, quibus mors quibus paucissimam potest afferre jacturam, nec magna pœna impendet negligentioris tutelæ : ideo senes securiores esse debent de semetipsis, quoniam minimum casibus committunt : ideo animosius uti vita debent, quoniam non illis cavendum est, ut juvenibus, ne imprudentia tuendi corporis, spem longioris vitæ amittant.

4. *Potest itaque Paulina... meum.* Acute. Potest non solum hoc in expensis mihi ferre, quod pro me timeat, sed et quod ego. Nam ejus timor meum trahit, imo gignit. *Lips.*

5. *Quomodo... cesserit.* Quid mihi profectio profuerit.

6. *Illum odorem culinarum fumantium.* Cf. Epist. LXIV, 1, not. *R.*

7. *Obruerant.* I. condiderant, texerant. *Ruhk.*

8. *Vineas.* Nomentana enim regio

cuum emissus, cibum meum invasi. Repetivi ergo jam me[1] : non permansit marcor ille corporis dubii et male cogitantis[2]; incipio toto animo studere. Non multum ad hoc locus confert, nisi se sibi præstet animus, qui secretum, et in occupationibus mediis, si volet, habebit. At ille[3], qui regiones eligit, et otium captat, ubique, 7
quo distringatur, inveniet. Nam Socratem[4] querenti cuidam, quod nihil sibi peregrinationes profuissent, respondisse ferunt : « Non immerito hoc tibi evenit! tecum enim peregrinabaris. » O quam bene cum quibusdam ageretur, si a se aberrarent! Nunc primum[5] se ipsos sol- 8
licitant, corrumpunt, territant.

Quid prodest mare trajicere, et urbes mutare? Si vis ista, quibus urgeris, effugere, non aliubi sis oportet, sed alius[6]. Puta venisse te Athenas, puta Rhodon : elige arbitrio tuo civitatem : quid ad rem pertinet, quos illa mores habeat? tuos afferes. Divitias judicabis bonum : 9
torquebit te paupertas, et, quod est miserrimum, falsa;

vineis erat impleta. Columella III, 3, ubi et Senecæ sui coævi prædiorum meminit. Diligentem autem vinearum fossorem se fuisse affirmat Seneca Nat. Quæst. III, 7 init. *Ruhk.*

1. *Repetivi ergo jam me.* Recuperavi, et reperi quasi amissum : sum, qui ante fui. *Lips.*

2. *Male cogitantis.* Bene : meditabatur et minabatur febrim; sed nondum erat. *L.* — Ruhkopfius intelligit de vera cogitatione; interpretatur *male*, ægre.

3. *At ille*, etc. Sæpe hæc jam inculcata vidimus a Nostro, imprimis de Tranquill. An. c. 2, 11 sqq. Ep. XXVIII. Digna est quæ conferatur Horatii Epistola I, 11 ad Bullat. ubi obiter moneo mihi legendum videri vers. 6 : « At Lebedum... viarum : Scis... furentem. » Quæ verba Bullatii responsum continent : ne quæ in hominem μισανθρωπότατον cadunt, poetæ festivissimo in mentem venire potuisse credamus. Addas Horat. Carm. II, 16, 18 sqq. III, 1, 37, 5, 55. *Ruhk.*

4. *Nam Socratem.* Quæ de Socrate narrat, aliunde non constant : sed conveniunt cum Socratis moribus et ingenio. Cf. Plato Vol. I p. 120. bip. *Ruhk.*

5. *Nunc primum.* Sic Erasm. et omnes Pal. Alii *primi.*

6. *Quid prodest... alius.* Sic Hor. Ep. I, 11, 25 : « ...Nam si ratio et prudentia curas, Non locus effusi late maris arbiter aufert : Cælum, non animum mutant, qui trans mare currunt ...Quod petis hic est, Est Ulu-

Digitized by Google

quamvis enim multum possideas, tamen, quia aliquis plus habet, tanto tibi videberis defici, quanto vinceris. Honores judicas bonum : male te habebit ille consul factus; ille etiam refectus; invidebis[1] quoties aliquem in fastis sæpius legeris. Tantus erit ambitionis furor, ut
10 nemo tibi post te videatur, si aliquis ante te fuerit. Maximum malum judicabis mortem; quum in illa[2] nihil sit mali, nisi, quod ante ipsam est, timeri. Exterrebunt te non tantum pericula, sed suspiciones; vanis semper agitaberis. Quid enim proderit,

..... Evasisse tot urbes
Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostes[3]?

ipsa pax timores subministrabit; ne tutis quidem habebitur fides, consternata semel mente; quæ ubi consuetudinem pavoris improvidi fecit, et jam ad tutelam salutis
11 suæ inhabilis est. Non enim vitat, sed fugit; magis autem periculis patemus aversi. Gravissimum judicabis malum, aliquem ex his, quos amabis, amittere; quum interim hoc tam ineptum erit, quam flere quod arboribus amœnis et domum tuam ornantibus decidant folia. Quidquid te delectat, æque vide[4], ut vides eas, dum virent. [5]Utique

bris : animus si te non deficit æquus. »

1. *Invidebis*. Adscivi ex Pal. 2, 3. Col. et Pinc. Alii omnes vett. libri vitiose *videberis*. Vulgatum *ringeris* ex Erasmi conject. erat. *Schw*.

2. *Quum in illa... timeri*. I. e. quum in morte nullum malum sit præter timorem, qui antecedit. *Ruhk*.

3. *Hostes?* Versus sunt Virgilii Æn. III, 282 sqq. *Ruhk*.

4. *Æque vide, ut vides eas dum virent*. Locum corruptum olim in msstis, et magis etiam in editis, commode restituerunt partim Ruhkopf. partim Matth. in cum fere modum, quo eum exhibuimus, vestigia veterum librorum quoad fieri potuit prementes. *Schw*.—Ruhkopf. dat : *æque vide ut videris, dum virent*. Sic, inquit, refinxi locum, quem omnes interpp. nodum Deo dignum vindice habent, e codd. In scriptis est : *videres, videris, videt* aut *viret*. Lipsius conject. Erasmi prætulit : *Quidquid te delectat, æque viget, ut videras dum vireret*. Sensus est : quidquid te delectat, eodem oculo considera, quo considerare soles illa folia. Imago nota est Horat. Art. Poet. 60. *R*.

5. *Utique*. Ex Lipsii conject. est :

Digitized by Google

alium[1] alio die casus excutiet: sed, quemadmodum fron- 12
dium jactura[2] facilis est, quia renascuntur; sic istorum, quos amas, quosque oblectamenta vitæ putas esse, damnum; quia reparantur[3], etiamsi non renascantur. — Sed non erunt iidem. — Ne tu quidem idem eris! Omnis dies, omnis hora te mutat: sed in aliis[4] rapina facilius apparet; hic[5] latet, quia non ex aperto fit. Alii auferun- 13
tur; at ipsi nobis furto subducimur. Horum nihil cogitabis, nec remedia vulneribus oppones[6]; sed ipse tibi seres sollicitudinum causas, alia sperando, alia desperando. Si sapis[7], alterum alteri misceas; nec speraveris sine desperatione, nec desperaveris sine spe.

Quid per se[8] peregrinatio prodesse cuiquam potuit? Non voluptates illa temperavit; non cupiditates refrænavit; non iras repressit; non indomitos amoris impetus 14
fregit; nulla denique animo mala eduxit; non judicium dedit; non discussit errorem: sed, ut puerum ignota mirantem, ad breve tempus rerum aliqua novitate detinuit. Cæterum inconstantiam mentis, quæ [quum] maxi-

ater, utinam, ut, dabant libri vett. *S.*

1. *Alium.* Iidem recte præbent *alium*, scil. amicum; non *aliud*, ut vulgo. *Schw.*

2. *Frondium jactura.* Hæc tota imago ab Homero est, qui nobilem illum versum, et Pyrrhoni philosopho semper in ore versatum protulit: «Οἵηπερ φύλλων γενεὴ, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν. Tale quidem genus est hominum, quale est foliorum.»

3. *Quia reparantur.* Quia in illorum locum alii parabantur.

4. *Sed in aliis... apparet.* Tibi partem aliquam vitæ tuæ quoque momento temporis cursus rapit; tamen ipse non attendis: facilius rapina temporis apparet, quum amici, non furtim, sed aperte et palam ex oculis tuis auferuntur.

5. *Hic.* Scilicet in tua ipsius vita latet, quantum tempus auferat.

6. *Oppones.* Ita omnes codd. et Erasm. Sed editio rom. ex Pinc. conjectura *appones*. *Ruhk.*

7. *Si sapis, alterum alteri misceas.* Ita recte conj. Pinc. una membrana firmante. Nullus sensus erat antea: *Si satis*. *Ruhk.*

8. *Quid per se peregrinatio prodesse... potuit.* Sc. ad animum emendandum. Nam hoc Seneca non negat, prodesse peregrinationem corpori sanando: cujus quidem rei et ipse exemplum dedit multique dederunt dabuntque. *Ruhk.*

Digitized by Google

me[1] ægra est, lacessit[2], mobiliorem levioremque reddit
15 ipsa jactatio. Itaque, quæ petierant cupidissime loca, cupidius deserunt, et avium modo transvolant, citiusque, quam venerant, abeunt. Peregrinatio notitiam dabit gentium, novas tibi montium formas ostendet, inusitata[3] spatia camporum, et irriguas perennibus aquis valles, et alicujus fluminis sub observatione[4] naturam; sive, ut Nilus[5], æstivo incremento tumet; sive, ut Tigris, eripitur ex oculis, et acto per occulta cursu, integræ
16 magnitudini redditur; sive, ut Mæander, poetarum omnium exercitatio et ludus, implicatur crebris anfractibus, et sæpe in vicinum alveo suo admotus, antequam sibi influat, flectitur: cæterum neque meliorem faciet, neque saniorem. Inter studia versandum est et inter auctores sapientiæ, ut quæsita discamus, nondum inventa quæramus[6]. Sic eximendus animus ex miserrima servi-
17 tute in libertatem asseritur. Quamdiu quidem nescieris, quid fugiendum, quid petendum, quid necessarium, quid supervacuum, quid justum, quid honestum sit; non erit hoc peregrinari, sed errare. Nullam tibi opem feret iste discursus: peregrinaris enim cum affectibus tuis, et mala te tua sequuntur. Utinam quidem sequerentur! longius abessent: nunc fers illa, non ducis. Itaque ubique
18 te premunt, et paribus incommodis urunt. Medicina

1. *Quum maxime. Quum* ex conj. adjecit Mur. *Schw.*

2. *Lacessit, mobiliorem.* Pincianus *lacessitam* velit: ego copula e fine educta *lacessit et mobiliorem. Lips.*

3. *Inusitata. Invisitata* ms. *a. S.*

4. *Sub observatione.* I. si observaveris. *Ruhk.*

5. *Sive, ut Nilus*, etc. Quæ hic de *Nilo*, *Tigride* et *Mæandro* narrantur, nota sunt et firmantur a Geographis et iis, qui recentioribus temporibus illas regiones adiere. Cf. Büsching, Tom. XI præf. quanquam hic p. 198 ubi de Tigride egit, cursum per occulta actum non memoraverit, quem tamen Dionys. Perieg. 987 sq. ubi cf. Eustath. attigisse non oblitus est. *R.*

6. *Nondum inventa quæramus.* Nam veteres philosophos, ait, multa

ægro, non regio, quærenda est. Fregit aliquis crus, aut extorsit articulum : non vehiculum navemque conscendit, sed advocat medicum, ut fracta pars jungatur, ut luxata in locum reponatur. Quid ergo? animum, tot locis fractum et extortum, credis locorum mutatione posse sanari? Majus est istud malum, quam ut gestatione curetur[1]. Peregrinatio non facit medicum, non oratorem; nulla ars loco discitur : quid ergo? sapientia, rerum omnium maxima, in itinere colligitur? Nullum mihi crede, 19
iter est, quod te extra cupiditates, extra iras, extra metus sistat : aut, si quod esset, agmine facto gens illuc humana pergeret. Tamdiu ista urgebunt mala, macerabuntque per terras ac maria vagum, quamdiu malorum gestaris causas.

Fugam tibi non prodesse miraris? tecum sunt, quæ fugis. Te igitur emenda! Onera tibi detrahe[2], et desideria intra saltem modum contine! omnem ex animo erade
nequitiam! Si vis peregrinationes habere jucundas, tuum 20
comitem sana! Hærebit tibi avaritia, quamdiu avaro sordidoque convixeris; hærebit tumor, quamdiu cum superbo conversaberis; nunquam sævitiam in tortoris contubernio pones; incendent libidines tuas adulterorum sodalitia. Si velis vitiis exui, longe a vitiorum exemplis rece-

sibi quærenda reliquisse. Cf. Ep. XLV, 3 sqq. *Ruhk.*

1. *Quam ut gestatione curetur.* In essedo, succussione : quæ solemniter olim usurpata fuit veteribus, humoribus detrahendis, meatibus reserandis, calori excitando. Scripsi epistolam ad Ortelium super ea tota re, Centur. Miscellan. III, 11. *Lips.* — Conferri meretur Böttigeri Sabina, ubi egregie, ut solet, de hac re egit. *Ruhk.*

2. *Detrahe, et desideria intra saltem modum contine.* Sic Schweigh. Ruhkopfius dat : *detrahe et desideria : saltem intra modum contine.* Sic, inquit, editio rom. al. Abeunt tamen codd. et Erasm., qui habent : *emenda desideria, intra saltem modum contine*, unde Pincianus fecit : *Aut amanda* (i. abige, expelle), *aut intra modum saltem contine.* Sed illud *emenda* repetitioni librariorum debetur.

Digitized by Google

21 dendum est. Avarus, corruptor, sævus, fraudulentus, multum nocituri, si prope a te fuissent [1], intra te sunt. Ad meliores transi! cum Catonibus vive [2], cum Lælio, cum Tuberone; quod si convivere etiam Græcis juvat, cum Socrate, cum Zenone versare. Alter [3] te docebit
22 mori, si necesse erit: alter [4], antequam necesse erit. Vive cum Chrysippo, cum Posidonio. Hi tibi tradent divinorum humanorumque notitiam: hi jubebunt in opere esse, nec tantum scite loqui, et in oblectationem audientium verba jactare, sed animum indurare, et adversus minas erigere. Unus est enim hujus vitæ fluctuantis et turbidæ portus, eventura contemnere, stare fidenter, [5] apertum; tela fortunæ adverso pectore excipere, non latitantem,
23 nec tergiversantem. Magnanimos nos natura produxit; et, ut quibusdam animalibus ferum dedit, quibusdam subdolum, quibusdam pavidum, ita nobis gloriosum et excelsum spiritum, quærentem ubi honestissime, non ubi tutissime vivat; simillimum mundo [6], quem, quan-

1. *Si prope a te fuissent.* Int. non solum sunt tibi propiores, non solum te comitantur, sed intra te sunt.

2. *Cum Catonibus vive*, etc. Sumptum est hoc præceptum ex eo, quod Zenoni quærenti, quomodo optime victurus esset, responsum oraculo dicitur: εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς: quo ille accepto totum se ad legendos veterum libros contulit. E Diogene Laert. VII, 2 notavit Mur. *R.*

3. *Alter.* Socrates, qui mortem, si advenerit, æquo animo ferre docet. *Ruhk.*

4. *Alter.* Zeno Cittieus conditor Stoæ, qui sine morbo sibi manus intulit, et id fas jusque esse, inter dogmata prodiderat. Vide Manud. in philos. stoic. III, 22. *Lips.*

5. *Apertum.* Vitiose *appartum* ms. *a.* (scil. *appertum* fuerat in exemplari, de quo descriptus est ille codex). *Ad portum, c. R. A. Aperte* vulgo ex Mur. ing. *Schw.* — *Aperte* legendum esse contendit ex uno suorum Pincianus: at reliqui codd. et edd. *ad portum*, unde Lipsius *ad portam*, vel *ac promptum*, Pontanus *ad proram*: Gron. *ac rectum*, qui confert Epist. XXXVII, 2. De Provid. c. 2 et 3. *Triller*, obss. crit. III, 6 p. 179 *adapertum*, i. e. nudum, liberum, *exsertum*. Equidem *ad portum* retineam, i. e. in isto animi statu firmo eventura contemnendi. Locum tamen nondum persanatum puto. *Ruhk.*

6. *Mundo.* I. e. cælo atque ætheri

tum mortalibus passibus licet, sequitur æmulaturque. Profert se[1], laudari et adspici credit. Dominus omnium est, supra omnia est : itaque nulli se rei submittit; nihil 24
illi videtur grave, nihil quod virum incurvet[2].

Terribiles visu formæ, letumque labosque[3] :

minime quidem[4], si quis rectis oculis intueri illa possit, et tenebras perrumpere. Multa, per noctem habita terrori, dies vertit ad risum.

Terribiles visu formæ, letumque labosque,

egregie Virgilius noster. Non *re* dixit *terribiles* esse, sed 25
visu; id est, videri, non esse. Quid, inquam, in istis est tam formidabile, quam fama vulgavit? Quid est, obsecro te, Lucili, cur timeat laborem vir, mortem homo?

Toties mihi occurrunt isti[5], qui non putant fieri posse quidquid facere non possunt, et aiunt nos loqui majora, quam quæ natura humana sustineat. At quanto ego de illis melius existimo? Ipsi quoque[6] hæc possunt facere, sed nolunt. Denique, quem unquam ista destituere ten- 26

Nam et hoc mundus et e cælo noster spiritus, ut Stoici docent. *Lips.*

1. *Profert se, laudari et aspici credit.* I. e. ita agit, ut illi, qui in opere laudibus et conspectu eorum, quos reverentur, aut quibus se venditant, animentur : existimat, sibi theatrum esse, et in se plurimorum oculos conversos. *Gronov.*

2. *Nihil quod virum incurvet.* Sic *e.c. R. A. Asperum* post *nihil* interserunt alii; quod si servatum velles, oportebat *nihil asperum, nihil quod*, etc. *Schw.*

3. *Labosque.* Versus Virgil. est *Æn.* VI, 277. *Ruhk.*

4. *Minime quidem.* Subaudi : terribiles.

5. *Toties mihi occurrunt isti, qui.* Int. sæpissime mihi occ. Bene vertit *Lagrange : Rien de plus commun que ces hommes, qui*, etc.

6. *Ipsi quoque... sed nolunt.* Agit de sapiente stoico, quem ut virtutis imaginem vivam proposuisse Stoæ conditores constat, quo virtutem, quum conspici non possit, ea dignitate commendarent, quæ hominum animos in se convertere atque allicere queat. Quod quidem dogma quum sæpenumero impugnaretur tanquam res imaginaria et humanitatis viribus

Digitized by Google

tantem? cui non faciliora apparuere in actu? Non, quia difficilia sunt, non audemus; sed, quia non audemus, difficilia sunt. Si tamen exemplum desideratis, accipite Socratem, perpessitium senem [1], per omnia aspera jactatum; invictum tamen [2] et paupertate, quam graviorem illi domestica onera faciebant, et laboribus, quos militares quoque pertulit, et quibus [ille] domi [est] exercitus [3], sive uxorem [4] ejus [spectes [5]] moribus feram, lingua petulantem; sive liberos [6] indociles, et matri, quam
27 patri, similiores. Sic fere aut in bello fuit, aut in tyrannide, aut in libertate bellis ac tyrannis sæviore. Viginti et septem [7] annis pugnatum est; post finita arma, triginta tyrannis [8] noxæ dedita est civitas, ex quibus plerique inimici erant. Novissima damnatio est sub gravissimis nominibus [9] impleta: objecta est et religionum

altior, summopere annisi sunt Stoici docere, hominem illud virtutis fastigium attingere posse, quod Herculem (Epictet. Diss. II, 16; III, 24), Socratem, Zenonem, Diogenem, Catonem, Tuberonem al. consecutos esse monstravere. Cæterum hæc ita dicta sunt, ut pæne nostra memoria ab amico et defensore Ethices, quam Philosophia critica docet, prolata esse putaveris. *Ruhk.*

1. *Socratem perpessitium senem.* Ita eum vocat quoque Ep. LIII, 6, qui multa perpessus est. Cf. de Ira II, 6, Epictet. Diss. II, 25 p. 290 Schweigh. ed. *Meiners Geschichte der Wiss.* II, p. 346 sqq. *Ruhk.*

2. *Invictum tamen.* Omnium codd. et edd. lectio est. Pinc. ex uno mss. *invictum fame et paup.* Aliquid vitii majoris, ait Gruter. latet quod non ego nunc detego. At equidem locum pro sano habeo. *Ruhk.*

3. *Et quibus [ille] domi [est] exercitus.* Copula *et* Mureto debetur; verbum *est* nos ex conject. adjecimus. *Ille* tenent alii, *illi* ms. *a.* Equidem abjectum pronomen malebam. *Schw.* — Ruhk. eamdem protulit lect. nisi quod *est* omisit. Sic, inquit, omnes fere codd. et edd.; præterquam quod alii: *quibus ille domi exercitus*, sine *et.*

4. *Sive uxorem.* Alii *sive in uxorem. Ruhk.*

5. *Spectes.* Verbum *spectes* ex Mureti conject. adjectum est. *Schw.*

6. *Sive liberos*, etc. Mihi totus hic locus: *et quibus... similiores* non a Seneca esse videtur. *Ruhk.*

7. *Viginti et septem.* Tot annos et aliquot menses duravisse bellum Peloponnesiacum Thucydides atque alii testantur. *Lips.*

8. *Triginta tyrannis.* Quos Lysander Athenis imposuit. Conf. de Tranquill. cap. 3. *Lips.*

9. *Nominibus.* Scripsi cum Gron.

Digitized by Google

violatio, et juventutis corruptela[1], quam immittere in Deos, in patres, in rempublicam dictus est; post hæc carcer, et venenum. Hæc usque eo animum Socratis non 28
moverunt, ut ne vultum quidem moverint. Illam mirabilem laudem, et singularem, usque ad extremum servavit: nec hilariorem quisquam, nec tristiorem Socratem vidit; æqualis fuit in tanta inæqualitate fortunæ.

Vis alterum exemplum? Accipe hunc [2]M. Catonem 29
recentiorem, cum quo et infestius fortuna egit, et pertinacius. Cui quum omnibus locis obstitisset, novissime et in morte[3]; ostendit tamen virum fortem posse invita fortuna vivere, invita mori. Tota illi ætas aut in armis est exacta civilibus, aut in ætate[4] concipiente jam civile bellum. Et hunc licet dicas non minus, quam Socratem, in servitute vixisse; nisi forte Cn. Pompeium[5], et Cæsarem, et Crassum putas libertatis socios fuisse. Nemo 30
mutatum Catonem, toties mutata republica, vidit: eumdem se in omni statu præstitit, in prætura, in repulsa, in accusatione, in provincia, in concione, in exercitu, in morte. Denique in illa reipublicæ trepidatione, quum illinc Cæsar esset decem legionibus pugnacissimis subnixus, totque[6] exterarum gentium præsidiis,

ex Lipsii conject. *Hominibus* dabant vett. libri, quod revocarunt Bipont. et Ruhk. *Criminibus* ed. Mur. *S.*

1. *Juventutis corruptela.* Tertullianus apolog. I. « Lego partem sententiæ Atticæ in Socratem, corruptorem adolescentium, pronunciatam. » Plato in Apolog. Diog. Laertius, alii. *Lips.*

2. *Hunc M. Catonem.* De M. Catone extat egregia vitæ descriptio Plutarchi. Conf. Cicero p. Mur. 29. Sallust. conjurat. Catil. 54. Senec. de Benef. lib. II, cap. 20, et Garvius ad Cic. de Offic. I, p. 214 sq. *Ruhk.*

3. *Novissime et in morte.* Nempe quum non potuisset semetipsum adacto in pectus gladio occidere, ipse sua laceravit viscera, animamque, ut ait Seneca, ejecit.

4. *In ætate.* Membranæ cum Tarvisina edit. *intacta*, unde Gronov. emend. *in pace. Ruhk.*

5. *Pompeium.* Vitas C. Jul. Cæsaris, Cn. Pompeii magni, et Crassi Plutarch. quoque descripsit. *Ruhk.*

6. *Totque exterarum.* Ruhk. dat:

Digitized by Google

hinc Cn. Pompeius, satis unus adversus omnia; quum alii ad Cæsarem inclinarent, alii ad Pompeium; solus
31 Cato fecit aliquas et reipublicæ partes. Si animo complecti volueris illius imaginem temporis, videbis illinc plebem[1] et omnem erectum ad res novas vulgum; hinc optimates[2], et equestrem ordinem, quidquid erat in civitate sancti et electi; duos in medio relictos rempublicam et Catonem. Miraberis, inquam, quum animadverteris

Atridem, Priamumque, et sævum ambobus Achillem[3]:

32 utrumque enim improbat, utrumque exarmat. Hanc fert de utroque sententiam : ait « se, si Cæsar vicerit, moriturum; si Pompeius, exsulaturum. » Quid habebat quod timeret, qui [ea[4]] sibi et victo, et victori constituerat, quæ constituta esse ab hostibus iratissimis poterant? Pe-
33 riit itaque ex decreto suo. Vides, posse homines laborem pati : per medias Africæ solitudines[5] pedes duxit exercitum. Vides, posse tolerare sitim : et in collibus arentibus, sine ullis impedimentis, victi exercitus reliquias trahens, inopiam humoris loricatus tulit; et, quoties aquæ fuerat occasio, novissimus bibit[6]. Vides, honorem et notam posse contemni : eodem, quo repulsus est, die in comi-

totis externarum. Sic, inquit, omnes codd. et edd. præter unam rom., quam aliæ postea secutæ sunt : *tot.* Male Pincian. inverti voluit ordinem verborum : *hinc Cn. Pompeius tot. ext. g. præs.* : at Seneca statim addit : *satis unus adversus omnia.* Cæsaris autem copias externis militibus constitisse notum est : contra Pompeius tunc solus erat Romæ. *Ruhk.*

1. *Illinc plebem.* A Cæsare. *Lips.*

2. *Optimates.* A Pompeio. *Lips.*

3. *Achillem.* Versus est Virgil. Æn. lib. I, vers. 458 ubi nunc vulgatur *Atridas* : sed cf. ibi Heynius. *Ruhk.*

4. *Qui* [*ea*] *sibi.* Alii *qui id sibi.* Rectius abjiciretur vocula. *Schw.*

5. *Per medias Africæ solitudines... exercitum.* A Cyrenis in Mauritaniam contendit. Plutarchus in vita et maxime Lucanus Pharsal. lib. IX graphice iter atque ejus incommoda exsequitur. *Lips.*

6. *Novissimus bibit.* Lucan. IX, 591 : «...Ultimus haustor aquæ, quum tandem fonte reperto Indiga conatur laticis potare juventus, Stat dum lixa bibat.» *Ruhk.*

Digitized by Google

tio pila lusit[1]. Vides posse non timeri potentiam superiorum : et Pompeium, et Cæsarem, quorum nemo alterum offendere audebat, nisi ut alterum demereretur, simul provocavit. Vides, tam mortem posse contemni 34
quam exsilium : et exsilium sibi indixit, et mortem, et interim bellum[2]. Possumus itaque adversus ista tantum habere animi, libeat modo subducere jugo collum. In primis autem respuendæ[3] sunt voluptates : enervant, et effeminant, et multum petunt[4]: multum autem a fortuna petendum est. Deinde spernendæ opes : [5] auctoramenta sunt servitutum. Aurum et argentum, et quidquid aliud felices domos onerat, relinquatur : non potest gratis constare libertas. Hanc si magno æstimas, omnia parvo æstimanda sunt. Vale.

1. *Quo rep. die...pila lusit.* Prætura postulaverat, quæ Vatinio, despecto homini, præ eo concessa fuit. Cf. Ep. LXXI, 8 et Plin. Hist. Nat. præf. — *In comitio*, non, ut vertit *Lagrange : dans l'assemblée des comices*, sed *dans le comice*. Comitium enim (teste Asconio Ped.) locus propter senatum quo coire equitibus et populo romano licet. Cf. Tit. Liv. XXVIII, c. 36.

2. *Et interim bellum.* Int. quum sibi mori decrevisset, si nulla libertatis spes reipublicæ superesset; bellum fecit interea, nec sibi mortem ipse adscivit antequam sibi opes omnes ad resistendum defuissent.

3. *Resp.* Sic Erasm. editio vet. et Mur. Lipsius dederat *despuendæ*. *R.*

4. *Multum petunt... est.* Bene vertit *Lagrange : Elles sont exigeantes, et ce qu'elles exigent dépend de la fortune.*

5. *Auctoramenta sunt servitutum.* I. e. præmium. Sic Cicero de Off. lib. I, cap. 42 : « Est enim illis (mercenariis) ipsa merces auctoramentum servitutis. » *Ruhk.*

Digitized by Google

EPISTOLA CV.

QUID VITAM SECURAM FACIAT.

Ad securitatem conservandam dat præcepta amico suo. Suadet ei, ut ea omnia consideret, quæ hominem in hominis perniciem instigent. Haud dubie respexit in his exsequendis ad tempora sua, sed tam caute, ut nihil certo definiat, semper limites, quos migrare nefas sit, observet, et ea moneat, quæ cuique possint esse usui. Amicus, ad quem hæc epistola missa est, Lucilius, fuit homo mediocris fortunæ, et haud semel metuit sibi insidias nescio a quo; et qui procurationem Siciliæ in tempus aliquod reliquisse videtur, ut amicos et res suas inviseret.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Quæ observanda tibi sint, ut tutior vivas, dicam. Tu tamen[1] sic audias censeo ista præcepta, quomodo, si tibi præciperem, qua ratione bonam valetudinem in Ardeatino[2] tuereris. Considera, quæ sint, quæ hominem in perniciem hominis instigent; invenies spem, invidiam,
2 odium, metum, contemptum. Ex omnibus istis adeo levissimum est contemptus, ut multi in illo[3], remedii causa,

1. *Tu tamen... tuereris*, i. e. summa amicitiæ fiducia audies mea præcepta. *Ruhk.*

2. *In Ardeatino.* Ita Er. Pinc. quidam mss. adjiciunt *sine metu corporis* quæ cum Erasmo glossam putat Ruhk. — Erat villa, prædium, quo amicus secesserat. *Ardeatium* autem ager, qui duobus fere miliar. germ. (70 stad.), a mari distabat, parum sanus habebatur. Strabo V, 3, 5 p. 156 ed. lips. vocat proinde eam et adjacentem regionem Latii ἑλώδη καὶ νοσηρὰν (palustrem et morbis expositam). Propter belli clades et vastationes non satis culta fuisse videtur hæc regio. *Ruhk.*

3. *Ut multi in illo... delituerint.* Exemplo est Brutus olim ille liberator Romæ a regibus, qui contemptu tutus esse, ubi in jure parum præsidii esset, statuit. Liv. I, 56. Ipse Noster contemptu tutus fuit sub imperatore Caligula, quem a consilio Se-

Digitized by Google

delituerint. Quem quis contemnit, calcat sine dubio, sed transit. Nemo homini contempto pertinaciter, nemo diligenter nocet. Etiam in acie jacens præteritur; cum stante pugnatur. Spem improborum vitabis, si nihil ha- 3
bueris quod cupiditatem alienam et improbam irritet, si nihil insigne possederis. Concupiscuntur enim insignia, etiamsi parum nota sunt[1]. Sic vero invidiam effugies, si te non ingesseris oculis, si bona tua non jactaveris, si scieris in sinu gaudere[2]. Odium autem ex offensa[3] hoc vitabis, 4
neminem lacessendo gratuito; a quo te sensus communis tuebitur. Fuit enim hoc multis periculosum: quidam odium[4] habuerunt, nec inimicum. Illud, ne timearis, præstabit tibi et fortunæ mediocritas, et ingenii lenitas. Eum esse te homines sciant[5], quem offendere sine periculo possint: reconciliatio tua et facilis sit, et certa. Timeri autem tam domi molestum est, quam foris; tam a servis, quam a liberis. Nulli non ad nocendum satis vi- 5
rium est. Adjice nunc, quod, qui timetur, timet: nemo potuit terribilis esse secure. Contemptus superest; cujus modum in sua potestate habet, qui illum sibi[6] adjunxit;

necæ interficiendi reflexit meretricula persuasione, Senecam phthisi laborantem, mox moriturum esse, referente Dione Cassio 59, 19. *Ruhk.*

1. *Etiamsi parum nota sunt.* etiamsi natura insignium vera incognita sit, quippe quæ molestiis plena possessorem magis premere quam recreare solent: sed specie falsa plerumque ducuntur homines. *Ruhk.*

2. *In sinu gaudere*, i. clam *g.* Sic Tibull. IV, 13, 8: « Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu! » ubi Broukhus. et Vulp. proverbialem locutionis usum illustrant. *Ruhk.*

3. *Hoc* (i. e. hac re) *vitabis*, *a. c. R. A.* Vulgo legitur *sic vitab. Schw.*

4. *Quidam odium.... inimicum.* Etsi neminem offendissent, atque ideo nullum sibi inimicum fecissent, tamen in odium incurrerunt. Sic ex invidia odium oriri potest: exemplo sit Aristides justus, Athenis eo uno nomine in exilium ejectus, qui cuique vel e Corn. Nepote notus est. *R.*

5. *Eum esse te homines sciant.* Sic ms. *a.* et *sciant* etiam *c. R. A.* Vulgo *quum te esse hom. scient. S.*

6. *Qui illum sibi adjunxit.* Ut fecere illi, de quibus supra locutus est, qui in illo, remedii causa, delituerint.

Digitized by Google

qui contemnitur quia voluit, non quia debuit. Hujus incommodum [1] et artes bonæ discutiunt, et amicitiæ eorum, qui apud aliquem potentem potentes sunt: quibus applicari expediet, non implicari; ne pluris reme-
6 dium, quam periculum, constet. Nihil tamen æque proderit, quam quiescere, et minimum cum aliis [2] loqui, plurimum secum. Est quædam dulcedo sermonis, quæ irrepit, et blanditur; et, non aliter quam ebrietas aut amor, secreta producit. Nemo, quod audierit, tacebit; nemo, quantum audierit, loquetur [3]. Qui rem non tacue-
7 rit, non tacebit auctorem. Habet unusquisque aliquem, cui tantum credat, quantum ipsi creditum est: ut [4] garrulitatem suam custodiat, et contentus sit unius auribus, populum faciet [5]: sic, quod modo secretum erat, rumor est. Securitatis magna portio est, nihil inique facere.
8 Confusam vitam et perturbatam impotentes agunt; tantum metuunt, quantum nocent; nec ullo tempore vacant. Trepidant enim, quum fecerunt; hærent: conscientia aliud agere non patitur, ac subinde respondere [6] ad se

1. *Hujus incommodum* etc. Suadet, ut qui contemptu tutari se velint, tum philosophiæ studio se dedant, tum in clientelam et tutelam potentium veniant: qua de re verbum *applicare* proprium esse solet. Cf. Gronovii Obss. I, 9 p. 65 ed. Lips. *Ruhk.*

2. *Minimum cum aliis loqui.* Taciturnitas utique Neronis ætate virtus erat, quæ vel maxime commendari et observari debebat, delatoribus imprimis tunc temporis vigentibus et grassantibus. *Ruhk.*

3. *Quantum audierit, loquetur.* Non enim tantum dicet ea quæ audierit, sed etiam multo majora, aut multo plura.

4. *Ut garr... custodiat.* Int. etiamsi garr. refrænet.

5. *Populum faciet:* id est, etiamsi uni rem dixerit; ille porro uni, hic alteri uni; sic rem etsi privatim quisque audierit, populus tamen sciet.— Laudat Plutarchus de Garrulitate p. 110, Vol. X, c. 10 Hutt. e poeta nescio quo: καὶ πρὸς ἄνδρ' εἰπὼν ἕνα, Πύθοιντ' ἂν ὀστοῦν πάντες. *Ruhk.*

6. *Respondere ad se*, *a. c. R.* id est, sibi rationem reddere, respondere ad conscientiæ accusationes. *Respicere ad se* vulgo, ab Erasmo. *S.*—Ruhk. qui tuetur *respicere* explicat: intelligit Seneca conscientiam suggerentem: quid feci? quid fiet? quid patiar?

Digitized by Google

cogit. Dat pœnas, quisquis exspectat : quisquis autem meruit, exspectat. Tutum aliqua res[1] in mala conscientia 9
præstat, nulla securum. Putat enim se, etiam si non deprehenditur, posse deprehendi ; et inter somnos movetur ; et, quoties alicujus scelus loquitur, de suo cogitat. Non satis illi obliteratum videtur, non satis tectum. Nocens habuit aliquando latendi fortunam ; nunquam fiduciam. Vale.

1. *Tutum aliqua res* etc. Cf Ep. XCVII, 11, ubi similia occurrunt, et dictum Epicuri : Potest nocenti contingere, ut lateat, latendi fides non potest. Cf. Wyttenbach. ad Plutarch. de Sera Numinis Vindicta p. 59. *R.*

EPISTOLA CVI.

AN BONUM SIT CORPUS.

Amico, qui quæsiverat, bonum an corpus sit, respondet secundum disciplinam Stoæ : bonum esse corpus, quoniam faciat : idcirco affectus, virtutes morbosque animorum esse corpora. Tandem monet, esse argutias hasce disputationes, quæ non faciant bonos, sed doctos, ideoque supervacuis esse annumerandas.

Singularis hic locus naturalis Philosophiæ de Corporibus, sæpenumero Stoæ adversariis ansam ridendi præbuit, uti v. c. videre licet e Plutarchi libro de Stoicorum Repugnantiis (Vol. XIII Hutt.). Recte quidem observat Tiedemann (*System der stoischen Philos.* II, 15 sqq.) post Lipsium in Physiol. Stoic. II, 4, sq. ortum suum duxisse ex divisione omnium rerum in duas classes, quarum altera omnes eas complectebatur, quæ efficiant aliquid, aut moveri queant : has omnes σώματα, vi vocabuli a communi usu deflexa ac philosophia in materialismum, quem vocant, conversa, vocaverunt : altera incorporales res tenuit, ἀσώματα, effatum (τὸ λεκτὸν), vacuum spatium, locum, tempus.

Cf. Tiedemanni *Geist der spek. Philos.* vol. p. II, 434 sqq.

Digitized by Google

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

TARDIUS rescribo ad Epistolas tuas ; non quia districtus occupationibus sum : hanc excusationem cave audias[1] : vaco ; et omnes vacant, qui volunt. Neminem res sequuntur ; ipsi illas amplexantur, et argumentum esse felicitatis occupationem putant. Quid ergo fuit, quare non proti-
2 nus rescriberem ei[2], de quo quærebas ? Veniebat in contextum operis mei ; scis enim, me *Moralem*[3] *Philosophiam* velle complecti, et omnes ad eam pertinentes quæstiones explicare. Itaque dubitavi, utrum differrem te, an, donec suus isti rei veniret locus, jus tibi extra ordinem dicerem : humanius visum est, tam longe venientem[4] non
3 detinere. Itaque et hoc ex illa serie rerum cohærentium excerpam, et, si qua erunt hujusmodi, non quærenti tibi ultro mittam. Quæ sint hæc, interrogas ? Quæ scire magis juvat, quam prodest ; sicut hoc, de quo quæris : *An bonum*[5] *Corpus sit ?*

4 Bonum *facit*[6] ; prodest enim : quod *facit*, *corpus* est. Bonum agitat animum, et quodammodo format et con-

1. *Hanc excusationem cave audias.* Int. noli unquam talem excusationem admittere.

2. *Ei.* Sic plurimi codd. et Erasm. probante Gronov., qui laudat M. Senecæ præf. III, Excerpt. « Illius orationes non legunt nisi eas, quibus Cestius rescripsit. » Muretus ex uno Pinc. cod. restituit : *tibi*, quam lectionem et editio vet. habet. *Ruhk.*

3. *Scis enim me moralem philosophiam... explicare.* Hos Moralium libros a Lactantio II, 3 et alibi citatos, quos et noster Ep. CIX, 14 commemorat, periisse constat. Spectat autem hæc quæstio, aliæque ejusdem argumenti ad moralem philosophiam, quippe quæ de bono et malo exponere debet. *Ruhk.*

4. *Tam longe venientem.* E Sicilia scribentem. *Lips.*

5. *An bonum corpus sit.* Ruhk. dat : *bonum an c.* Ita, inquit, omnes codd. et edd. præter Muret. qui habet *an bonum c. Ruhk.*

6. *Bonum facit; prodest enim.* Sic necessario corrigendum putavi. Vulgo *Bonum prodest; facit enim.* confer. Ep. CXVII, init. *Schw.* — Ruhk. qui dedit *bonum prodest*, sic explicat : *Bonum prodest.* Hæc est Boni definitio stoica. Prodest autem, quatenus

Digitized by Google

tinet : quæ propria sunt *corporis*[1]. Quæ *corporis bona* sunt[2], *corpora* sunt; ergo et quæ *animi* sunt; nam et hic *corpus* est. *Bonum hominis* necesse est *corpus* sit, quum ipse sit *corporalis*. Mentior, nisi et quæ alunt illud, et 5 quæ valetudinem ejus vel custodiunt, vel restituunt, *corpora* sunt : ergo et Bonum ejus, *corpus* est. Non puto te dubitaturum, an *affectus corpora* sint (ut aliud quoque, de quo non quæris, infulciam), tanquam ira, amor, tristitia : si dubitas, vide an vultum nobis mutent, an frontem adstringant[3], an faciem diffundant[4], an ruborem evocent, an fugent sanguinem. Quid ergo? tam mani- 6 festas corpori notas credis imprimi, nisi a corpore[5]? Si *affectus corpora* sunt; et *morbi animorum*, avaritia, crudelitas, indurata vitia, et in statum inemendabilem adducta : ergo et *malitia*, et species ejus omnes, malignitas, invidia, superbia : ergo et *Bona*[6]; primum, quia

ad virtutem nos evehit s. moralem hominis statum consummat, ideoque *facit*, actionibus se monstrat, indicat. Cf. Tiedemanni System. II, 34 sq. Nos quidem enuntiaremus hæc sic fere : Omnia quæ corpori, quod agitant moventque, propria sunt, ea quum ejus bona, tum vero etiam ipsa corpora sunt. Atqui animus quippe faciens est corpus. Ergo bona, quæ eundem agitant, eique propria sunt, etiam corpora sunt. *Ruhk.*

1. *Quæ propria sunt corporis.* Vulgo libri omnes, *quæ ergo propria corporis sunt*, temere intrusa particula *ergo*. *Schw.*

2. *Quæ corporis bona sunt, corpora sunt; ergo et quæ animi sunt.* Correxi ex *a. c. A.* Perperam vulgo, *ea corporis bona sunt : corpora ergo sunt, et quæ*, etc. *Schw.*

3. *An frontem astringant*, propter iram : solemnis loquendi formula est, frontem contrahere, adducere : cf. WVernsdorf ad Poet. Min. Lat. IV p. 260 : eadem ratione usi sunt Græci, τὰς ὀφρῦς ἀνασπᾶν, ἀνάγειν, etc. vide Hemsterhus. ad Aristoph. Plut. p. 255 et ad Lucian. II, 457 bip. unde sua hausit Bach. ad Xenoph. Sympos. III, 10. *Ruhk.*

4. *An faciem diffundant.* Διαχύωσι, lætam reddant, exporrigant frontem. Video nunc Trillerum utriusque linguæ peritissimum olim medicum in Obss. crit. III, 12 p. 202 sqq. eadem ratione exposuisse hunc locum, mihique otium fecisse. *Ruhk.*

5. *Nisi a corpore.* Supple imprimantur. Quia nihil nisi corpus corpore tangi potest, ut paulo infra, § 8, declarat Noster. *Ruhk.*

6. *Ergo et bona.* Supple : corpora sunt.

Digitized by Google

contraria istis sunt; deinde, quia eadem tibi indicia præ-
7 stabunt. An non vides, quantum oculis det vigorem fortitudo? quantam intentionem prudentia? quantam modestiam et quietem reverentia? quantam serenitatem lætitia? quantum rigorem severitas? quantam remissionem
8 veritas[1]? *Corpora* ergo sunt; quæ colorem habitumque corporum mutant, quæ in illis regnum suum exercent. Omnes autem, quas retuli, *virtutes*, *Bona* sunt, et quidquid ex illis est. Numquid est dubium, an id, quo quid *tangi* potest, *corpus* sit?

Tangere enim et tangi, nisi corpus, nulla potest res[2],

9 ut ait Lucretius: omnia autem ista, quæ dixi, non mutarent corpus, nisi *tangerent*; ergo *corpora* sunt. Etiamnunc[3], cui tanta *vis* est, ut impellat, et cogat, et retineat, et jubeat, *corpus* est. Quid ergo? Non timor retinet? non audacia impellit? non fortitudo immittit et impetum dat? non moderatio refrænat ac revocat? non gaudium extollit?
10 non tristitia adducit? Denique, quidquid facimus, aut malitiæ, aut virtutis gerimus imperio: quod imperat corpori, *corpus* est; quod vim corpori affert, *corpus*. Bonum corporis corporale est; bonum hominis, et corporis bonum est: itaque corporale est.

Quoniam, ut voluisti, morem gessi tibi, nunc ipse
11 dicam mihi, quod dicturum esse te video. Latrunculis ludimus[4]; in supervacuis subtilitas teritur: non faciunt bonos ista, sed doctos. Apertior res est sapere, imo sim-

1. *Remissionem veritas.* Animus simplex et apertus, non se custodiens. Muretus *hilaritas* fecerat contra omnes libros: et certe præivit jam *lætitia. Lips.*

2. *Tangere.... res.* Versus Lucretii I, 305. Cf. Aul. Gell. V, 15. *Ruhk.*

3. *Etiamnunc.* I. e. præterea. Sæpe hoc sensu occurrit ap. Senecam, e. c. de Benef. V, 6, 10, 12. Ep. CIX, 8, CXVII, 3. *Ruhk.*

4. *Latrunculis ludimus.* Ludus erat, cui alii nostrum Tocategli, *Aus und ein*, alii ludum scaccorum et Damiludium assimilant. Vide ad de Tranq. An. c. 14, 4: et cf. Werns-

Digitized by Google

plicior. Paucis est[1] ad mentem bonam uti litteris. Sed nos, ut cætera in supervacuum diffundimus, ita philosophiam ipsam. Quemadmodum omnium rerum, sic litterarum quoque intemperantia laboramus : non vitæ, sed scholæ discimus[2]. Vale.

dorf. ad Poet. m. l. To. IV, Excurs. XI, p. 406, et *Barthélemy, Voyage du jeune Anach.* II, c. 20.—Vertit *Lagrange : Nous jouons aux échecs.*— Sæpe autem Nostrum Dialecticam impugnare, quin totum genus istud exturbandum judicare, jam vidimus, e. c. Ep. XLV, XLVIII, LXXI, LXXXII, LXXXVIII, LXXXIX, CXIII. Cautiorem se præstitit Epictetus, qui duabus diss. (I, 7 et 8) utilitatem hujus artis tuitus est. *Ruhk.*

1. *Paucis est ad mentem bonam uti litteris.* Vulgo, *paucis opus est* (al. *satis est*) *ad ment. bon. litteris.* At verbum *uti* agnoscunt vett. libri omnes : *est* autem (absque *opus* vel *satis*) recte ms. *a.* et ed. *R.* Adjiciatur hoc exemplum verbi *est*, pro *opus est* positi, aliis a Gronovio collectis Observ. lib. IV, c. 8. *Schw.*— Quidlibet dicat Schw. fatendum est insolentiorem esse hanc dicendi formam, et quæ firmissima auctoritate niti debuisset. Si tamen correctionem admiseris, satius erit interpretari quasi esset *licet*, quod frequenter occurrit.

2. *Non vitæ, sed scholæ discimus.* Similiter queritur Epictet. Enchirid. c. 51. *Ruhk.*

EPISTOLA CVII.

FIRMANDUM ESSE ANIMUM CONTRA FORTUITA ET NECESSARIA.

Amicum de fuga servorum suorum sollicitum consolatur. Monet autem talibus rebus offendi, et de iis queri ridiculum esse, quippe quæ quotidie accidant ex lege et conditione vitæ atque naturæ omnia sapientissime ordinantis. Quare contra omnes et majores calamitates præparetur animus, quandoquidem ea effugere non licet. Contemnendæ proinde sunt, futura sæpe cogitando et præsumendo quæ et majora esse possunt, quam accidere solent. Quidni enim majus malum accidere potuisset, quam fuga servorum, quæ multis accidit? Jam vero nihil eorum miremur, ad quæ nati sumus omnes : nam omnia mutationibus exposita sunt, et Deo auctore proveniunt, quem non objurgantes comitari debemus, sed impigre atque alacriter obtemperantes.

Digitized by Google

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Ubi illa prudentia tua? ubi in dispiciendis rebus subtilitas? ubi magnitudo? Tam pusilla res te angit? Servi occupationes tuas occasionem fugæ putaverunt. Si amici deciperent (habeant enim sane nomen[1], quod illis noster Epicurus[2] imposuit, et vocentur[3]), quota[4] pars abesset omnibus rebus tuis? Desunt illi, qui et operam tuam conterebant, et te aliis molestum esse credebant[5]. Nihil horum insolitum, nihil inexspectatum est. Offendi rebus istis, tam ridiculum est, quam queri, quod spargaris in publico, aut inquineris in luto. Eadem vitæ conditio est, quæ balnei, turbæ, itineris: quædam in te mittentur[6], quædam incident. Non est de-

1. *Habeant enim sane nomen.* Nam Stoici aliter, qui volunt solos sapientes inter se amicos esse; reliquos magis *socios*, et utilitate aliqua junctos, quam amicos. *Lips.*

2. *Noster Epicurus.* Qui amicitiam mirum in modum coluit, ideoque non solum a coævis suis asseclis, sed a posteris quoque magni fiebat. Cf. Baylii Diction. *Epicure*, not. D. *R.* — Ideo *noster* Seneca dicit quia ad Lucilium scribit, quem supra etiam notabamus in secta illa fuisse. Epicurus autem amicos sola utilitate censet, et parari vult διὰ τὰς χρείας, ob usus; sicut et terram serimus ob fructus. Laertius; et adde supra Ep. IX. *Lips.*

3. *Et vocentur.* Sic Erasm. et omnes codd. atque edd. At Pinc. conj. *et ita voc. Ruhk.*

4. *Quota pars abesset.* Partim Pinciani, partim Mureti hoc inventum est; in quo vereor ne mirum quantum aberraverint ab eis verbis, quæ sub veterum codicum scriptura latebant. Legitur enim *quo turpius non sint.* Aut ego vehementer fallor aut *non sint*, quod habent libri, ineptum interpretamentum verbi *desint* erat, adeoque levi remedio sic restituendus locus: *et vocentur*, (scil. *amici*; nec opus erat ut *ita vocentur* corrigeret Mur.) *quo turpius desint omnibus rebus tuis: desunt illi*, etc. *Schw.* — Vulgatam int. si amici illi vulgares (veri non possunt) te deserant, ideone angare, et res tuas turbatas rationesque putes? Et quomodo nunc angaris, quum non amici, sed servi infideles te deserant?

5. *Et te aliis molestum esse credebant.* Sic omnes libri: at Muretus *molestum reddebant*: haud male pro sensu: pro vero putem, *te aliis molestum et se reddebant*: ipsi importuni, et te faciebant, dum protrahi et commendari volunt, et spes suas te juvante impleri. *Lips.*

6. *In te mittentur.* Verissima haud dubie Lipsii emendatio. Vulgo omnes *intermittentur. Schw.* — Sic Ruhk. explicat lect. *intermittentur. Quædam*

Digitized by Google

licata[1] res, vivere. Longam viam ingressus es : et labaris oportet, et arietes, et cadas, et lasseris, et exclames : o mors ! id est, mentiaris[2]. Alio loco comitem relinques, alio efferes[3], alio timebis. Per ejusmodi offensas emetiendum est confragosum hoc iter. Mori[4] vult? 3
Præparetur[5] animus contra omnia : sciat[6] se venisse ubi tonat fulmen ; sciat venisse se ubi

Luctus et ultrices posuere cubilia Curæ,
Pallentesque habitant Morbi, tristisque Senectus[7].

In hoc contubernio vita degenda est. Effugere ista non potes, contemnere potes : contemnes autem, si sæpe cogitaveris, et futura præsumpseris. Nemo non fortius ad 4
id, cui se diu composuerat, accessit; et duris quoque, si præmeditata erant, obstitit. At contra imparatus, etiam levissima expavit. Id agendum est, ne quid nobis inopinatum sit ; et, quia omnia novitate graviora sunt, hoc cogitatio[8] assidua præstabit, ut nulli sis malo tiro.

intermittentur. I. quædam te non potent, te transibunt. Ita intermissa pars a flumine, intermissa mœnia, intermissus locus custodiis, etc. neglectum denotant, Lexicographis Stephano et Schellero non prætermissum. *Ruhk*.

1. *Non est delicata*. I. mollis inersque. *Ruhk*.

2. *Mentiaris*. Mendosam codicum nonnullorum scripturam *metiaris* prætulit Ruhk. *S*. — Ruhkopfius autem, *mentiaris*, inquit, pravo sensu; universam enim vitæ calamitatem illa nunc reposita voce bene complectitur quam modo per partes exsecutus erat : oportet *metiaris*, scilicet viam, oportet sis in peregrinatione, quacum vita sæpe comparatur. Conf. Gatack. ad M. Anton. II, 11, 17.

3. *Alio efferes*. Mortuum. *Ruhk*.

4. *Mori vult?* Sic recte *a. c. R. A.* id est, mortem aliquis sibi optat, qui tamen (verum si quæris) illam horret, et fugiet adventantem! immo potius *præparetur animus*, etc. Perperam vulgo, *mori me vult*. *S*. —Quod Ruhk. interpretatur : iter ad mortem me ducit?

5. *Præparetur... omnia*. Cf. Epist. XVIII, supra. Horat. Carm. II, 10, 13 et 14 : « Sperat infestis, metuit secundis Alteram sortem bene præparatum Pectus. » *Ruhk*.

6. *Sciat... fulmen*. More suo ex omnibus periculis unum eligit, fulmen, quo icti homines interdum interimuntur. Lipsius tamen ait, se ex hac lectione nihil concinnare. *Ruhk*.

7. *Luctus... Senectus*. Versus sunt Virgil. Æn. VI, 274, 275. *Ruhk*.

8. *Hoc cogitatio*. Sic exhibent *a*.

Digitized by Google

5 Servi [1] me reliquerunt! Alium compilaverunt, alium accusaverunt, alium occiderunt, alium prodiderunt, alium calcaverunt, alium veneno, alium criminatione petierunt. Quidquid dixeris, multis accidit [2]. Deinceps, quæ multa et varia sunt, in nos diriguntur. Quædam in nos fixa sunt [3], quædam vibrant, et quum maxime veniunt; quædam, in alios perventura, nos [4] stringunt.
6 Nihil miremur eorum [5], ad quæ nati sumus; quæ ideo nulli querenda, quia paria sunt omnibus. Ita dico, paria sunt [6]; nam etiam, quod effugit aliquis, pati potuit: æquum [7] autem jus est, non quo omnes usi sunt, sed quod omnibus latum est. Imperetur æquitas animo; et sine querela mortalitatis tributa pendamus. Hiems frigora adducit; algendum est: æstas calores refert; æstuandum

c. A. Vulg. edd. præstabant *hæc cog. S.*

1. *Servi me.* Sic *a. c. R. A.* non *te. Schw.*

2. *Accidit. Deinceps.* Corrupta; forte *accidit, et accidet deinceps. Quam multa et varia in nos diriguntur?* vel *varia sunt, quæ in nos d. Lips.*

3. *Quædam in nos fixa sunt* rel. Imagine arcus et sagittarum utitur: quædam sagittæ jam inhærescunt nobis, quædam in eo sunt ut nos petant, quædam pæne transvolant. Et hic corruptelam nescio quam subodoratur Lipsius. *Ruhk.*

4. *Nos stringunt.* Libant nos leviter, sed alibi sedent et feriunt: per nostrum latus, alius læditur. *Lips.*

5. *Nihil miremur eorum*, etc. Vides hic et sqq. doctrinam stoicam de libertate conjunctam cum illa de providentia, nixamque discrimine notissimo rerum, quæ in nostra potestate non sunt (necessitatem naturalem vocaremus) et quæ in ea sunt: τὰ μέν ἐστιν ἐφ' ἡμῖν, τὰ δὲ οὐκ ἐφ' ἡμῖν, Epict. Enchir. I, Diss. IV, 1 et 12. Etsi in tota hac sententiarum stoicarum serie nunc facile deprehenduntur, quæ non satis coeant et recte impugnentur, tamen ita istas comparatas esse agnoscas, ut tum discrimine inter hominem, quatenus e sensibus pendet, et inter rationalem animum, tum inter regnum rationis et apparitionum mundi sensualis probe ab iis jam animadverso, in eodem tramite incederent Stoici, qui conditorem Philosophiæ criticæ ad rectiorem de libertate doctrinam perduxit. Cf. Kantii *Critik der prakt. Vernunft* I, 1, 3. Ej. *Critik der reinen Vernunft* p. 538 558. *Ruhk.*

6. *Ita dico, paria sunt.* Quatenus fieri possunt possibilitate: casuum continctur paritas. *Ruhk.*

7. *Æquum.... latum est.* I. e. leges naturæ omnibus hominibus latæ sunt modo æquo, etiamsi non æquo modo iis utuntur. *Ruhk.*

Digitized by Google

est : intemperies cæli valetudinem tentat; ægrotandum 7
est. Et fera nobis aliquo loco[1] occurret, et homo perniciosior feris omnibus. Aliud aqua, aliud ignis eripiet. Hanc rerum conditionem mutare non possumus : [2]illud possumus, magnum sumere animum et viro bono dignum, quo fortiter fortuita patiamur, et naturæ consentiamus. Natura autem hoc, quod vides, regnum muta- 8
tionibus temperat. Nubilo serena succedunt; turbantur maria, quum quieverunt; flant invicem venti; noctem dies sequitur; pars cæli consurgit[3], pars mergitur; contrariis rerum æternitas constat. Ad hanc legem animus noster aptandus est : hanc sequatur, huic pareat; et, quæcumque fiunt, debuisse fieri putet, nec velit objurgare Naturam.

Optimum est, pati quod emendare non possis[4]; et 9
Deum, quo auctore[5] cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur. Quare impigri atque alacres excipiamus imperia, nec deseramus hunc operis pulcherrimi cursum, cui quidquid patimur intextum est; et sic alloquamur Jo- 10
vem, cujus gubernaculo moles ista dirigitur, quemadmodum Cleanthes[6] noster versibus disertissimis alloquitur;

1. *Aliquo loco.* Temere vulgo omissa vox prior. *Schw.*

2. *Illud*, ms. *a.* Vulgo *id possumus. Schw.*

3. *Pars cæli consurgit, pars mergitur.* Vertit *Lagrange : Une partie du ciel s'élève sur notre tête, tandis qu'une autre s'abaisse sous nos pieds.*

4. *Optimum est... non possis.* Jam laudavimus Horat. od. lib. I, XXI : « Sed levius fit patientia Quidquid corrigere est nefas. »

5. *Deum, quo auctore.* Hoc enim Stoici capitale dogma habebant, et finem statuebant, naturam, id est, Deum sequi. Vide Manud. II, Diss. XIX. *Lips.*

6. *Cleanthes.* Auditor et amicus Zenonis, cujus egregius Hymnus notissimus est (Brunck Poet. Gnom. p. 141 sq.), cf. Fabricii Bibl. gr. III, 553. Harl. Exemplum Ciceronis imitatur, quem sæpe græcorum poetarum versus in sermonem latinum convertisse constat, etsi eloquentia

Digitized by Google

quos mihi in nostrum sermonem mutare permittitur, Ciceronis, disertissimi viri, exemplo. Si placuerint, boni consules[1]; si displicuerint, scies me in hoc sequutum Ciceronis exemplum[2].

11 Duc me, parens, celsique dominator poli,
Quocumque placuit: nulla parendi mora est;
Adsum impiger. Fac nolle, comitabor gemens,
Malusque patiar, quod pati licuit bono.
Ducunt volentem fata[3], nolentem trahunt.

Sic vivamus, sic loquamur! paratos nos inveniat atque impigros fatum! Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit: at contra ille pusillus et degener, qui obluctatur, et de ordine mundi male existimat, et emendare[4] mavult Deos, quam se. Vale.

eum in carminibus destituit, judice M. Seneca Præf. 3 Controv. Iambi, quos convertit noster, Cleanthis exstant apud Epictect. Enchirid. LII ubi cf. Intpp. Sunt hice: « Ἄγου δέ μ', ὦ Ζεῦ, καὶ σύ γ' ἡ Πεπρωμένη, Ὅποι ποθ' ὑμῖν εἰμὶ διατεταγμένος. Ὡς ἕψομαί γ' ἄοκνος· ἢν δὲ μὴ θέλω, Κακὸς γενόμενος οὐδὲν ἧττον ἕψομαι. » *Ruhk.*

1. *Boni consules.* Notissima locutio pro *approbare*. *Lagrange* bene vertit: *Je m'en applaudirai.*

2. *Ciceronis exemplum.* Quanquam Seneca pater contendat Ciceronem in carminibus eloquentia sua fuisse destitutum (vid. super. pag. not. 6), contra tamen Plutarchus eum suæ ætatis poetam celeberrimum fuisse scripsit, et certe restant quædam illius fragmenta non erubescenda.

3. *Ducunt volentem fata.* Non est in Græcis hic versus, et puto insititium esse, atque ibi lectum. *Lips.* — Duo isti versus ultimi præpostero ordine, contra quam in mssis, positi erant in ed. Mur. et Lips. quarum exemplum miror secutos esse Bipontinos et Ruhk. quum recte rursus dispositi essent iidem versus in ed. Gron. *Schw.*

4. *Emendare mavult Deos, quam se.* Ille enim carpit divina et providentiam; alia illa esse velit magis, quam se alium. *Lips.*

Digitized by Google

EPISTOLA CVIII.

QUOMODO AUDIENDI SINT PHILOSOPHI.

Priusquam amici quæstionem expediat, docendum putat, quomodo philosophiæ operam dare optimum sit. Ac primum quidem monet, ut per partes, sensim sensimque discere atque in studium philosophiæ incumbere præferat. Ita deinde fiet, ut, quod Attalus dicebat Senecæ juveni, quotidie et sanior et sanabilior evadat ille, qui philosophiæ operam suam navaverit strenue. Nam vis Philosophiæ magna est. Sed hoc fieri debet non negligenter, non oblectamenti, boni temporis fallendi causa. Moventur afficiuntur-que quidem multi facile, quoniam quisque semen virtutis in se habet, sed pauci mente hac sic affecta utuntur tanquam norma vitæ. Quare in illud vehementer incumbendum est, ut, si quando sensus tales excitati sint, eos clariores faciamus vel carminibus, ut vehementius urgeamus instemusque, ne auditores ex animo veritatem, cujus vim agnoverint, dimittant, sed exerceant agendo. Hoc ipse expertum esse narrat Seneca, quum Attalum, Sotionemque juvenis audiret, et omnes experturos esse putat; quippe ad optima quæque natos, modo non interdum præcipientes peccarent, qui docere malunt disputare quam vivere. Hoc illustratum dat exemplis quibusdam e Virgilio petitis atque e Cicerone, quos aliter grammaticus, aliter philosophus legit. Itaque auditio lectioque philosophorum ad propositum beatæ vitæ trahenda est, ut inde præcepta mutuemur, quæ mox in rem transferamus.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Id, de quo quæris [1], ex his est, quæ scire, tantum eo, ut scias, pertinet. Sed nihilominus, quia pertinet [2] et properas, nec vis exspectare libros, quos quum maxime

1. *Id, de quo quæris.* Quæsiverat, an sapiens sapienti prosit? Cf. Epist. sequens. *Ruhk.*

2. *Quia pertinet et properas.* Sic commode ed. Ruhk. ex emend. Gron. Nempe *et* deerat *a. c. R. A.* et Grut. absorptum a terminatione præcedentis verbi. Vocem *pertinaciter*, quam in-

Digitized by Google

ordino[1], continentes totam Moralem Philosophiæ partem statim expediam. Illud tamen prius scribam, quemadmodum tibi ista cupiditas discendi, qua flagrare te
2 video, dirigenda sit, ne ipsa se impediat. Nec passim carpenda sunt; nec avide invadenda universa : per partes pervenitur ad totum. Aptari onus viribus debet[2]; nec plus occupari, quam cui sufficere possimus[3]. Non, quantum vis, sed quantum capis, hauriendum est. Bonum tantum habe animum; capies, quantum voles[4]. Quo plus
3 recipit animus, hoc se magis laxat. Hæc nobis præcipere Attalum[5] memini, quum scholam ejus obsideremus, et primi veniremus, et novissimi exiremus, ambulantem quoque illum ad aliquas disputationes evocaremus, non tantum paratum discentibus, sed obvium. « Idem, inquit, et docenti, et discenti debet esse propositum : ut ille prodesse velit, hic proficere. » Qui ad[6] Philosophum venit, quotidie aliquid secum boni ferat; aut sanior do-
4 mum redeat, aut sanabilior. Redibit autem : ea enim Philosophiæ vis est, ut non [solum] studentes[7], sed etiam

ter *pertinet* et *properas* incommode infulciunt nonnulli, ignorant nostri libri et Grut. *Schw.*

1. *Ordino.* Nic. Faber e mss. libris reposuit, quum alii haberent: *maxime ordine*, *ordinem*, *maximo ordine. Ruhk.*

2. *Aptari onus viribus debet.* Idem præcipit Horatius de Arte Poet. 38: « Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam Viribus; et versate diu, quid ferre recusent, Quid valeant humeri. »

3. *Possimus*, *a. R.* Vulgo *possumus. Schw.*

4. *Capies*, *quantum voles :* quia scil. si bonum habes animum, non plus haurire voles, quam capere potes.

5. *Attalum.* Sub imperat. Tiberio clarum Stoicum, qui solum vertit a Sejano circumscriptus, magnæ vir eloquentiæ, ex philosophis, quos nostra ætas vidit, longe et subtilissimus et facundissimus. M. Ann. Seneca in Suasoria 2. Fabric. Bibl. gr. III, 544. *Ruhk.*

6. *Qui ad Philosophum.* Hoc debuerat ms. *a.* in quo mendose *quia philosophum. Qui ad philosophiam c. A. Qui ad philosophorum scholas* vulgo, ex *R. Schw.*

7. *Non* [*solum*] *studentes.* Istud *solum*, ab Erasmo adjectum, ignorant *a. c. R. A.* et rectius, ut nobis videtur, abjicietur. Vide not. ad VIII, et cf. XXIV. *Schw.*

Digitized by Google

conversantes juvet. Qui in solem[1] venit, licet non in hoc venerit, colorabitur; qui in unguentaria[2] taberna resederunt, et paulo diutius commorati sunt, odorem secum loci ferunt; et, qui apud Philosophum fuerunt, traxerint aliquid necesse est, quod prodesset etiam negligentibus. Attende, quid dicam: *negligentibus*; non, 5
repugnantibus[3].

Quid ergo? non novimus quosdam, qui multis apud Philosophum annis persederint, et ne colorem quidem duxerint? — Quidni noverim? pertinacissimos quidem, et assiduos; quos ego non discipulos philosophorum, sed inquilinos[4], voco. Quidam veniunt, ut audiant[5], non 6
ut discant; sicut in theatrum voluptatis causa, ad delectandas aures oratione, vel voce, vel fabulis, ducimur. Magnam hanc auditorum partem videbis, cui philosophi schola diversorium[6] otii sit. Non id agunt, ut aliqua [7] illo vitia deponant; ut aliquam legem vitæ accipiant, qua mores[8] suos exigant; sed ut oblectamento aurium perfruantur. Aliqui tamen et cum pugillaribus veniunt; non 7
ut res excipiant, sed ut verba, quæ tam sine profectu alieno dicant[9], quam sine suo audiunt. Quidam ad ma-

1. *Qui in solem... colorabitur.* Similiter Cic. de Orat. II, 14: « Quum in sole ambulem, etiamsi aliam ob causam ambulem, fieri natura tamen, ut colorer. » *Ruhk.*

2. *Qui in unguentaria.... ferunt.* Ibi et apud tonsores commorabantur sæpe homines fallendi temporis causa et Romæ, et Athenis ἐν τῷ μύρῳ. Cf. Intpp. ad Aristoph. Eq. 1372. *Ruhk.*

3. *Non, repugnantibus.* Scilicet philosophi conversatio, non proderit illi qui doctrinæ repugnabit.

4. *Inquilinos.* Qui velut habitent ibi, sed in alieno domicilio: et ideo nec afficiuntur, nec proficiunt. *Lips.*

5. *Quidam veniunt, ut audiant, non,* etc. Hæc et sequentia vereor ne haud raro a professoribus nostris de auditorum suorum magna parte dici liceat! *Ruhk.*

6. *Diversorium*, *a. c. R. A.* non *deversorium*, quod placuit Matth. *S.*

7. *Illo* (i. e. *illuc*) *deponant.* Sic vett. libri: vulgo *illic* ex Pinciani conjectura. *Schw.*

8. *Qua mores*, *a. c. R. A.* non *ad quam. Schw.*

9. *Dicant.* Sic ediderat Muretus, et reperitur in ms. *a.* a prima manu,

Digitized by Google

gnificas voces excitantur, et transeunt in affectum dicentium, alacres vultu et animo; nec aliter[1] concitantur, quam solent Phrygii tibicinis sono semiviri[2], et ex imperio[3] furentes. Rapit illos instigatque rerum pulchri-
8 tudo, non verborum inanium sonitus. Si quid acriter contra mortem dictum est, si quid contra fortunam contumaciter; juvat protinus, quæ audias, facere. Afficiuntur illis[4] : et sunt quales jubentur[5], si illa animo forma permaneat, si non impetum insignem protinus populus, honesti dissuasor, excipiat. Pauci illam, quam conceperant, mentem domum perferre potuerunt.

Facile est, auditorem concitare ad cupidinem recti:
9 omnibus enim natura fundamenta dedit, semenque virtutum, omnes ad omnia ista nati sumus; quum irritator accessit, tunc illa animi bona[6], velut sopita, excitantur. Non vides, quemadmodum theatra consonent, quoties

idque verum est. Commode interpres Gallicus : *Qu'ils répètent sans fruit pour les autres*. Vulgo *discant* quod sequenti *audiunt* minime opponitur. — Dein recte *audiunt a. c. A.* non *audiant. Schw.*

1. *Nec aliter.... Phrygii tibicinis sono semiviri.* De Matris Deæ sacerdotibus, Gallis, loquitur, de quibus Lucian. To. I, p. 59. Nigrin. c. 38, ubi cf. Hemsterh. ait, Lipsio vertente : « Sicut phrygiæ tibiæ sonum qui audiunt, non omnes in furorem aguntur, sed qui Rheæ sacrati addictique sunt, illi reminiscuntur eo signo affectus. » Præiverat in simili re Plato in Ione To. IV p. 191, 192. bipont. *Ruhkopf.*

2. *Semiviri.* Galli.

3. *Ex imperio furentes*, scilicet archigalli qui signum jubet dari furentibus. *Ruhk.*

4. *Afficiuntur illis : et sunt*, etc. Perperam edd. *afficiuntur illi; et sint. Schw.*

5. *Quales jubentur.* I. e. sunt quales eos fieri magister jubet.

6. *Tunc illa animi bona, velut sopita, excitantur.* Sic ed. Mur. Lips. Gron. Bip. et Matth. Est autem illud *sopita* ex ingenio Mureti, cogitantis puto *igniculos* illos, quos subinde Cicero dicit, ubi de *virtutis seminibus* loquitur pectori hominum insitis. Sed verum videtur quod cum msto *a.* dabat *R.* et aliæ editiones ante Muretum, *velut soluta*, nempe vinculis soluta, quibus constringebantur, impedimentis soluta, quæ obstabant. Cf. Epist. XCV. *Solita* habet ms. *c.* et ed. *A.* cum Pinc. et Grut. quod (quo sensu non video) adoptavit Ruhkopf. Nempe ex *soluta* corruptum istud erat. *Schw.*

Digitized by Google

aliqua dicta sunt, quæ publice agnoscimus, et consensu vera esse testamur?

Desunt inopiæ multa, avaritiæ omnia.
In nullum avarus bonus est, in se pessimus [1].

Ad hos versus ille sordidissimus plaudit, et vitiis suis 10
fieri convicium gaudet [2]. Quanto [3] magis hoc judicas evenire, quum a Philosopho ista dicuntur; quum salutaribus præceptis versus inseruntur, efficacius eadem illa demissuri in animum imperitorum? « Nam, ut dicebat Cleanthes [4], quemadmodum spiritus noster clariorem sonum reddit, quum illum tuba, per longi canalis angustias tractum, potentiorem novissimo [5] exitu effudit; sic sensus nostros clariores carminis arcta necessitas [6] efficit. » Eadem negligentius audiuntur, minusque percutiunt, 11
quamdiu soluta oratione dicuntur; ubi accessere numeri

1. *Pessimus*. Versus haud dubie sunt P. Syri, vel Laberii, quæ est sententia Mitscherlichii ad Horat. Carm. III, 16, 42, To. II, p. 706. Cf. ad Consolat. ad Marc. 9, 4. *R.*

2. *Et vitiis suis fieri convicium gaudet*. Juxta illud Bolæi nostri in arte Poetica :

L'avare, des premiers, rit du tableau fidèle
D'un avare souvent tracé sur son modèle;
Et mille fois un fat finement exprimé
Méconnut le portrait sur lui-même formé.

3. *Quanto.... imperitorum?* Fortasse cogitavit de Chrysippo, quem hunc instituto, quod Noster prædicat, indulsisse constat. *Ruhk.*

4. *Cleanthes*. Cf. ad Ep. 107, 10: sed ubi hæc occurrerint, dicere non habeo, quum præter Hymnum in Jovem, omnia ejus scripta perierint. *Rukkopf.*

5. *Potentiorem novissimo*. Cleanthis imago parum sibi constat in lectione olim vulgata : nam sermo est de efficacia et potentia uti soni ad aures, ita orationis vinctæ ad animum. Conjectura itaque facili ducebar eo, ut mallem : *potentiorem novissimo*, quam firmatam postea vidi editione veteri : accedit quod unus palat. apud Gruterum habet *potenti ore :* tamen *novissime* omnes tenent. Itaque reduxi : *potentiorem novissimo ex.* eliminata vulgata : *patentiore novissime ex. Ruhk.* — Percommode locum istum constituit Ruhk. quum *patentiore novissime* vulgo legeretur. Et *novissime* quidem tenent libri omnes; quod servari utique non potuisse videtur, nisi voce *exitu* ejecta. *Potentiorem* vero dabat ed. *A. Patentiorem* ms. *c.* Alii libri in *patentiore* fere consentiunt. *Schw.*

6. *Arcta necessitas*. Propter numeros et pedes; vincta oratio, quæ sensus continet et uno tandem quasi impetu protrudit, s. *velut laxerto excussos torquet*, eadem ratione, qua so-

Digitized by Google

et egregium sensum adstrinxere certi pedes, eadem illa sententia, velut lacerto excussa, torquetur. De contemptu pecuniæ multa dicuntur, et longissimis orationibus hoc præcipitur, ut homines in animo, non in patrimonio, putent esse divitias; eum esse locupletem, qui paupertati suæ aptatus est[1], et parvo se divitem fecit. Magis tamen feriuntur animi, quum carmina ejusmodi dicta sunt:

Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.
Quod vult, habet, qui velle, quod satis est, potest[2].

12 Quum hæc atque ejusmodi audimus, ad confessionem veritatis adducimur. Illi enim, quibus nihil satis est, admirantur, acclamant, odium pecuniæ indicunt. Hunc illorum affectum quum videris, urge, hoc preme, hoc onera, relictis ambiguitatibus, et syllogismis, et cavillationibus, et cæteris acuminis irriti ludicris. Dic in avaritiam, dic in luxuriam: quum profecisse te videris, et
13 animos audientium affeceris, insta vehementius. Verisimile[3] non est, quantum proficiat talis oratio, remedio intenta[4], et tota in bonum audientium versa. Facillime enim tenera conciliantur ingenia ad honesti rectique amorem: et adhuc docilibus leviterque corruptis injicit manum Veritas, si advocatum idoneum nacta est[5].

nus novissime potentior effunditur e tuba, in cujus longo canali ita continebatur, uti sensus nostri pedibus adstringuntur metricis. *Ruhk.*

1. *Aptatus est.* Sic conj. Pinc. et præstat editio vetusta, firmat Senecæ usus. Alii *oblatus*, *optatus*: vulg. *aptus*. *Ruhk.*—*Aptatus est.* Ad eam se accommodat: non ultra modum viresque ejus cupit aut sumit. *Lips.*

2. *Potest.* Etiam hi versus Publii Syri sunt. Similia Abdolonymi habet Curtius IV, 1, 25 ubi Raderus nostri loci meminit. *Ruhk.*

3. *Verisimile non est.* Mirum est. *Ruhk.*

4. *Remedio intenta.* Quæ tendit ad id, ut remedium afferat morbis animi, quæ nihil aliud curat nisi audientes sanentur, melioresque fiant, parum sollicita de verborum sententiarumque apparatu.

5. *Nacta.* Ms. *a.* ut alibi habet *nancta*. *Schw.*

Digitized by Google

Ego certe, quum Attalum[1] audirem, in vitia, in errores, in mala vitæ perorantem, sæpe misertus sum generis humani, et illum sublimem altioremque humano fastigio credidi. Ipse regem se esse dicebat[2] : sed plus 14
quam regnare mihi videbatur, cui liceret censuram agere regnantium. Quum vero commendare paupertatem cœperat, et ostendere, quam, quidquid usum excederet, pondus esset supervacuum et grave ferenti; sæpe exire e schola pauperi libuit[3]. Quum cœperat voluptates nostras traducere, laudare castum corpus, sobriam mensam, puram mentem, non tantum ab illicitis voluptatibus, sed etiam supervacuis; libebat circumscribere gulam et ventrem. Inde mihi quædam permansere, Lu- 15
cili; magno[4] enim in omnia inceptu[5] veneram : deinde, ad civitatis vitam reductus, ex bene cœptis pauca servavi. Inde ostreis boletisque in omnem vitam renuntiatum est : nec enim cibi[6], sed oblectamenta sunt, ad edendum saturos cogentia; quod gratissimum est edacibus, et se ultra, quam capiunt, farcientibus, facile descensura, facile reditura[7]. Inde in omnem vitam unguento abstine- 16
mus; quoniam optimus odor in corpore est nullus[8]. Inde

1. *Attalum*. Cf. sup. ad § 3. *Ruhk*.

2. *Regem se esse dicebat*. Ut Stoicus. Solus enim sapiens Rex : notissimum paradoxon stoicum. Lipsius laudat suam Manuduct. III, 13. *Ruhk*.

3. *Sæpe exire e schola pauperi libuit*. Sæpe ad id inducebar, ut vellem pauper e schola exire, id est meas abjicere divitias. Bene vertit *Lagrange : J'étais souvent tenté de sortir pauvre de son école*.

4. *Magno... servavi*. Magno ardore philosophiæ se dedisse, ait, et præcepta illius imitatum esse, sed quum lato clavo sumpto honores, quæsturam v. c. (cf. Consol. ad. Helv. c. 17) peteret, genus vitæ austerum mitigasse. *Ruhk*.

5. *Inceptu*, non *impetu*, *a. R. A.* Pal. 1, 2, 3. Col. *Schw*.

6. *Nec enim cibi*. Vulgo *hæc enim non cibi*, invitis libris vett. *Schw*.

7. *Facile descensura, facile reditura*. Vertit *Lagrange : Ils passent facilement, et font place à de nouveaux morceaux*.

8. *In corpore est nullus* (ut poeta : « Bene olet qui nihil olet »). *Inde vino carens* (scil. facile carens, et carere assuetus) *stomachus*. Sic prorsus ms.

Digitized by Google

vino carens stomachus. Inde in omnem vitam balneum fugimus; decoquere corpus[1], atque exinanire sudoribus, inutile simul delicatumque credidimus[2]. Cætera projecta redierunt; ita tamen, ut, quorum abstinentiam interrupi, modum servem, et quidem abstinentiæ proximiorem, nescio an difficiliorem; quoniam quædam abscinduntur facilius animo, quam temperantur.

17 Quoniam cœpi tibi exponere, quanto majori impetu ad philosophiam juvenis accesserim, quam senex pergam, non pudebit fateri, quem mihi amorem *Pythagoræ* injecerit Sotion[3]. Dicebat[4], quare ille animalibus[5] abstinuisset, quare postea Sextius[6]. Dissimilis utrique causa erat, sed utrique magnifica. Hic homini satis alimentorum citra sanguinem esse credebat, et crudelitatis consuetudinem fieri, ubi in voluptatem esset adducta lace-
18 ratio. Adjiciebat, contrahendam materiam esse luxuriæ; colligebat, bonæ valetudini contraria esse alimenta varia,

a. ut ex duobus codd. commendavit Pincianus: et sic edd: inde a Mur. nisi quod ille sua auctoritate *caret* posuit. Misere h. l. corrupti sunt alii libri; e quibus, sua item adhibita conjectura, hanc lectionem (merito a Matth. desertam) procudit Ruhk. *quoniam optimus odor in corpore est. Non luxum dat vino stomachus. S.* — Ruhkopfius damnat *vino carens* quia hoc Seneca dicere non potuit, quippe qui omnem vini usum non vetuit, vinearum tam diligens fossor: sed Schw. interpretatur *vino carens* non ut omnino careat, sed ut qui carere possit. Cæterum minime credendum est Senecam scripsisse non *luxum dat vino s.* Adeo barbarum est.

1. *Decoquere corpus... credidimus.* In balneis, qualia describit Epist. LXXXVI, 5, calidis. *Ruhk.*

2. *Credidimus*, non *credimus*, *a. R. A. Schw.*

3. *Injecerit Sotion.* Est ex emend. Pinciani, quum omnes codd. et edd. haberent: *injecerit. At s. Ad Socion.* Fortasse latuit hujus philosophi prænomen, sive nomen ejus patriæ: erat autem Alexandrinus. — *Sotion.* Præceptor Senecæ, de quo cf. ad Epist. XLIX, 2. Bruckeri Histor. crit. Philos. II, p. 95. *Ruhk.*

4. *Dicebat.* Vett. libri omnes; non *docebat. Schw.*

5. *Quare ille animalibus.* Exstant dissertationes duæ Plutarchi *De usu Carnium*, pro Pythagorea sensu, sanequam argutæ. In altera etiam stoicos tangit, qui quum delicias spernant et rejiciant, non item hanc cibi immanitatem. Vide, sodes. *Lips.*

6. *Sextius.* De eo vide ad 98, 13. *R.*

Digitized by Google

et nostris aliena corporibus. At Pythagoras[1] omnium inter omnia cognationem[2] esse dicebat, et aliorum commercium in alias atque alias formas transeuntium. Nulla (si illi credas) anima interit, nec cessat quidem, nisi tempore exiguo, dum in aliud corpus transfunditur. Videbimus[3], per quas temporum vices, et quando, pererratis pluribus domiciliis, in hominem revertatur. Interim sceleris hominibus ac parricidii metum fecit, quum possint in parentis animam inscii incurrere, et ferro morsuve violare, si in quo[4] cognatus aliquis spiritus hospitaretur. Hæc quum exposuisset Sotion, et implesset argumentis suis: « Non credis, inquit, animas in alia corpora atque alia describi[5]? et migrationem esse, quod[6] dicimus mortem? Non credis, in his pecudibus, ferisve, aut aqua mersis[7], illum quondam hominis animum morari? Non credis, nihil perire in hoc mundo, sed mutare regionem? nec tantum cælestia per certos circuitus verti, sed animalia quoque per vices ire, et animos per orbem agi? Magni ista crediderunt viri! itaque judicium qui-

1. *At Pythagoras* rel. Præclare de hac abstinentia Pythagoræ et Pythagoreorum egit Meiners *Gesch. der Wiss.* I, p. 419 sqq. ubi docet, Pythagoram, ejusque amicos antiquissimos non omnibus animalibus, sed quibusdam tantum generibus abstinuisse, posteriores tamen Pythagoreos severiores fuisse. Conferri quoque meretur Tiedemanni liber elegans: *Griechenlands erste Philosophen*, p. 310 sqq. *Ruhk.*

2. *Omnium inter omnia cog.* Ob illam animarum, etiam in bruta corpora, migrationem. Cæterum et prior illa ratio, quæ continentiam et valetudinem spectat, vere movit Pythagoram: quod in Laertio aliisque leges: Ἐντεῦθεν γὰρ καὶ σώματος ὑγίειαν, καὶ ψυχῆς ὀξύτητα περιγίνεσθαι: hinc enim et corporis sanitatem, et mentis sagacitatem provenire. *Lips.*

3. *Videbimus.* Sic membranæ et antiquiss. edd., et sic loquitur plerumque Seneca. Reduxi Gron. auctore. Antea: *Viderimus.*

4. *Si in quo.* Perperam deerat *si* edd. *S.* — Int. si in quo animali.

5. *Describi.* Id est *distribui.*

6. *Quod dicimus mortem.* Sic recte *a. c. A. Quam dicimus mortem* ed. *R.* Perperam vulgo, *quam dicimus esse mortem. Schw.*

7. *Aqua mersis.* I. e. piscibus; nam et iis vel maxime abstinebant. Plutarch. l. l. *Lips.*

Digitized by Google

dem tuum sustine ; cæterum omnia tibi integra [1] serva. Si vera sunt ista, abstinuisse animalibus innocentia est; si falsa, frugalitas est. Quod istic [2] crudelitatis tuæ damnum est? Alimenta tibi leonum et vulturum eripio. »

His instinctus [3], abstinere animalibus cœpi ; et, anno peracto, non tantum facilis erat mihi consuetudo, sed
22 dulcis. Agiliorem mihi animum [4] esse credebam; nec tibi hodie affirmaverim, an fuerit. Quæris, quomodo desierim? In Tiberii Cæsaris principatum juventæ tempus inciderat : alienigena tum [5] sacra movebantur, sed inter argumenta [6] superstitionis ponebatur quorumdam animalium abstinentia [7]. Patre itaque meo rogante, qui calumniam timebat [8], non philosophiam oderat, ad pristinam consuetudinem redii; nec difficulter mihi, ut
23 inciperem melius cœnare, persuasit. Laudare solebat

1. *Integra serva.* Poterat teneri *in integro*, quod habebat ed. Er. ex *R.* cum ms. *a. Schw.* — *Itaque judicium... integra serva.* Bene vertit *Lagrange : Ne précipitez pas votre jugement : supposons la question indécise.*

2. *Quod istic crudelitatis tuæ damnum est?* Sic prorsus, ut vulgo ms. *a.* Sed vereor ut satis sana oratio sit : nil autem juvant libri. *Isti* habet ms. *c. Iste* ed. *A. Istis crudelitatibus tuis* ed. *R. Istic crudelitatibus tuis* ed. Erasm. *Schw.* — Sæva sunt et dura, te indigna, quæ tuæ crudelitati subtraho. Multa alia restant, in quæ crudelis esse potes. Moneo, ne hæc cum Lipsio emendatione indigere putes, quippe sincera. *Ruhk.*

3. *His instinctus. His ego instinctus* scribe cum *a. R. His ergo instinct. c. A. Schw.*

4. *Agiliorem mihi animum.* Tecum sentiam; et assidua hæc κρεωφαγία nimis Europæis usurpata brutos facit. *Lips.*

5. *Alienigena tum* (vel *tunc*) *sacra.* Sic, ut ex Lipsii conj. Ruhkopfius edidit, legitur in ms. *a.* Vulgo *alienigenarum sacra. Schw.* — Judæi autem et Ægyptii, sub Tiberio, a. U. c. 772, urbe pulsi et aliquot millia in Sardiniam ablegata. Tacit. Annal. II, 85. Agebat tum Seneca annum ætatis circiter vigesimum. *R.*

6. *Sed inter argumenta.* Pro *sed inter arg.* exspectaveram *et inter arg.* sed non addixere libri. *Schw.*

7. *Abstinentia.* Ut suis apud Judæos.

8. *Qui calumniam timebat, non philosophiam oderat.* In hanc sententiam cum Jac. Lectio apud Lipsium, et cum Ruhnkenio ad Vellei. To. I, pag. 314, correxi constantem quidem librorum omnium scripturam, *qui non calumniam timebat, sed philosophiam oderat. Schw.*

Digitized by Google

Attalus culcitam, quæ resisteret corpori : tali utor etiam senex, in qua vestigium apparere non possit.

Hæc retuli, ut probarem tibi, quam vehementes haberent tirunculi impetus primos ad optima quæque, si quis exhortaretur illos, si quis impelleret. Sed aliquid præcipientium vitio peccatur, qui nos docent disputare, non vivere; aliquid discentium, qui propositum afferunt ad præceptores suos, non animum excolendi, sed ingenium. Itaque, quæ *Philosophia* fuit, facta *Philologia*[1] est. Mul- 24
tum autem ad rem pertinet, quo proposito ad quamque rem[2] accedas. Qui, Grammaticus futurus, Virgilium scrutatur, non hoc animo legit illud egregium,

..... Fugit irreparabile tempus[3] :

vigilandum est! nisi properamus, relinquemur; agit nos, agiturque velox dies; inscii rapimur; omnia in futurum disponimus, et inter præcipitia lenti sumus : sed ut obser- 25
vet, quoties Virgilius de celeritate temporum dicit, hoc uti verbo illum, *fugit*.

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit : subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor; et duræ rapit inclementia mortis[4].

Ille, qui ad Philosophiam spectat, hæc eadem, quo debet, adducit[5]. Nunquam Virgilius, inquit, *dies* dicit *ire*, sed *fugere*, quod currendi genus concitatissimum est; « et optimos quosque primos rapi » : quid ergo cessamus

1. *Philologia*. Inde ab Eratosthene (mort. 200 ante Christ. Alexandriæ) studium multiplex variaque doctrina poetæ, grammatici, critici, historici, etc. denotari cœpit hac voce, Ateinsque Grammaticus Romæ primus hanc appellationem assumpsit; auctore Suetonio de illustr. Grammatic. c. 10. Senecam hanc voc. de critico intellexisse patet e § 30, 31. *R.*

2. *Ad quamque rem*. Sic Schw. Vulgo *ad quam rem*.

3. *Tempus*. Versus Virgil. est Ge. III, 284. *Ruhk*.

4. *Optima.... mortis*. Versus sunt Virgilii, Georg. III, 66 sq.

5. *Adducit*. Sic *a. c. R. A. S.* — Vulgo *abducit* quod optime intellig.

Digitized by Google

nos ipsi concitare, ut velocitatem rapidissimæ rei possi-
26 mus æquare? Meliora prætervolant, deteriora succedunt. Quemadmodum ex amphora[1] primum, quod est sincerissimum, effluit, gravissimum quodque turbidumque subsidit; sic in ætate nostra, quod optimum, in primo[2] est. Id exhauriri[3] in aliis potius patimur, ut nobis fæcem reservemus. Inhæreat istud animo, et, tanquam missum oraculo, placeat :

> Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
> Prima fugit.

27 Quare *optima?* quia, quod restat, incertum est. Quare *optima?* quia juvenes possumus discere, possumus facilem animum, et adhuc tractabilem, ad meliora convertere; quia hoc tempus idoneum est laboribus, idoneum agitandis per studia ingeniis, et exercendis per opera corporibus. Quod superest, segnius et languidius est, et propius a fine. Itaque toto hoc agamus animo, et omissis ad quæ devertimur[4], in rem unam laboremus, ne hanc temporis pernicissimi celeritatem, quam retinere non possumus,
28 relicti demum intelligamus[5]. Primus quisque, tanquam

1. *Quemadmodum ex amphora* rel. Cf. Ep. 1. Egregii versus Antiphanis huc faciunt (ex Stob. Florileg. 118 ap. Winterton. p. 481 et Brunck. Poet. gnom. p. 186) : Ζφόδρ' ἐστιν ἡμῶν ὁ βίος οἴνῳ προσφερής· Ὅταν ᾖ τὸ λειπὸν μικρὸν, ὄξος γίγνεται. Unde Epigramma sequens ex Anthol. gr. laudatum Lipsio (Anal. Brunk. III, 237) ejusdem argumenti derivatum est : « Ἂν περιλειφθῇ μικρὸν ἐν ἄγγεσιν ἡδέος οἴνου Εἰς ὀξὺ τρέπεται τοῦτο τὸ λειπόμενον, Οὕτως ἀντλήσας τὸν ὅλον βίον, εἰς βαθὺ δ' ἦλθὼν Γῆρας, ὁ πρεσβύτης γίγνεται ὀξύχολος. Si quid de vino meliori in vase relictum est, Mox vitium ducit, et peracescit idem; Si qui jam vitæ pervenit ad ultima, is ipse Sumit acorem, et fit tristis ab ingenio. »

2. *In primo est.* Nec male *in prima*, inquit Lipsius. Sed melius nihil mutare, ubi non est opus. Vide quæ ad Liv. X, 14. *Gronov.*

3. *Id exhauriri.... reservemus. Nous la laissons* (*la meilleure partie de notre vie*) *épuiser par les autres, et nous nous réservons la lie.*

4. *Devertimur*, ms. *a. Divertimur c. R. A. Divertimus* vulgo edd. *Devertimus* ed. Matth. *Schw.*

5. *Relicti demum intelligamus.* I. e. tum solum intelligamus eam tem-

Digitized by Google

optimus, dies placeat, et redigatur in nostrum [1]. Quod fugit, occupandum est. Hoc non cogitat ille, qui Grammatici oculis carmen istud legit, ideo « optimum quemque primum esse diem, » quia subeunt morbi, quia senectus premit, et adhuc adolescentiam cogitantibus supra caput est : sed ait, Virgilium semper una ponere « morbos et senectutem. » Non, mehercules, immerito ; senectus enim insanabilis morbus est. Præterea, inquit, hoc senectuti 29
cognomen posuit, *tristem* illam vocat :

..... Subeunt morbi, tristisque senectus.

Non est quod mireris, ex eadem materia suis quemque studiis apta colligere. In eodem prato bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertum. Quum Ciceronis libros *de Republica* [2] prendit hinc Philologus aliquis, hinc Grammaticus, hinc Philosophiæ deditus ; alius alio curam suam mittit. Philosophus admiratur, « contra Justitiam dici tam 30
multa » potuisse. Quum ad hanc eamdem lectionem Philologus accessit, hoc subnotat : « Duos Romanos reges esse, quorum alter patrem non habet, alter matrem : » nam de Servii matre dubitatur ; Anci pater nullus [3] ; Nu-

poris celeritatem, quum jam tempus elapsum fuerit, et nos reliquerit cunctantes, et frustra præteritam vitam desiderantes.

1. *Redigatur in nostrum.* Usurpemus et fruamur. Dies enim ita fiunt nostri (poeta vetus : *hic meus est, dixere, dies*) ; alieni et nihil ad nos, qui elabuntur. *Lips.*

2. *Ciceronis libros de Republica prendit.* Sic edd. inde a Mur. *Ciceronis librum deprendit*, ms. *a. Cic. librum deprehendit* ed. *R.* Absurde prorsus *Ciceronis cibum deprehendit*, *c. A. Cic. librum de Republica prehendit*, ed. Er. nempe vocabulo *Republica* ex Erasmi conject. adjecto, recte vero. Conf. p. 141, 3 sq. ubi in ms. *a.* pro *de Republica* compendiose sic scribitur *de re. p.* ex quo erroris origo h. l. admissi satis apparet. *Schw.* — Ciceronis *libros de Repub.* periisse, præter fragmentum e libro VI, Somnium Scipionis, a Macrobio conservatum et illustratum (et nonnulla nuper a Maio reperta), notum est. Quæ hic philologum notasse ait Noster, ea Cicero Tuscul. Qu. IV, 1 quoque memorat : cf. Middleton *on the roman senate* (Vol. III, p. 396, *Miscellaneous Works*).

3. *Anci pater nullus.* Quia famæ

Digitized by Google

mæ nepos dicitur. Præterea notat, « eum, quem nos Dictatorem dicimus et in historiis ita nominari legimus,
31 apud antiquos Magistrum populi vocatum. » Hodieque id exstat in Auguralibus libris [1]; et testimonium est, quod, qui ab illo nominatur, « Magister equitum » est. Æque notat, « Romulum perisse solis defectione [2] : provocationem ad populum etiam a regibus fuisse [3] : » id ita in Pontificalibus libris [4] aliqui putant, et Fenestella [5]. Eosdem libros quum Grammaticus explicuit, primum verba prisca [6], *reapse* dici a Cicerone, id est, *reipsa*, in commen-
32 tarium refert; nec minus *sese* [7], id est, *seipse*. Deinde transit ad ea, quæ consuetudo sæculi mutavit [8]; tanquam ait Cicero, « quoniam sumus ab ipsa calce ejus interpel-

traditus non exstat. Obscuravit eum Numæ claritas : atque ita *Numæ nepotem* Livius et Dionysius dicunt. *Lips.*

1. *In Auguralibus libris.* Quos Appius, Ciceronis collega, in auguratu scripsit, ut testatur Cicer. ad Div. III, 11. *Ruhk.*

2. *Solis defectione. Durant une éclipse*, ut vertit *Lagrange.*

3. *Etiam a regibus fuisse.* Sic alii omnes : sed ms. *a. etiam regibus fuisse. Schw.*

4. *In Pontificalibus libris.* Qui et commentarii pontificum, et Fasti vocantur : initium eorum jam sub Anco Martio factum esse Liv. I, 32 narrat: cf. IV, 3. *Lips.*

5. *Aliqui putant, et Fenestella.* (Id est, in his Fenestella.) Sic, ut vulgo hæc edebantur, exhibet ms. *a. Et Fenestrellam* ed. *A.* Miras hic turbas cient ms. *c.* et ed. *A.* quales fere Gruteri codices. *Schw.* — *Fenestella* sub Augusto vixit, annalium auctor non incelebris. Liber qui sub ejus nomine circumfertur de magistratibus sacerdotiisque Rom. a Flocco (*Fiocchi*) ineunte sæc. XVI scriptus est. Cf. G. I. Voss. de Historic. lat. I, 19, p. 100. *Ruhk.*

6. *Primum verba prisca, reapse dici a Cicerone* etc. *Primum reapse dici* etc. præbent vulgatæ edd. omissis duabus vocibus *verba prisca*, quæ partim e libris vett. partim ex conjectura adjecimus. *Primum verba expresse ab se dici à Cicerone* ms. *a. Verba expressa ab se* ms. *c.* cum edd. *A.* et *R.* Scilicet *reabse* olim vulgo scribebant per *b* litteram, non *reapse. Schw.*

7. *Nec minus sese.* Quod vulgo hic legebatur *sepse*, id Mureti inventum erat, quod libri nostri omnes ignorant, perinde atque Pinciani et Gruteri codices. *Schw.*

8. *Quæ consuetudo sæculi mutavit.* Non eadem hæc sunt quæ modo *prisca* dixerat; sed verba, quæ adhuc quidem in usu sunt, at mutato significatu. *Schw.*

Digitized by Google

latione revocati : » hanc[1], quam nunc in circo *cretam* vocamus, *calcem* antiqui dicebant. Deinde Ennianos[2] colligit versus, et in primis illos de Africano[3] scriptos :

..... Cui nemo civis neque hostis
Quivit pro factis reddere operæ pretium[4].

Ex eo se ait intelligere, apud antiquos non tantum *auxilium*[5] significasse *operam*, sed *opera* : ait enim, neminem potuisse Scipioni, neque civem, neque hostem, reddere *operæ* pretium. Felicem deinde se putat, quod invenerit, unde visum sit Virgilio[6] dicere :

..... Quem super ingens
Porta tonat cæli.....

Ennium hoc ait Homero subripuisse[7]; Ennio Virgilium. 34
Esse enim[8] apud Ciceronem in his ipsis *de Republica* hoc Epigramma Ennii :

Si fas endo plagas cælestum ascendere cuiquam ;
Mi soli cæli maxima porta patet[9].

Sed ne et ipse, dum aliud ago, in philologum aut gram-

1. *Hanc.... dicebant.* Plinius 35, 17 s. 58 ait : «Creta circum præducere solent ad victoriæ notam,» i. e. explicante Lipsio, metam ea signare, ut conspicua esset : quo allusum putant ab Horat. Epist. 1, 16 fin. : « Mors ultima linea rerum est. » *Ruhk.*

2. *Ennianos.* Ex Pinciani emendatione est : vitiosum *inanes* libros omnes occupaverat. *Schw.*

3. *Africano.* Scipione majore Africano, cujus amicus et comes Ennius fuit. *Ruhk.*

4. *Operæ pretium.* Sic, divisis vocibus, scribunt libri nostri; non *opræ pretium*, ut edd. Cæterum hæc contractio apud priscos sæpe usurpabatur, ut *poplus*, *poclum*, *periclum*.

5. *Non...auxilium.* Ut in comœdiis sæpe : *da mihi hanc operam. Lips.*

6. *Virgilio.* Ge. III, 260 sqq. ubi cf. Heynius. *Ruhk.*

7. *Ennium hoc ait Homero subripuisse.* Sic recte edd. ex Pinciani emendatione. Vett. libri omnes male, *Ennius hoc ait Homero se subrip. Schw.*

8. *Esse enim.* Non *Est enim a. c. R. A. Schw.*

9. *Patet.* Vulgatam hujus epigr. lectionem ex ingenio restituit Petr. Pithœus in Adversar. I, 11 (in Grut. Thes. crit. To. 2 p. 757) : *Si fas endo:* quum et hic et ap. Lactant. I, 18 varient libri : *Si faciendo; si fas cædendo... : nisi, ni faciendo... ne fa-*

Digitized by Google

maticum delabar[1], illud admoneo, auditionem Philosophorum lectionemque ad propositum beatæ vitæ trahendam; non ut verba prisca aut ficta captemus, et translationes improbas figurasque dicendi, sed ut profutura præcepta, et magnificas voces, et animosas, quæ mox in rem trans-
35 ferantur. Sic ista discamus, ut, quæ fuerunt verba, sint opera. Nullos autem[2] pejus mereri de omnibus mortalibus judico, quam qui Philosophiam, velut aliquod artificium venale, didicerunt; qui aliter vivunt, quam vivendum esse præcipiunt. Exempla enim[3] se ipsos inutilis disciplinæ circumferunt, nulli non vitio, quod insequuntur, obnoxii. Non magis mihi potest quisquam talis prodesse[4] præceptor, quam gubernator in tempestate nau-
36 seabundus. Tenendum est, rapiente fluctu, gubernaculum, luctandum cum ipso mari, eripienda sunt vento vela: quid me potest adjuvare rector navigii attonitus et vomitans? Quanto majore putas vitam tempestate jactari, quam ullam ratem? Non est loquendum, sed gubernandum. Omnia, quæ dicunt, quæ turba audiente jactant, aliena sunt. Dixit illa Plato, dixit Zenon, dixit Chrysippus, et
37 Posidonius, et ingens agmen non [tot ac] talium[5]. Quo-

ciendo. Cf. Antholog. Lat. Tom. I, p. 213. *Ruhk.*

1. *Delabar, a. c. R. A.* non *dilabar*, ut vulgo. *Schw.*

2. *Nullos autem* rel. Hoc reprehendebat Socrates in Sophistis aliisque philosophis suæ ætatis, hoc postea multi alii questi sunt, et Seneca, et Lucianus, cujus libri pleni sunt, satiricis philosophorum, quos Socrates carpit, descriptionibus. Utinam nostra tandem tempora talibus philosophis carerent! *Ruhk.*

3. *Exempla enim se ipsos inut. disc.* Int. quocumque se ipsos circumferunt, exempla præbent, quibus probatur inutilem esse disciplinam.

4. *Talis prodesse præc.* Temere omissa vox *talis* in ed. Bipont. et Ruhk. *Schw.*

5. *Agmen non* [*tot ac*] *talium.* *Agmen tot ac talium* edd. a Mur. ex uno cod. Pinc. Sed noster ms. *a. non tot ac talium* præfert: ubi quid valeant duo media verba haud scio; adjeci tamen uncis inclusa, ut cogitent docti quid sub illis lateat. Interim satis videtur *non talium;* neque hæc ego cum Pinciano pro otioso glossemate habuerim. *Non tamen talium*

Digitized by Google

modo probare possint sua esse, monstrabo : faciant, quæ dixerint.

Quoniam, quæ volueram ad te proferre [1], jam dixi; nunc desiderio tuo satisfaciam, et in alteram epistolam integrum, quod exegeras, transferam; ne ad rem spinosam, et auribus erectis curiosisque audiendam, lassus accedas. Vale.

dabat ed. Er. ex *R. Non tot ac talium nomina* ms. *c.* et ed. *A. Schw.* — Vertit *Lagrange : Et la foule innombrable des Philosophes*, ita ut videatur legisse *agmen tot ac talium.*

1. *Proferre.* Revocavi ex ed. Er. et *R. Perferre*, *a. c. A. Perferri* edd. a Mur. *Schw.*

EPISTOLA CIX.

AN SAPIENS SAPIENTI, ET QUOMODO, PROSIT.

Quæstioni amici in priore epistola propositæ respondet : An sapiens sapienti prosit et quomodo prodesse possit? Nam quum omnia summa in sapiente sint, nullum adjectioni locum esse objicitur. Affirmat et distincte exsequitur. In fine detestatur argutias inutiles.

Pertinet hæc quæstio ad illas argutias, quæ disputationibus de sapiente stoico ortum suum debent. Nam facillima erat adversariorum, e. c. Peripateticorum, conclusio, sapientem mentis humanæ perfectum bonum habentem (Ep. LXXXIX, 3) sapienti non amplius prodesse, ideoque omnem amicitiam tolli, quippe quam nonnisi inter bonos intercedere posse statuebant stoici. Quum Senecæ virtus non esse videatur subtiles quæstiones satis feliciter tractandi, etsi nescio quo fato sæpius ad eas delabitur, non exspectari potest et in hac disputatione nobis omni ex parte satisfacturum esse. Cæterum nonnisi hac epistola de illa re mentionem injectam inveni.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

An « Sapiens Sapienti prosit, » scire desideras. — Dicimus, plenum omni bono esse Sapientem et summa adeptum : quomodo prodesse aliquis possit summum habenti

Digitized by Google

bonum, quæritur. Prosunt inter se boni; exercent enim virtutes, et sapientiam in suo statu continent: desiderat uterque aliquem, cum quo conferat[1], cum quo[2] quærat.
2 Peritos luctandi usus exercet; musicum, qui paria didicit, monet. Opus est et Sapienti agitatione virtutum: ita, quemadmodum ipse se movet, sic movetur ab alio sapiente.
3 Quid Sapiens Sapienti proderit? impetum illi dabit, occasiones actionum honestarum commonstrabit. Præter hæc[3], aliquas cogitationes suas exprimet; docebit, quæ invenerit. Semper enim etiam Sapienti restabit[4] quod in-
4 veniat, et quo animus ejus excurrat. Malus malo nocet; facit quoque pejorem[5], iram, metus incitando, tristitiæ assentiendo, voluptates laudando: et tunc maxime laborant mali, ubi plurimum[6] vitia miscuere, et in unum collata nequitia est. Ergo, ex contrario, bonus bono proderit.
5 — Quomodo? inquis. — Gaudium illi afferet, fiduciam confirmabit, ex conspectu mutuæ tranquillitatis crescet utriusque lætitia. Præterea quarumdam illi rerum scientiam[7] tradet: non enim omnia Sapiens scit: etiam si sciret, breviores vias rerum aliquis excogitare posset[8], et has indicare, per quas facilius[9] totum opus circumfertur.

1. *Cum quo conferat.* Cum quo de officiis, de virtutibus loquatur.

2. *Cum quo quærat.* Cum quo se tradat indagationi naturæ et magnarum, quæ in ea continentur, quæstionum.

3. *Præter hæc... invenerit.* Sapientia est quidem divinorum et humanorum scientia, et quæ eorum sunt causæ, sed quum sapiens semper in actu et opere sit, tum contemplabitur, tum aget: proderit itaque communicando quæ invenerit cogitaveritque cum amicis et sapientibus. *Ruhk.*

4. *Etiam Sapienti restabit. Etiam,* quod aberat vulgo, dederunt *a. c. R. A.* et Grut. sed iidem omnes *a sapiente rest.* exhibent; quod quo spectet exputare non potui. *Schw.*

5. *Facit quoque pejorem*, *a. c. R. A. Quoque* abest vulg. *Schw.*

6. *Plurimum*, *a. c. R. A. Vulgo plurium. Schw.*

7. *Scientiam*, *a. c. A.* et Gruteri omnes. *Notitiam* edd. ex *R. Schw.*

8. *Posset*, *a. R. Possit* edd. cum *c. A. Schw.*

9. *Per quas facilius... circumfertur.* I. e. per quas totum opus suum facilius peragere possit, quæ faci-

Digitized by Google

Proderit Sapienti Sapiens, non suis viribus[1], sed ipsius, quem adjuvat. Potest quidem ille, etiam relictus sibi, explicare partes suas; utetur propria velocitate: sed nihilominus adjuvat etiam currentem hortator[2]. Non prodest Sapienti[3] Sapiens, sed sibi ipse: hoc scias[4]. Detrahe illi[5] vim propriam, et ille nihil agit. Uno modo[6] dicas licet, non esse in melle dulcedinem: nam ipse ille, qui est[7], debet ita aptatus lingua palatoque esse ad hujusmodi[8] gustum, ut ille talis sapor eum capiat, non offendat: sunt enim quidam, quibus morbi vitio mel amarum vi- 7

liore, breviore et meliore modo ad scopum ducant. *Ruhk.*

1. *Non suis viribus.* Vulgo *non scilicet tantum suis viribus* edd. cum *a. c. R. A.* duobus verbis manifeste ex scholio intrusis, quæ ejici omnino debuere. Pro *scilicet tantum* duo Gruteriani *solum tantum* habebant, unus nude *tantum.* Ex Senecæ more loquendi, *non suis viribus, sed ipsius*, etc. idem valet, ac *non solis suis viribus, sed simul viribus ipsius* etc. vel, *non tam suis viribus, quam ipsius*, etc. *Schw.*

2. *Adjuvat etiam currentem hortator. Hortatur* ms. *a.* et ed. *R.* quod tenentes alii, *qui currentem hortatur* scripsere; nobis concinnius visum erat, si *hortatur* in *hortator* mutaretur. *Schw.*

3. *Sapienti.* Ms. *a.* et ed. *R.* recte nobis dederunt *non prodest sapiens sapienti, sed ipse sibi;* ubi vulgo, inserto glossemate, legebatur *non prodest tantum sapiens sapienti;* et geminato glossemate in ms. *c.* et ed. *A. Non scil. tant. prodest sap.* prorsus eodem modo quo supra in not. 1. *S.*

4. *Hoc scias.* Sic omnes codd. et edd. *Objicies*, quod pro *hoc scias* legitur in quibusd. edd. a Mureto est. *R.*

5. *Detrahe illi... et ille*, id est, *detrahe alteri... et alter*, etc. *Schw.*

6. *Uno modo dicas.* Omnes hanc lect. codd. et edd. tenent: unde Pincianus, quem Muretus sequitur, fecit: *Isto modo.*—Int. *uno* eodemque *modo. Unus* sæpe occurrit, ut sit synonym. τοῦ· idem. Hoc fefellit Pincianum, quum, τῷ *uno* ejecto, *isto* emendaret. Et propter *dicas* Muretus ejecit temere τὸ· *Hoc scias*, et invexit *Objicies*, quanquam hic nulla objectio est. *Ruhk.*

7. *Ipse ille qui est* (edit), *debet... palatoque esse.* Perperam librarii sedes verborum *est* et *esse* inter se permutaverant, scribentes *qui esse debet... palatoque est:* alia item nonnulla in hac regione turbaverant, ex facili conjectura correcta. *Schw.* — Τὸ· *est* omissum in omnibus codd., at in aliquot glossam *sumere debet* invenies. Istud *est*, i. edit, comedit, interdum fraudi fuit Viris doctis, e. c. Gronovio Obss. I, p. 10 in Afranii illo apud Nonium p. 486, 40 ed. Godofr.: «qui me est animi exercitus» i. quæ vexatio animi me edit: *edaces* autem *curæ* occurrunt ap. Horat. Od. II, 11, 18. *Ruhk.*

8. *Hujusmodi*, etc. Malim *ejus-*

Digitized by Google

deatur. Oportet utrumque talem esse, ut et ille prodesse possit, et hic profuturo [1] idonea materia sit.

« In summum, inquit [2], perducto calorem calefieri supervacuum est; et in summum perducto bonum supervacuus est qui prosit. Numquid instructus omnibus rebus agricola, ab alio instrui quærit? numquid armatus miles quantum in aciem exituro satis est, amplius arma desiderat? Ergo nec Sapiens : satis enim vitæ instructus, satis
8 armatus est. » — Ad hæc respondeo [3] : et, qui in summo est calore, illi opus est adjecto calore [4], ut summum teneat. — Sed ipse se [5], inquit, calor continet. — Primum multum interest inter ista, quæ comparas. Calor enim unus est; prodesse varium est. Deinde calor non adjuvatur adjectione caloris, ut caleat : Sapiens non potest in habitu suæ mentis stare, nisi amicos aliquos similes sui
9 admisit, cum quibus virtutes suas communicet. Adjice nunc, quod omnibus inter se virtutibus amicitia est. Itaque prodest, qui virtutes alicujus pares suis [6] amat, amandasque invicem præstat. Similia delectant; utique ubi

modi cum *a. c. A. Schw.* — *Ut ille talis. sap.* sic ex Schweigh. edit. Vulgo, *ut ille tali sapore capiatur, non offendatur.*

1. *Et hic profuturo idonea materia sit.* Sic recte ms. *a.* Perperam vulgo, *et huic profuturo :* male Pincianus *profecturo. S.* — Int. et hic qui mel comedit, præbeat idoneam materiam melli profuturo, et is sit cui mel prodesse possit.

2. *In summum, inquit*, adversarius. Objectio est.

3. *Ad hæc respondeo.* Sic omnes codd. et edd. Sed Muretus transposuit, et post *continet* collocavit *Ad hæc respondeo.* Falso. Nam ex objectione eligit Seneca quædam, quibus respondere vult. *Ruhk.* — Cæterum Ruhk. punctum maximum ponit post *respondeo*, et delet sequens *et.*

4. *Illi opus est adjecto calore.* In exili hac et spinosa disputatione rursus multa turbarunt librarii, a viris doctis correcta; quæ jam sigillatim exponere non vacat. Illud unum moneo, *non opus est* vulgo hic edi, quum negantis particulæ in vett. libris nullum compareat vestigium. *S.*

5. *Sed ipse se.* Poterat *Sed ipse sese* scribi ex *a.* et *R.* Aberat vulgo *Sed* particula, præter rationem abjecta a Mur. *Schw.*

6. *Virtutes alicujus pares suis.* Nam stoicum dogma erat, et omnes virtutes inter se pares, et omnes item

Digitized by Google

honesta sunt, et probare ac probari sciunt. [1]Etiamnunc, Sapientis animum perite movere nemo alius potest, quam Sapiens; sicut hominem movere rationaliter non potest, nisi homo. Quomodo ergo ad rationem movendam ratione opus est; sic, ut moveatur ratio perfecta, opus est ratione perfecta. Prodesse dicuntur et qui media [2] nobis largiun- 10
tur, pecuniam, gratiam, incolumitatem, alia in usus vitæ cara aut necessaria; in his dicetur etiam stultus prodesse Sapienti. Prodesse autem est, animum secundum naturam movere virtute sua, ut ejus qui movebitur [3]. Hoc non sine ipsius quoque, qui proderit, bono fiet: necesse est enim, alienam virtutem exercendo exerceat et suam. Sed, ut [4] re- 11
moveas ista, quæ aut summa bona sunt, aut summorum efficientia [5], nihilominus prodesse inter se sapientes possunt. Invenire enim Sapientem, Sapienti per se res expetenda [6] est: quia natura bonum omne carum est bono; et sic quisque [7] conciliatur bono, quemadmodum sibi.

Necesse est ex hac quæstione, argumenti causa, in alteram transeam. Quæritur enim, « an deliberaturus sit 12
Sapiens? an in consilium aliquem advocaturus? » quod facere illi necessarium est, quum ad hæc civilia et domestica [8] venitur, et, ut ita dicam, mortalia. In his sic illi

sapientes: neminem alterum excellere. Vide Manuduct. II, 19. *Lips.*

1. *Etiamnunc.* Int. præterea. *R.*

2. *Media.* Intell. quæ nec bona nec mala sunt.

3. *Ut ejus qui movebitur.* Sic *a. c. A.* Pal. 1, 2, 3, Col. Perperam vulgo *aut ejus*, etc. *Schw.* — Int. ut virtute ejus qui movebitur: sensus idem est ac si foret: *tum virt. sua, tum virt. ej. q. m.*

4. *Sed, ut rem.* Int. sed etiamsi rem.

5. *Summorum efficientia.* In divisionibus bonorum et hæc erat, ut dicerent Stoici, bona esse vel *finalia, summa*, τελικά, ut gaudium, fiduciam, et ex virtute actiones, vel *efficientia*, ut prudentem virum et amicum, vel utrumque, ut virtutes omnes. Cf. Lipsii Manud. 2, 22. *Ruhk.*

6. *Expetenda. Petenda* edd. invitis mss. *Schw.*

7. *Et sic quisque... sibi.* Bene vertit *Lagrange: D'où il suit qu'un homme vertueux aime un autre homme vertueux, comme il s'aime lui-même.*

8. *Civilia et domestica.* Res quæ domum, et mortalem hominis partem

Digitized by Google

opus est alieno consilio, quomodo medico, quomodo gubernatore [1], quomodo advocato, et litis ordinatore [2]. Proderit ergo Sapiens aliquando Sapienti; suadebit enim. Sed in illis quoque magnis ac divinis, ut diximus, communiter honesta tractando, et animos cogitationesque
13 miscendo, utilis erit. Præterea secundum naturam est et amicos complecti, et amicorum actu, ut suo proprioque, lætari. Nam, nisi hoc fecerimus, ne virtus quidem nobis permanebit, quæ exercendo se usu valet [3]. Virtus autem suadet præsentia bene collocare, in futurum consulere, deliberare, et intendere animum: facilius intendet expli-
14 cabitque, qui aliquem sibi assumpserit. Quærit itaque aut perfectum virum, aut proficientem, vicinumque perfecto. Proderit autem ille perfectus, si consilium communi prudentia juverit. Aiunt homines plus in alieno negotio videre, quam in suo; hoc illis evenit, quos amor sui excæcat, quibusque dispectum utilitatis timor in periculis excutit. Incipiet sapere securior [4], et extra metum positus. Sed nihilominus quædam sunt, quæ etiam Sapientes in alio,
15 quam in se, diligentius vident. Præterea illud dulcissimum honestissimumque [5], idem velle atque idem nolle,

spectant, in quibus gerendis utilis est prudentia et quædam sapientia, non illa e cælo delapsa, sed ex humana experientia desumpta.

1. *Gubernatore...ordinatore.* Recte *c. A.* Perperam *gubernatori... ordinatori*, edd. cum ms. *a.* et ed. *R. S.*

2. *Litis ordinatore.* I. e. jurisconsulto, qui respondendo, scribendo, cavendo consulentibus præsto erant, et legibus interpretandis ac formulis agendi lege præscribendis et cautionibus exhibendis. Cf. Cujacii Obss. 18, 23. *Ruhk.*

3. *Quæ exercendo se usu valet.* Vulgo *quæ in exerc.* sed præpositionem ignorant *a. c. R. A.* Tum *se usu* ed. Mur. Lips. et Gron. ex uno Pinciani cod. cui consentit ed. *A.* Alii omnes *sensu*, quod revocavit Ruhk. prudentiam et rationem intelligens. Equidem *usu* tenendum putavi; sed videndum, ne aut duo verba *exercendo se* ex vetere scholio irrepserint, aut *exercendo et usu* scriptum oportuerit, aut *exercendo se usuque. S.*

4. *Incipiet sapere securior.* Int. qui securior erit, prudentiori utetur prospectu in regendis negotiis suis.

5. *Præterea illud dulcissimum ho-*

Digitized by Google

Sapiens Sapienti præstabit : egregium opus pari jugo ducet[1].

Persolvi, quod exegeras, quanquam in ordine rerum erat, quas Moralis Philosophiæ voluminibus complectimur[2]. Cogita, quod soleo frequenter tibi dicere, in istis nos nihil aliud, quam acumen, exercere. Toties enim illo revertor : Quid ista me res juvat? fortiorem faciet, justiorem, temperatiorem? Nondum exerceri vacat; adhuc medico mihi opus est. Quid me doces scientiam inu- 16
tilem? Magna promisisti; exigua video. Dicebas intrepidum fore[3], etiam si circa me gladii micarent, etiam si mucro tangeret jugulum; dicebas securum fore, etiam si circa me flagrarent incendia, etiam si subitus turbo toto navem meam mari raperet. Hoc mihi præsta[4] interim, ut voluptatem, ut gloriam contemnam; postea docebis implicita solvere, ambigua distinguere, obscura perspicere : nunc doce quod necesse est. Vale.

nestissimumque, *idem* rel. Sic omnes codd. et vett. edd., quæ tamen *dulcissimum est h.* habent, ubi τὸ *est* pro *et* scriptum esse apparet. Eliminavi itaque τὸ *quod* post *illud*, et τὸ *est* post *hon.*, cum Gronovio. *R.*

1. *Egregium opus pari jugo ducet.* Metaphora e bobus desumpta quorum ambo pari jugo plerumque alligantur. Vertit *Lagrange : Ils travailleront en commun au plus magnifique des ouvrages.*

2. *Quanquam in ordine.... complectimur.* Vide ad Ep. CVI, 2. Interciderunt hæc volumina tam sæpe a Nostro memorata, quæ Vincentius Bellovacensis (sæculo XII monachus ordin. dominic.) adhuc habuisse videtur, quum passim ex illis quædam laudet. *Ruhk.*

3. *Dicebas intrepidum fore.* I. Dicebas te facturum esse ut intrepidus fierem. Bene vertit *Lagrange : Vous vous étiez engagé à me rendre intrépide.*

4. *Hoc mihi præsta interim, ut volupt.* Sic scripsi ex Gruteri conjectura. Vulgo legitur : *Hæc mihi præsta tu, ut voluptat.* ex Pinciani et Mureti ingenio. *Hanc mihi præstaturum volup.* ms. *a.* et ed. *R.* *Hanc mihi præsta interim volupt.* Palatini 2, 3 et Col. cum ed. Erasmi. *Schw.*

Digitized by Google

EPISTOLA CX.

VANA OPTARI, VANA TIMERI : REMEDIUM A PHILOSOPHIA PETENDUM.

Salus, quam amico impertit, qua jubet eum habere mentem bonam, i. e. omnes deos propitios, ansam præbet argumenti huic epistolæ serendi atque tractandi. Nam mittere jubens majorum persuasiones de geniis cuique datis, deos monet habere placatos et faventes, quisquis sibi se propitiavit, et nihil gravius esse votum et imprecationem in aliquem, quam ut se habeat iratum, qui tunc et deos habuerit infestos, etiamsi fortunatus esse videatur. Omnia mutabilia. Sic meminerimus, medium tenere esse beati, sive spem sive metum respicias. Nam vana sunt, quæ nobis timorem injiciunt et spe nos implent. Itaque error, qui oculis nostris offusus est, discuti debet et potest philosophia, a qua ad sordida hæc et humilia animus noster abductus vitiis inservit. Contemne igitur non solum supervacua, sed necessaria. Egregia Attali oratione hæc illustrat.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Ex Nomentano [1] meo te saluto, et jubeo habere [2] mentem bonam, hoc est, propitios Deos omnes; quos habet placatos et faventes, quisquis sibi se propitiavit [3]. Sepone in præsentia, quæ quibusdam placent : Unicuique [4] nos-

1. *Ex Nomentano.* Vide not. ad Epist. CIV, 1. *Ruhk.*

2. *Jubeo habere.* Sic omnes codd. et ant. edd. Antea : *jubeo te habere. Ruhk.*

3. *Quisquis sibi se propitiavit.* Int. securam habet conscientiam, nec remordetur culparum stimulo. Bene vertit *Lagrange : Quand on est en paix avec soi-même.*

4. *Sepone in præsentia... unicuique... deos.* Hanc opinionem in præsens exue : scil. dæmonas s. genios infantibus masculi generis, *Junonem* feminis invigilare. Ovidius Met. I, 595. Cf. ad Ep. XII, 2, ubi addas, villicum ibi propterea jurare per Genium, quod maxime platanus Romanis Genio suo litantibus in deliciis erat. Inde genialis vocatur ap. Ovid. Met. X, 95. Lipsius, qui de hoc dogmate Stoicorum Physiol. Stoic. I, 19, diligenter egit, laudat Menandri Comici versus hosce : Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαραστατεῖ Εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βίου. Stoici autem hanc de geniis sententiam jam apud Hesiodum al. obviam, et omni Græ-

Digitized by Google

trûm pædagogum dari Deum, non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notæ, ex eorum numero quos Ovidius ait *de plebe Deos*. Ita tamen hoc seponas volo, ut memineris, majores nostros, qui crediderunt, Stoicos fuisse; singulis enim et Genium et Junonem dederunt. [1] Postea 2
videbimus, an tantum Diis vacet, ut privatorum negotia procurarent [2]; interim illud scito, sive assignati [3] sumus, sive neglecti [4] et fortunæ dati, nulli te posse imprecari quidquam gravius, quam si imprecatus fueris, ut se habeat iratum. Sed non est, quare cuiquam, quem pœna putaveris dignum, optes, ut infestos Deos habeat; habet, inquam, etiam si videtur eorum cura et favore produci. Adhibe diligentiam tuam, et intuere, quid sint res nos- 3
træ, non quid vocentur; et scies plura mala [5] contingere nobis, quam accidere. Quoties enim felicitatis et causa et initium [6] fuit, quod *calamitas* vocabatur? Quoties magna gratulatione excepta res gradum sibi struxit in præceps, et aliquem jam eminentem allevavit etiamnunc, tanquam ibi adhuc staret [7], unde tuto caderet? Sed ipsum 4
illud cadere non habet in se mali quidquam, si exitum

ciæ communem non magis aspernati sunt, quam Romani plurimæque nationes. Vide Menag. ad Diog. Laert. VII, 151. *Ruhk.*

1. *Postea.* Non hac in epistola, sed alio fortassis tempore. Simili modo occurrit Ep. XXXVI, 10. *Ruhk.*

2. *Procurarent*, *a. c. R. A.* Edd. a Mur. *procurent. Schw.*

3. *Assignati.* Quisque suo deo. *R.*

4. *Sive neglecti.* Ut nemo curam nostri gerat, Providentia non sit. *L.*

5. *Contingere... accidere.* Illud proprie de re læta, hoc de re mala dici solet: quanquam interdum confunduntur. Putamus, ait, multa, quæ mala videntur, bona esse et quasi ex voto ac optato nobis evenire, etc. *R.*

6. *Felicitatis et causa et initium.* Prius *et* ignorant edd. sed latebat in verbo *est*, quod ibi ponunt *a. c. R. A.* Pal. 1, 4, Col. *Schw.*

7. *Tanquam ibi adhuc staret, unde tuto caderet.* Malim *adhuc ibi* cum *a. c. A.* Tum *caderet* non male quidem edd. ab Er. cum Pal. 2, 3 et Col. sed verum videtur, *unde tuto cadunt*, quod est in *a.* et *R.* et Pal. 1, 4, ex quo etiam nata vitiosa scriptura in *c.* et *A. unde tuta cadunt. Schw.*—*Tanquam ibi adhuc staret... caderet.* Int. tanquam nondum eam

Digitized by Google

spectes, ultra quem natura neminem dejecit[1]. Prope est rerum omnium terminus[2] : prope est, inquam, et illud, unde felix ejicitur[3], et illud, unde infelix emittitur[4]. Nos utraque extendimus ; et longa, spe ac metu, facimus.

Sed, si sapis[5], omnia humana conditione[6] metire :
5 simul, et quod gaudes, et quod times, contrahe. Est autem tanti[7], nihil diu gaudere, ne quid diu timeas. — Sed quare istuc malum astringo[8] ? — Non est, quod quidquam timendum putes. Vana sunt ista, quæ nos movent, quæ attonitos habent. Nemo nostrûm, quid veri esset, excussit[9] ; sed metum alter alteri tradidit. Nemo ausus est ad id, quo perturbabatur[10], accedere, et naturam ac bonum[11] timoris sui nosse. Itaque res falsa et inanis habet adhuc fidem, quia non coarguitur. Tanti putemus oculos intendere ; jam apparebit, quam brevia, quam incerta,

altitudinem attigisset, ex qua sine damno cadere non posset : ideo altius fortuna eum evexit, ut ruina ejus non posset esse innocens.

1. *Dejecit*, non *dejicit*, *a. R. Ejecit c. A. Schw.*

2. *Rerum omnium terminus*. Mors scilicet ex improviso superveniens, quæ eumdem terminum imponit felici atque infelici vitæ.

3. *Felix ejicitur*. Invitus et reluctans abit. *Lips.*

4. *Infelix emittitur*. A miseriis liberandus. *Lips.*

5. *Sed, si sapis... contrahe*. Sæpe hoc inculcat Noster. Similia occurrunt sæpe apud vett. e. c. ap. Horat. I Carm. 4, 9. II, 3 : « Æquam memento rebus in arduis Servare mentem, etc. » *Ruhk.*

6. *Conditione metire*. Scil. tibi ipse semper objice : si licebit, si longum erit, si eveniet. Nihil tibi promitte in alterutra sorte. *Lips.*

7. *Est autem tanti, nihil diu*. Sic quinque Pal. et Pinc. et ed. vett. Antea : *Est tanti, diu nihil g. Ruhk.* — Bene vertit hanc sententiam *Lagrange : Il vaut mieux avoir une jouissance moins longue, et des craintes plus courtes.*

8. *Quare istuc malum astringo*. Int. quum omnino delere deberem : non est ut præcipiam ne diu timeas, sed ut omni timore omnino vacuus sis. Itaque longius procedit, et nihil esse timendum docet.

9. *Quid veri esset, excussit*. Bene vertit *Lagrange : Personne de nous ne s'est donné la peine d'approfondir la vérité.*

10. *Perturbabatur*, *a. c. A.* non *perturbatur. Schw.*

11. *Ac bonum timoris sui nosse*. Forsan sensus est : et noscere quid boni tibi ferat id quod times : quod confirmant præcedentia : *quoties enim... vocabatur ?*

Digitized by Google

quam tuta timeantur. Talis est animorum nostrorum confusio, qualis Lucretio[1] visa est :

> Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
> In tenebris metuunt ; ita nos in luce timemus.

Quid ergo ? Non omni puero stultiores sumus, qui in luce timemus ? Sed falsum est, Lucreti, non timemus in luce ! omnia nobis fecimus tenebras ; nihil videmus, nec quid noceat, nec quid expediat : tota vita [2]incursitamus ; 7
nec ob hoc resistimus, aut circumspectius pedem ponimus. Vides autem, quam sit furiosa res[3], in tenebris impetus. At, mehercules, id agimus, ut longius revocandi simus[4] ; et, quum ignoremus quo feramur, velociter tamen illo, quo intendimus, ire perseveramus.

Sed lucescere, si velimus, potest. Uno autem[5] modo potest, si quis hanc humanorum divinorumque notitiam [scientiamque][6] acceperit ; si illa se non perfuderit[7], sed 8
infecerit ; si eadem, quamvis sciat, retractaverit, et ad se sæpe retulerit ; si quæsierit, quæ sint bona, quæ mala ; quibus hoc falso sit nomen adscriptum ; si quæsierit de honestis, de turpibus, de providentia. Nec intra hæc

1. *Lucretio*, II, 54. Eamdem cogitationem persecutus est Noster Epist. IV, 2 sq. *Ruhk.*

2. *Incursitamus. Lagrange* vertit : *Notre vie est une course continuelle*, quasi hæc vox significaret : huc et illuc vagamur incerto cursu. Interpretandum est *ubique offendimus*, *nous faisons sans cesse des faux pas*, ut sequentia *nec hoc ob...circumspectius* intelligantur.

3. *Furiosa res*, id est digna furioso, insano.

4. *Id agimus, ut longius revocandi simus.* Videtur subintelligi debere *a morte*, ut vertit *Lagrange : Nous voulons apparemment que la mort nous appelle de plus loin.*

5. *Uno autem... acceperit*, i. si philosophiæ se dederit. *Ruhk.*

6. *Notitiam scientiamque.* Sic *c. A.* Nude *notitiam* edd. ab. Erasm. cum Pal. quart. *Notitiam scientia* ms. *a. Notitiam scientiam R.* Scilicet alterum ex scholio (ut videtur) invectum ; ac fortasse sic scriptum oportebat, *divinorumque scientiam acceperit.* Conf. CIX, init. *Schw.*

7. *Si... se non perfuderit*, i. e. leviter attigerit, sed eam perbiberit, ut ait Epist. XXXVI, 4, metaphora desumpta de purpura, qua lana perfun-

Digitized by Google

humani ingenii sagacitas sistitur[1] : prospicere et ultra mundum[2] libet, quo feratur, unde surrexerit, in quem
9 exitum tanta rerum velocitas properet. Ab hac divina contemplatione abductum animum in sordida et humilia pertraximus, ut avaritiæ serviret, ut, relicto mundo terminisque ejus, et dominis cuncta versantibus[3], terram rimaretur, et quæreret, quid ex illa mali effoderet, non contentus oblatis. Quidquid[4] nobis bono futurum erat, Deus et parens noster in proximo posuit. Non exspectavit inquisitionem nostram, sed ultro dedit[5] : nocitura altis-
10 sime pressit. Nihil nisi de nobis queri possumus : ea, quibus periremus, nolente rerum natura et abscondente, protulimus. Addiximus animum voluptati; cui indulgere initium omnium malorum est. Tradidimus ambitioni et famæ, cæteris, æque vanis et inanibus.

Quid ergo nunc te hortor ut facias? Nihil novi; nec enim novis malis remedia quæruntur : sed hoc primum, ut tecum ipse dispicias, quid sit necessarium, quid su-
11 pervacuum. Necessaria tibi ubique occurrent : supervacua et semper, et toto animo, quærenda sunt[6]. Non est autem quod te nimis laudes, si contempseris aureos lectos, et gemmeam supellectilem[7] : quæ est enim virtus, super-

ditur, et *inficitur*, ut color maneat δευσοποιὸς, ut nunquam elui possit. Runhk. ad Tim. p. 76, ed. 2. *Ruhk.*

1. *Nec.... sistitur.* Divina quoque scrutari gestit animus. *Ruhk.*

2. *Ultra mundum.* Ultra, i. e. amplius mundum cælum considerare vult, quærens in quem locum feratur, a quibus principiis ortus sit, etc. *R.*

3. *Dominis cuncta versantibus.* Int. Diis cælum regentibus, et sidera per vacuum currentia.

4. *Quidquid.... in proximo pressit.* Similia cogitantem vide Nostrum, Ep. LXXXIX, 21 sq. XC etc. *R.*

5. *Sed ultro dedit.* Sic unus Pal. tert. Deest *sed* eld. et abesse poterat. *Et ultro dedit* habent *a. c. R. A.* cum al. apud Grut. *Schw.*

6. *Quærenda sunt*, nempe ut procul posita, nec oculis oblata : qui sensus bene convenit superioribus sententiis : *toto animo quærenda sunt*, quia ad illa obtinenda sudatur, *semper quærenda sunt*, quia non satiari potest cupiditas.

7. *Gemmeam supellectilem*, ut pocula, gemmas anaglyphas et ecty-

Digitized by Google

vacua contemnere? Tunc te admirare, quum contempseris necessaria. Non magnam rem facis, quod vivere sine regio apparatu potes; quod non desideras milliarios apros[1], nec linguas phœnicopterorum[2], et alia portenta luxuriæ, jam tota animalia fastidientis, et certa membra ex singulis eligentis. Tunc te admirabor, si non contem- 12
pseris etiam sordidum panem; si tibi persuaseris, herbas, ubi necesse est, non pecori tantum, sed homini, nasci; si scieris, cacumina arborum explementum esse ventris[3]; in quem sic pretiosa congerimus, tanquam recepta servantem. Sine fastidio implendus est[4]. Quid enim ad rem pertinet, quid accipiat, perditurus quidquid acceperit? Delectant te disposita, quæ terra marique capiuntur; alia eo gratiora, si recentia perferuntur ad mensam; alia, si, diu pasta et coacta pinguescere, fluunt, ac vix saginam continent suam. Delectat te nitor[5] horum, arte 13
quæsitus. At, mehercules, ista sollicite scrutata varieque condita, quum subierint ventrem, una atque eadem fœditas occupabit. Vis ciborum voluptatem contemnere? exitum specta.

pas, quibus annuli aliæque res distinguebantur et ornabantur. *R.*

1. *Milliarios apros*, saginatos, grandes, mille librarum. In Poliorcéticis de hoc luxu affatim dixi. *L.*

2. *Phœnicopterorum*, avium pretiosarum, at nobis parum cognitarum. *Ruhk.* — Apicio judice, eximii saporis. Vide Martial. Epigramma LXXI, lib. XIII. Suetonium Vitellio, cap. 12. *Lips.*

3. *Si scieris.... ventris.* Cogitasse videtur de Diogene Sinopensi, quem ut Cynicum Stoici magni fecere et ad imitandum sibi proposuerunt. Eum autem ab omnibus desertum summas foliorum extremitates manducasse narrat Ælian. V. H. 13, 26. Vetustissimum hunc fuisse cibum hominibus ante glandes repertas putat Ovid. Fast. IV, 393. Cf. de Ira III, 20, 2. *Ruhk.*

4. *Sine fastidio implendus est.* Int. non fastidiosus esse debes in illo implendo; ut vertit *Lagrange : Il ne faut pas tant de délicatesse pour le remplir.*

5. *Nitor.* Ita multi codd. At Muretus e Pinc. mss. *nidor :* rejecit Gruter., quum non de sacrificio, sed de palato loquatur Seneca. At utrumque defendi potest : *nitor* spectat ad pin-

Digitized by Google

Attalum[1] memini cum magna admiratione omnium hæc dicere : « Diu mihi, inquit, imposuere divitiæ : stupebam, ubi aliquid ex illis alio atque alio loco fulserat; existimabam similia esse, quæ laterent, his, quæ osten-
14 derentur. Sed in quodam apparatu[2] vidi totas opes[3] Urbis, cælatas[4] et auro et argento, et his[5] quæ pretium auri argentique vicerunt; exquisitos colores, et vestes[6], ultra non tantum nostrum, sed ultra finem hostium advectas : hinc puerorum perspicuos cultu atque forma greges, hinc feminarum; et alia, quæ, res suas recognoscens[7], summi
15 imperii fortuna protulerat. Quid hoc est, inquam, aliud, quam irritare cupiditates hominum per se incitatas? Quid sibi vult ista pecuniæ pompa? Ad discendam avaritiam convenimus. At, mehercules, minus cupiditatis istinc effero, quam attuleram. Contempsi divitias, non, quia supervacuæ, sed quia pusillæ sunt. Vidisti-ne, quam intra paucas horas ille ordo, quamvis lentus dispositusque, transierit? Hoc totam vitam nostram occupabit[8], quod
16 totum diem occupare non potuit? Accessit illud quoque : tam supervacuæ mihi visæ sunt habentibus, quam fue-

guedinem, *nidor* ad odorem. *Ruhk.*

1. *Attalum.* Vide Epistolam CVIII, ubi narrat Seneca se ejus philosophi frequentissimum fuisse auditorem.

2. *Sed in quodam apparatu.* De spectaculi publici pompa, e. c. epuli publici, quale memorat Cicero in Vatin. c. 13, aut triumphi, intelligere malim, quam de Pompa circensi, quam Lipsius præfert. Nam in hac nunquam *feminarum* mentio injicitur, e. c. apud Dionys. Halic. VII p. 475 sqq. nec earum locus esse potuit. In illa contra pompa et divitiarum copia et puerorum feminarumque servilium *ordo*, i. series lente incedens dispositaque conspiciebatur. *Ruhk.*

3. *Totas opes Urbis*, i. supellectilem variam ex auro, argentoque. *R.*

4. *Cælatas et auro et arg.* Sic libri vett. non *ex auro. Schw.*

5. *Et his... vicerunt*, i. gemmis, unionibus compositam et distinctam, hac enim vi laxiore τὸ *cælare* in usu erat. Cf. Ep. LXXVI, 10, not. *Ruhk.*

6. *Vestes... advectas*, i. sericas. *R.*

7. *Res suas recognoscens.* Satis apte vertit *Lagrange : Qui voulait, pour ainsi dire, passer son opulence en revue.*

8. *Occupabit* commode edd. a Mur.

Digitized by Google

runt[1] spectantibus. Hoc itaque ipse mihi dico, quoties tale aliquid præstrinxerit oculos meos, quoties occurrit domus splendida, cohors culta servorum[2], lectica formosis imposita calonibus[3] : « Quid miraris? quid stupes? » Pompa est! Ostenduntur istæ res, non possidentur; et, » dum placent, transeunt. Ad veras potius te converte » divitias, disce parvo esse contentus; et illam vocem » magnus atque animosus exclama : Habemus[4] aquam, » habemus polentam; Jovi ipsi de felicitate controversiam 17
» faciamus! » — Faciamus, oro te, etiam si ista defuerint! Turpe est, beatam vitam in auro et argento reponere : æque turpe, in aqua et polenta. — Quid ergo faciam, si ista non fuerint? — Quæris, quod sit remedium inopiæ? Famem fames finit[5]. Alioquin, quid interest, magna sint, an exigua, quæ servire te cogunt? quid refert, quantum sit, quod tibi possit negare fortuna? Hæc 18
ipsa aqua et polenta in alienum arbitrium cadit; liber est autem non in quem parum licet fortunæ, sed in quem

Occupavit quidem præferunt vett. libri omnes; sed iidem sæpius litteras *b* et *v* perperam inter se permutant. *S.*

1. *Fuerunt*, non *fuerant a. c. R. A.* lidemque ead. linea *ipse mihi*, non *ipsi mihi. Schw.*

2. *Cohors culta servorum.* Ad multitudinem respicit : et bene item *cohors*, quia militari habitu erant, ut Epist. XLVII, 5. *Ruhk.*

3. *Calonibus*, servis. Nam Scholiastæ veteri ad Horat. Serm. I, 2, 44 calones, notanti « sunt ministri militum, liberi homines », nullam habeo fidem propter Festum et Nonium I, 310. *Ruhk.* — *Calones* a Seneca vocantur quos alio loco lecticarios appellat : si credimus Pignorio, verbum illud *calones* illis datum quod ligna seu asseres lecticæ portarent : κᾶλον enim lignum est, inquiunt Festus et Isidorus : reperias in Lucilio : « scinde puer calam, ut caleam. » Lecticæ illæ ferri solebant a sex et aliquando ab octo servis; inde Juvenal. Sat. I, v 64 : « quum jam sexta cervice feratur. » *E notis editoris Lagrange*, 1819.

4. *Habemus aquam, habemus polent.* Sic commodius ms. *a.* quam *habeamus.... habeamus* edd. cum aliis. *Schw.* — Sunt Epicuri verba. Cf. ad Ep. XXV, 4, ubi græca verba a Seneca h. l. in latinum sermonem conversa e Stobæi florileg. 17, p. 343 apposui, et ea emendatiora, quam Schowius ediderat. *Ruhk.*

5. *Famem fames finit* morte. *R.*

Digitized by Google

nihil. Ita est! nihil desideres oportet, si vis Jovem provocare nihil desiderantem. » — Hæc nobis Attalus dixit : natura dixit omnibus [1]. Quæ si voles frequenter cogitare, id ages, ut sis felix, non ut videaris; et ut tibi videaris, non aliis. Vale.

1. *Natura dixit omnibus.* Sic ed. Er. ex *R.* cum Pal. 1, 4. *Natura omnibus dixit*, c. *A* Pal. 2, 3, et optimus cod. Pinc. idque verum erat : inde accidit, ut tria verba omitterentur in ms. *a. Dixit* abjecit Mur. *Natura omnibus edixit* edd. a Lips. nullo suffragante vetere libro. *S.*

EPISTOLA CXI.

SOPHISMATIBUS VERAM OPPONIT PHILOSOPHIAM.

Monet amicum, qui quæsiverat, quid vocentur latine sophismata, ut sophismata, i. e. cavillationes devitet, quippe ad vitam nihil proficientes, tanquam vanam et humilem philosophiam, sed veram illam sequatur et in remedium suum et veram magnitudinem exerceat. Cf. Ep. XLV.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Quid vocentur Latine *sophismata* [1], quæsisti a me. — Multi tentaverunt illis nomen imponere, nullum hæsit; videlicet, quia res ipsa non recipiebatur a nobis, nec in usu erat, nomini quoque repugnatum est. Aptissimum tamen videtur mihi, quo Cicero [2] usus est : *cavillationes*

1. *Sophismata.* Duplici sensu hæc vox in usu erat apud Græcos, quum rhetoribus significaret nimiam artis rhetoricæ affectationem, adeoque molestam putidamque orationis accurationem : philosophis vero sive dialecticis fallacias et callida concludendi artificia. Cf. Ernesti Lexicon rhet. gr. voce Σοφίσματα, et lat. voce *Cavillatio. Ruhk.*

2. *Cicero* Acad. priorum lib. II, § 75, explicat sophismata per fallaces conclusiunculas : locus vero, ubi per *cavillationes* explicavit, intercidit.

Digitized by Google

vocat; quibus quisquis se tradidit, quæstiunculas[1] quidem vafras nectit, cæterum ad vitam nihil proficit, neque fortior fit, neque temperantior, neque elatior. At ille, qui Philosophiam in remedium suum exercuit, ingens fit animo, plenus fiduciæ, inexsuperabilis, et major[2] adeunti. Quod in magnis evenit montibus, quorum proceritas mi- 2
nus apparet longe intuentibus; quum accesseris, tunc manifestum fit, quæ in arduo summa sint: talis est, mi Lucili, verus, et rebus, non artificiis, Philosophus. In edito stat, admirabilis, celsus, magnitudinis veræ. Non 3
exsurgit[3] in plantas, nec summis ambulat digitis[4], eorum more, qui mendacio staturam adjuvant, longioresque, quam sunt, videri volunt: contentus est magnitudine sua. Quidni contentus sit eo usque crevisse, quo manum fortuna non porrigit? Ergo et supra humana est, et [5]par sibi in omni statu rerum; sive secundo cursu[6] vita procedit, sive fluctuatur per adversa[7] ac difficilia. Hanc 4
constantiam cavillationes istæ, de quibus paulo ante loquebar, præstare non possunt. Ludit istis animus, non

Noster in Ep. XLV, 4 sq. de his cavillationibus s. captionibus quas § 8 vocat, egit. Nominantur sophismata pleraque a Diog. Laert. VII, 76, ubi vid. Menagius. *Ruhk.*

1. *Quæstiunculas*, i. captiosas interrogatiunculas, conclusiunculas. *R.*

2. *Major adeunti.* Int. major videtur, quum illum prope inspexeris: qui contra magni a populo vocantur, pusilli sunt, si illos introspicias. Bene vertit *Lagrange*: *Et paraît plus grand, à mesure qu'on le considère de plus près.*

3. *Non exsurgit... volunt.* Animo Senecæ hic obversata fuisse videtur Prodici notissima descriptio virtutis et vitii inter se certantium apud Xenophontem, Memor. Socrat. II, 1, 22. *Ruhk.*

4. *Nec summis ambulat digitis.* Gallice: *Il ne se dresse pas sur la pointe des pieds.*

5. *Et par sibi*, *a. c. A.* Abest *et* edd. ex *R. Schw.*

6. *Sive secundo cursu.* Est facilitas, quam noster Ep. CXX, 12 illam beatam vitam secundo defluentem cursu, vocat, εὔροιαν, εὐκυλίαν. De Sapiente Stoico h. l. agi, per se patet. *Ruhk.*

7. *Fluctuatur per adversa.* Ed. Er. ex *R.* et Schw. ex *a. c. A.* Pal. 1, 4 *fluctuatur, et per*, etc. Ac poterit *et* pro *etiam* accipi. Sed, abjecta particula, anteponenda est lectio *fluctua-*

Digitized by Google

proficit; et Philosophiam a fastigio suo [1] deducit in planum. Nec te prohibuerim aliquando ista agere; sed tunc, quum voles nihil agere. Hoc tamen habent in se pessimum : dulcedinem quamdam sui faciunt, et animum specie subtilitatis inductum tenent, ac morantur [2]; quum tanta rerum moles vocet [3], quum vix tota vita sufficiat, ut hoc unum discas, vitam contemnere. — Quid [4] regere? inquis. — Secundum opus est : nam nemo illam bene rexit, nisi qui contempserat. Vale.

tur, *per adversa* cum edd. a Lips. ex Pinciani codd. et Palatinis 2, 3 et Col.

1. *Fastigio suo.* Posteriorem vocem adjeci ex ms. *a. S.*—Bene vertit *Lagrange* hanc sententiam : *Elles font descendre la philosophie de sa hauteur, pour la ravaler jusqu'à terre.*

2. *Morantur*, non *remorantur a. c. R. A. Schw.*

3. *Vocet.* Restitui ex vett. libris, quibus inviitis *vacet* edebatur, inde a Mur. *Schw.*

4. *Quid regere?* I. e. Quid dices de *regere.* Nonne multo difficilius est, et majores conatus requirit.

EPISTOLA CXII.

Desperat de quodam Lucilii amico reformando, vetere annorum et vitiorum, vitis exemplo allato.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Cupio, mehercules, amicum tuum formari, ut desideras, et institui : sed valde durus capitur; imo potius, quod est molestius, valde mollis capitur, et consuetudine mala ac diutina fractus. Volo tibi ex nostro [1] artificio

1. *Volo tibi ex nostro artificio..... referre.* Nam ipse Seneca cultor horti studiosus erat ut vinearum, et videre licet ex ipsius verbis, Ep. CIV.

Digitized by Google

exemplum referre. Non quælibet insitionem vitis patitur : si vetus et exesa est, si infirma gracilisque, aut non recipiet surculum, aut non alet, nec applicabit sibi, nec in qualitatem ejus naturamque transibit[1]. Itaque solemus 2
supra terram præcidere, ut, si non responderit[2], tentari possit secunda fortuna, et iterum repetita infra terram inseratur. Hic, de quo scribis et mandas, non habet vires : indulsit vitiis; simul et emarcuit, et induruit. Non potest recipere rationem, non potest nutrire. — At cupit ipse[3].—Noli credere! Non dico illum mentiri tibi, putat se cupere. Stomachum illi fecit luxuria[4]; cito tamen cum 3
illa redibit in gratiam. — Sed dicit se offendi vita sua. —Non negaverim : quis enim non offenditur? Homines vitam suam et amant simul, et oderunt. Tunc itaque de illo feremus sententiam, quum fidem nobis fecerit, invisam jam sibi esse luxuriam : nunc illis male[5] convenit. Vale.

1. *Nec in qualitatem.... transibit.* Non in se accipiet qualitatem, id est succos insitivi rami; non ejus adoptabit naturam.

2. *Responderit* edd. ex *R. Respondit*, *a. c. A. Schw.*

3. *At cupit ipse*, supple : *rationem recipere*, etc.

4. *Stomachum illi fecit luxuria.* Iram et fastidium illi movit. Bene *Lagrange : Il est dégoûté de ses déréglemens.*

5. *Nunc illis male convenit.* Int. nunc male se habet cum luxuria. Non illam odit; unius tantummodo momenti habet cum illa jurgium. Bene *Lagrange : Quant à présent, ils ne sont qu'en querelle.*

Digitized by Google

EPISTOLA CXIII.

AN VIRTUTES SINT ANIMALIA : HAS SPERNENDAS ESSE DISPUTATIONES.

Ad quæstionem, quam in Epistola CVI jam tractare cœperat, recurrit : an virtutes sint Animalia? Qua quidem Stoice explicata et asserta, se in alia esse sententia profitetur et illam refutat, docetque, quantopere hæc sint ridicula, et a vera virtute, atque a via quæ nos ad illam adducat, abhorreant. Ita occasione oblata utitur sinceram philosophiæ rationem viamque monstrandi.

Cf. Argumentum Ep. CVI.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Desideras tibi scribi a me, quid sentiam de hac quæstione jactata apud nostros : « An Justitia, an Fortitudo, Prudentia, cæteræque Virtutes, Animalia sint ? » — Hac subtilitate efficimus, Lucili carissime, ut exercere ingenium inter irrita videamur, et disputationibus nihil profuturis otium terere. Faciam, quod desideras; et, quid nostris videatur, exponam. Sed me in alia esse sententia
2 profiteor. Puto quædam esse, quæ deceant[1] phæcasiatum palliatumque[2]. Quæ sint ergo, quæ antiquos moverint[3], dicam.

1. *Deceant* dedere *a. c. A.* Vulgo *decent* ex *R. Schw.*

2. *Phæcas... palliatumque.* Id est, Græcum et quidem philosophum : hos enim palliatos fuisse et phæcasia, leve et vile calceamenti genus, gestasse constat. Cf. Senec. de Benef. VII, 21. Alias et sacerdotum fuit calceus : Appian. B. C. 5, 17. Leve genus calcei fuisse docet Plutarchi vita Anton. c. 33. Cf. Balduinus de Calceo antiquo c. 19, p. 170 sq. (Lugd. B. 1711, 8.) Lipsius hæc verba, quæ recte sana habet, sic interpretatur : Ego aliud sentio, nec Græcis illis Stoicis assentio, quare? decore quædam illi, homines concessu omnium arguti et scholastici, quæ nos minime, Romani et graves, et serio philosophi. Lipsius itaque putat, tales argutias Græcis Stoicis condonandas esse, Romanis non item. *R.*

3. *Quæ antiquos moverint.* Nil mutant libri, sed in ms. *a.* in ipso contextu, simul cum ista lectione, laudatur alia his verbis, *vel, quæ*

Digitized by Google

« Animum constat animal esse, quum ipse efficiat ut simus animalia, et quum ab illo [1] animalia nomen hoc traxerint; virtus autem nihil aliud est, quam animus quodammodo se habens : ergo animal est. Deinde : Virtus agit aliquid; agi autem nihil sine impetu potest : si impetum habet, qui nulli est nisi animali [2], animal est. — Si animal est, inquit, virtus; habet ipsa virtutem [3]. — Quidni habeat se ipsam? Quomodo Sapiens omnia per 3
virtutem gerit, sic virtus per se. — Ergo, inquit [4], et omnes artes animalia sunt, et omnia, quæ cogitamus, quæque mente complectimur. Sequitur ut multa millia animalium habitent in his angustiis pectoris, et singuli multa simus animalia, aut multa habeamus animalia. — Quæris, quid adversus istuc [5] respondeatur? Unaquæque ex istis res animal erit, multa animalia non erunt. Quare? Dicam, si mihi accommodaveris subtilitatem et 4
intentionem tuam [6]. Singula animalia singulas debent habere substantias; ista omnia unum animum habent : itaque singula esse possunt, multa esse non possunt. Ego et animal sum et homo, non tamen duos esse [nos] [7] dices.

sint quæ antiqui moverint. Schw.

1. *Et quum ab illo.... traxerint.* Hæc secunda causa ex etymologia desumpta parum valet. Sed Stoicos in hisce deductionibus sibi placuisse sæpius vidimus. *Ruhk.*

2. *Qui nulli est, nisi animali.* Int. impetu quo nullum præditum est, nisi animal.

3. *Habet ipsa virtutem. Quidni habeat se ipsam?* Sic *a. c. A.* Vulgo *habet ipsam virtutem. Quidni? habet se ipsam* edd. ex *R. Schw.*

4. *Inquit.* Adversarius. Quinam autem fuerint, Peripatetici, an Academici, an Epicurei, dicere non habemus : nam nonnisi e Senecæ Epp. has argutias compertas habemus. *R.*

5. *Adversus istuc* ms. *a. Istud* ms. *c. Ista* vulgo cum ed. *A.* In *R.* prorsus corruptus locus. *Schw.*

6. *Si mihi accommodaveris... tuam.* Si vis uti in me audiendo omni subtilitate ingenii tui atque omni attentione tua.

7. *Duos esse* [*nos*] *dices.* Abest *nos* msto *c.* et uni probo cod. Pinc. et aberat editis, expunctum a Mur. nec ita male; nam videtur utique ex scholio invectum. *Duos esse nos dices* habet ms. *a.* cum ed. *A.* et Pal. 2, 3. Col. Alii, *duos esse dices nos*,

Digitized by Google

Quare? Quia separati debent esse; ita dico, alter ab altero debet esse diductus, ut duo sint. Quidquid in uno[1] multiplex est, sub unam naturam cadit[2]: itaque unum est.
5 Et animus meus animal est, et ego animal sum; duo tamen non sumus. Quare? quia animus mei pars est. Tunc aliquid per se numerabitur, quum per se stabit; ubi vero alterius membrum erit, non poterit videri aliud. Quare? Dicam: quia, quod aliud est, suum oportet esse, et proprium, et totum, et intra se absolutum. »

6 Ego in alia esse me sententia professus sum. Non enim tantum virtutes animalia erunt, si hoc recipitur; sed opposita quoque illis vitia et affectus, tanquam ira, timor, luctus, suspicio. Ultra res ista procedet: omnes sententiæ, omnes cogitationes animalia erunt; quod nullo modo recipiendum est. Non enim, quidquid ab homine fit, homo est. — Justitia quid est? inquit. Animus quodammodo se habens. Itaque, si animus animal est, et justitia. —
7 Minime! hæc enim habitus animi est, et quædam vis. Idem animus in varias figuras convertitur, et non toties animal aliud est, quoties aliud facit; nec illud, quod fit ab animo, animal est. Si justitia animal est, si fortitudo, si cæteræ virtutes; utrum desinunt animalia esse [3]subinde, ac rursus incipiunt, an semper sunt? Desinere virtutes non possunt. Ergo multa animalia, imo innumerabilia in hoc animo versantur. — Non sunt, inquit, multa; quia ex uno religata sunt, et partes unius ac membra sunt. —
8 Talem ergo faciem animi nobis proponimus, qualis est

cum *R.* Alius rursus apud Grut. *nos dices duos. Schw.*

1. *Quidquid in uno.* Sic ms. *a. In unum c. R. A. Quidquid unum* edd. a Mur. *Schw.*

2. *Cadit*, non *cadet, a. c. R. A. S.*

3. *Utrum... subinde.* Quum animus noster fortitudinem jam non exercet, sed quiescit, utrum illud animal quod est fortitudo desinat interea esse, ita ut animal illud renascatur, quando rursus fortitudinem exercebit animus;

Digitized by Google

hydræ [1], multa habentis capita, quorum unumquodque per se pugnat [2], per se nocet. Atqui nullum ex illis capitibus animal est, sed animalis caput; cæterum ipsa unum animal est. Nemo in Chimæra [3] leonem animal esse dixit, aut draconem : hæ partes erant ejus : partes autem [4] non sunt animalia. Quid est, quo colligas, justitiam animal esse? — Agit, inquit, aliquid, et prodest; quod autem agit aliquid, et prodest, impetum habet : quod autem 9
impetum habet, animal est. — Verum est, si suum impetum habet; suum autem non habet, sed animi. Omne animal, donec moriatur, id est, quod cœpit : homo, donec moriatur, homo est; equus, equus [5]; canis, canis : transire in [6] aliud non potest. Justitia, id est, animus 10
quodammodo se habens, animal est! Credamus. Deinde, animal est fortitudo, id est, animus quodammodo se habens! Quis animus! ille qui modo justitia erat? Tenetur in priore animali; in aliud animal transire ei non licet : in eo illi, in quo primum esse cœpit, perseverandum est. Præterea, unus animus duorum esse animalium non potest, multo minus plurium. Si justitia, fortitudo, temperantia, cæteræque virtutes animalia sunt : quomodo unum animum habebunt? Singulos habeant oportet, aut

an potius vel quando eam animus non exercet, semper remaneat?

1. *Hydræ*. Lernææ, quacum Hercules, a Stoicis tanti æstimatus, prælatus est : interfecit eam. Cf. Apollod. II, 5, 2 ibique Heynius. *Ruhk.*

2. *Pugnat... nocet, a. c. R. A.* non *pugnet... noceat. Schw.*

3. *Chimæra*. Fabulosa bellua a Bellerophonte occisa : apud Homerum tricorpor erat, capite leonis, media parte caper, cauda draco s. serpens. Cf. Iliad. lib. ζ, 168, 9 Apollodor. lib. II, 3, 1 ibique Heynius. *Ruhk.*

4. *Partes autem*. Sic *a. c. A. Ejus*, pro *autem*, habet *R.* Utrumque vulgo abjectum a Mur. *Schw.*

5. *Equus, equus; canis, canis*. Sic *c. A.* cum Pinc. et Grut. quæ sana scriptura videtur. Perperam nude *equus, canis*, ms. *a.* et ed. *R.* Ex quo sua auctoritate Muretus fecit *equus item et canis. Schw.*

6. *Transire in*. Ita optimi codd. Muretus invexerat nullius libri suasu: *transire enim in. Ruhk.*

Digitized by Google

11 non sunt animalia. Non potest unum corpus plurium animalium esse; hoc et ipsi fatentur. Justitiæ quod est corpus? animus. Quid? fortitudinis [1] quod est corpus? idem animus. Atqui unum corpus esse duorum animalium non potest. — Sed idem animus, inquit, justitiæ habitum induit, et fortitudinis, et temperantiæ. — Hoc fieri posset, si, quo tempore justitia est [2], fortitudo non esset; quo tempore fortitudo est, temperantia non esset. Nunc
12 vero omnes virtutes simul sunt. Ita quomodo singula erunt animalia, quum unus animus sit; qui plus, quam unum animal, non potest facere? Denique nullum animal pars est alterius animalis; justitia autem pars est animi: non est ergo animal.

Videor mihi in re confessa perdere operam. Magis enim indignandum de isto, quam disputandum est. Nullum animal alterius pars est. Circumspice omnium corpora; nulli non et color proprius est, et figura sua, et
13 magnitudo. Inter cætera [3], propter quæ mirabile divini artificis ingenium est, hoc quoque existimo esse [4], quod in tanta copia rerum nunquam in idem incidit: etiam, quæ similia videntur, quum contuleris, diversa sunt. Tot fecit genera foliorum, nullum non sua proprietate signa-

1. *Quid? fortitudinis*, etc. Sic *a.* et *R.* Abest *Quid? c. A.* et vulgo edd. *Schw.*

2. *Quo tempore justitia est.* Sic recte ms. *a.* non *esset*, ut alii. Inde postea correxi, *quo tempore fortitudo est*, ubi perperam *esset* dabant omnes. *Schw.*

3. *Inter cætera*, *propter*, etc. Pulcherrima nota: et certe mira divini artificis vis et ingenium; qui tot varia, et ipsa paria disparia fecit. Inter tot millies millenos homines, qui duo vultu undique assimilant? tale in aliis, mirandum, stupendum, divinum. *Lips.* — Vides hic *principium indiscernibilium*, diu post a Leibnitio nostro egregie explicatum, jam a Seneca occupatum. Docuit quoque Plin. N. H. VII, 1 et alii, nisi fallor et Aristoteles. *Ruhk.*

4. *Existimo esse*, *quod in tanta*, etc. Abest vulgo *esse*; sed in veteribus libris scribitur *et quod*, ubi *et* ex *esse* corruptum judicavi cum Pinciano. *Schw.*

Digitized by Google

tum : tot animalia; nulli magnitudo [1] cum altero convenit, utique aliquid interest. Exegit a se, ut, quæ alia erant, et dissimilia essent, et imparia. Virtutes omnes, 14
ut dicitis, pares sunt : ergo non sunt animalia. Nullum non animal per se aliquid agit : virtus autem per se nihil agit, sed cum homine. Omnia animalia aut rationalia sunt, ut homines [2], ut Dii; aut irrationalia, ut feræ [3], ut pecora : virtutes utique rationales sunt; atqui nec homines sunt, nec Dii : ergo non sunt animalia. Omne rationale animal nihil agit, nisi primum specie [4] alicujus rei irritatum est, deinde impetum cepit, deinde assensio confirmavit hunc impetum. Quid sit assensio, dicam. Oportet me ambulare : tunc demum ambulo, quum hoc mihi dixi, et approbavi hanc opinionem meam. Oportet me 15
sedere; tunc demum sedeo. Hæc assensio in virtute non est. Puta enim prudentiam esse [5]; quomodo assentietur

1. *Nulli magnitudo cum altero convenit. Nullius magnitudo* magno consensu dabant *a. c. A.* et Pinciani Gruterique codices. Quod quidem quum parum probabile sit ita scriptum a Seneca fuisse, utique repositum velim id quod vulgo editum erat, *nulli similitudo*, etc. quod ex ingenio quidem Erasmi erat profectum, sed haud obscure admodum latebat sub eo quod ed. *R.* dederat *nullius multitudo*, quam scripturam etiam Gruterus in uno ex Palatinis invenerat. *Schw.* — Lipsius conj. *nullius imagini*, *puto*, *cum*. Trillerus in Obss. crit. p. 94 emend. *nullius imago tota cum*. qui ad sententiam laudat Plin. Nat. Hist. VII, 1. *Ruhk.*

2. *Ut homines, ut Dii.* Possis suspicari, legendum esse *aut homines, aut Dii*, non *ut... ut :* sed quum nonnisi homines diique sub hanc regulam cadant, non hoc opus est. *Ruhk.*

3. *Ut feræ.* Duo verba, quæ deerant vulgo, ex msstis adjecimus. *Schw.*

4. *Nisi primum specie.... impetum... assensio.* Stoica ex disciplina hæc petita sunt : species, φανταsία : primam quamcumque rei extrinsecus objectam animo speciem sequitur ὁρμή, motus, vel impetus primus, quo aliquid concupiscimus : deinde est δόξα, vel ὑπόληψις, *assensio*, qua rem bonam vel malam esse judicamus. Tiedemann *System d. st. Ph.* III, 5 sqq. Heynius ad Epictet. I, 1. *R.*

5. *Puta enim prudentiam esse.* Sic omnes edd. et multi codd., recte, probante Gronovio. Alii : *Puta enim prudentiam animal esse. Puta enim prudentiam esse* scilicet, in qua exemplum tentare velimus. Ponamus prudentiam : faciamus periculum in prudentia. *Gron.*

Digitized by Google

« Oportet me ambulare[1] » ? Hoc natura non recipit[2] : prudentia enim ei, cujus est, prospicit; non sibi. Nam nec ambulare potest, nec sedere; ergo assensionem non habet : quod assensionem non habet, rationale animal non
16 est. Virtus si animal est, rationale est : rationale autem non est[3] : ergo nec animal. Si virtus animal est; virtus autem bonum [omne] est[4] : omne bonum animal est. Hoc nostri fatentur. Patrem servare, bonum est; et sententiam prudenter in senatu dicere, bonum est; et juste decernere, bonum est : ergo et patrem servare animal est; et prudenter sententiam dicere[5], animal est. Eo usque res excedet, ut risum tenere non possis. Prudenter[6] tacere, bonum est; cœnare bene, bonum est : ita et tacere et cœnare animal est!

17 Ego, mehercules, titillare non desinam, et ludos mihi ex istis subtilibus ineptiis facere. Justitia et fortitudo, si

1. *Quom. assent.* (supple *dicendo*) : *oportet me ambulare.*

2. *Recipit.* Erasm. et tres Pal. at Pinc. et alii codd. *præcipit :* unde Lipsius conj. *hoc natura non præcipit? Hoc natura non recipit*, int. sibi non arrogat ut jubeat, sed prudentia facit hoc. *Ruhk.* — Prorsus obscura est Ruhk. interpretatio; sensus tamen patet : non naturale est prudentiam dicere *oportet me ambulare;* nam non sibi consulit prudentia, sed homini; non ipsa prudentia ambulatura est : non dicit ergo *oportet me ambulare.*

3. *Rationale autem non est.* Pugnare hoc videri poterat cum eo quod pag. sup. § 14 aiebat, *virtutes utique rationales sunt:* at non pugnant, nam h. l. ex superiore lin. intelligitur hoc dici, *rationale animal autem non est. Schw.*

4. *Virtus autem bonum* [*omne*] *est.* Vulgo nude, *virtus autem bonum est*, edd. ex *R.* Quo posito, non valebit consequentia ista, *omne bonum animal est.* Multo vero magis vitiosum videtur id, quod *a. c. A.* habent, *virtus autem non bonum est :* at ibi *non* ex voce *omne* compendiose scripta ortum suspicatus eram, ut minor propositio (quam dicunt dialectici) hæc esset *virtus autem omne bonum est;* ubi subjectum (quod vocatur) propositionis intelligi debet *omne bonum*, prædicatum vero *virtus. Schw.*

5. *Prudenter sententiam dicere.* Temere omissa vulgo erat media vox. *S.*

6. *Prudenter tacere, bonum est : cœnare bene, bonum est.* Sic codd. Pinc. et Grut. Muretus proprio Marte fecit: *prudenter tacere, et cœnare bene b. e. Ruhk.*

Digitized by Google

animalia sunt, certe terrestria sunt. Omne animal terrestre alget, esurit, sitit; ergo justitia alget, fortitudo esurit, sitit clementia. Quid porro? non interrogabo illos, quam figuram habeant ista animalia? hominis, an equi, an feræ? Si rotundam illis[1], qualem Deo, dederint formam, quæram, an et avaritia, et luxuria, et dementia 18
æque rotundæ sint? sunt enim et ipsæ animalia. Si has quoque corrotundaverint, etiamnunc interrogabo, an prudens ambulatio animal sit. Necesse est confiteantur; deinde dicant, ambulationem animal esse, et quidem rotundum. Ne putes autem, me primum ex nostris, non ex præscripto loqui[2], sed meæ sententiæ esse: inter Cleanthem et discipulum ejus Chrysippum, non convenit, quid sit ambulatio. Cleanthes[3] ait, spiritum esse a principali
usque in pedes permissum; Chrysippus, ipsum princi- 19
pale. Quid est ergo, cur non ipsius Chrysippi exemplo sibi quisque se vindicet, et ista tot animalia, quot mundus ipse non potest capere, derideat?

Non sunt, inquit, virtutes multa animalia, et tamen animalia sunt. Nam, quemadmodum aliquis et poeta est, et orator, et tamen unus; sic virtutes istæ animalia sunt, sed multa non sunt. Idem est animus, et animus[4] justus, et prudens, et fortis; ad singulas virtutes quodammodo
se habens. — Sublata est quæstio[5]; convenit nobis. Nam 20
et ego interim fateor, animum animal esse; postea visurus, quam de ista re sententiam feram: actiones ejus animalia esse nego. Alioquin et omnia verba erunt ani-

1. *Si rotundam illis, qualem Deo.* Nempe Mundo, qui Stoicorum secundarius deus. *Lips.*

2. *Non ex præscripto loqui.* Int. nullius sequi magistri præcepta.

3. *Cleanthes... principale.* Laudat Lipsius Senec. Ep. XCII et suam Physiolog. stoic. III, 17 et 18. *Ruhk.*

4. *Et animus justus.* Repetitum h. l. vocab. *animus* non aderat vulgo, sed dederunt veteres libri. *Schw.*

5. *Sublata est quæstio.* Duo verba,

Digitized by Google

malia, et omnes versus. Nam, si prudens sermo bonum est, bonum autem omne animal est; sermo ergo animal est. Prudens versus, bonum est; bonum autem omne animal est : versus ergo animal est. Ita [1],

Arma virumque cano,

animal est; quod non possunt rotundum dicere, quum
21 sex pedes habeat. — Textorium [2], inquis, totum mehercules istud est, quod quum maxime agitur. Dissilio risu, quum mihi propono, solœcismum animal esse, et barbarismum, et syllogismum, et aptas illis facies, tanquam pictor, assigno.

Hæc disputamus, attractis superciliis, fronte rugosa. Non possum hoc loco dicere illud Cæcilianum [3] : « O tristes ineptias! [4] » — Ridiculæ sunt. Quin itaque potius aliquid utile nobis ac salutare tractamus, et quærimus, quomodo ad virtutes venire possimus, quæ nos ad illas
22 via adducat. Doce me, non, an fortitudo animal sit; sed, nullum animal felix esse sine fortitudine, nisi contra fortuita convaluit, et omnes casus, antequam exciperet, meditando prædomuit. Quid est fortitudo? munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile; quod qui circumdedit sibi, securus in hac vitæ obsidione perdurat : utitur enim suis viribus, suis telis. Hoc loco tibi Posidonii nostri referre sententiam volo : « Non est, quod unquam

est quæstio, sive ipsa ad sensum necessaria, sive his similia, desunt *a. c. R. A.* ab Erasmo (ex conject. an e vetere libro?) adjecta. *Schw.*

1. *Ita.* Cum ms. *a.* scripsi. Vulgo *Itaque. Schw.*

2. *Textorium.* Quod texas, retexas, implices et solvas. *Ruhk.*

3. *Cæcilianum.* Stat. Cæcilius, comicus, Ennii amicus et libertus Cæcilii cujusdam : e comœdia veteri multa dramata, imprimis Menandri, vertit in latinum sermonem. Synephebi ejus celeberrima comœdia erat. Omnia præter fragmenta quædam, interciderunt. Cf. A. Gellii N. A. IV, 20. II, 23. Cicero passim. *Ruhk.*

4. *O tristes ineptias.* Muretus sequentes versus laudat e Martiali : « Turpe est difficiles habere nugas, F.

fortunæ armis putes esse te tutum : tuis pugna contra ipsam. Fortuna non armat[1]. Itaque contra hostes instructi, 23
contra ipsam inermes sunt. » Alexander quidem Persas, et Hyrcanos, et Indos, et quidquid gentium usque in Oceanum extendit Oriens, vastabat, fugabatque; sed ipse, modo occiso amico[2], modo amisso[3], jacebat in tenebris, alias scelus, alias desiderium suum mœrens : victor tot regum atque populorum, iræ tristitiæque succubuit : id enim egerat, ut omnia potius haberet in potestate, quam affectus. O quam magnis homines tenentur 24
erroribus, qui jus dominandi trans maria cupiunt permittere; felicissimosque se judicant, si multas per[4] milites provincias obtinent, et novas veteribus adjungunt; ignari, quod sit illud ingens, parque Diis, regnum! Imperare sibi, maximum imperium est. Doceat[5] me, quam sacra res sit justitia, alienum bonum spectans[6]; nihil ex se

stultus labor est ineptiarum. » *Ruhk.*

1. *Fortuna non armat.* Sic commode ms. *a.* Locum in omnibus exemplaribus corruptum se reperisse ait Pincianus. Vulgo *Fortuita non armant* ex Mureti ingenio. *Schw.* — Int. quantamcumque potentiam nobis circumdet fortuna, nobis arma non præbet, nec ne timeamus prohibet : nam, ut ostendit Noster, Alexander ipse inermis erat contra tristitiam suam : arma sunt virtutes quæ nos fortes faciunt in propellendis vitiis, et fortuitis contemnendis.

2. *Modo occiso amico.* Clyto, quem inter pocula ebrius gladio transfodit.

3. *Modo amisso.* Hephæstione. De luctu immenso Alexandri vide Quint. Curt. lib. X, cap. 4.

4. *Si multas per milites provincias obtinent.* Sic tacite primus (sua, puto, de conjectura) edidit Erasmus, quem secuti sunt omnes. *Pro milite* scribitur in *a. c. R. A.* Miror ni pariter alii libri dederint, licet e suis nil notaverit vel Pinc. vel Gruterus. *Schw.*

5. *Doceat* (supple : aliquis, sapiens). Communi consensu tenent mssti et editi. *Doceas* unus edidit Ruhk. necessariam esse emendationem existimans, quia haud multo ante § 22, *Doce* dixerat auctor. At similiter haud raro variare verborum personas in hujusmodi disputationibus solet. *S.* — Hæc spectant ad illud dogma stoicum celeberrimum : virtutem per se esse expetendam et exercendam, eamque ad beatitatem sufficere, quod Noster in præcedentibus Epistolis longius dilatavit. Confer. Tiedemann. III, 85, *System d. st. Philos. Ruhk.*

6. *Alienum bonum spectans.* Bene vertit *Lagrange : Vertu qui se dévoue au bien d'autrui.*

Digitized by Google

petens [1], nisi usum sui. Nihil sit illi [2] cum ambitione famaque; sibi placeat! Hoc ante omnia sibi quisque persuadeat : Me justum esse gratis oportet! Parum est!
25 adhuc illud persuadeat sibi : Me in hanc pulcherrimam virtutem ultro etiam impendere juvet; tota cogitatio [3] a privatis commodis quam longissime aversa sit! Non est, quod spectes, quod sit justæ rei præmium majus, quam justam esse [4]. Illud adhuc tibi affige, quod paulo ante dicebam : Nihil ad rem pertinere [5], quam multi æquitatem tuam noverint. Qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed gloriæ. Non vis esse justus sine gloria? At, mehercules, sæpe justus esse debebis cum infamia. Et tunc, si sapis, mala opinio bene parta delectat. Vale.

1. *Nihil ex se petens, nisi usum sui. Lagrange : Sans désirer autre chose que d'être utile à tout le monde*; quem sensum difficile ex latinis verbis elicias. Intelligendum potius : nullam mercedem petens ex beneficiis suis, nisi ut sese in virtute exercuerit.

2. *Nihil sit illi... famaque.* Vertit *Lagrange : Qu'on m'apprenne à n'avoir plus rien à démêler avec l'ambition et la renommée.* Putavit interpres hæc verba docentis esse et eum qui docetur alloquentis, Senecamque directum sermonem usurpavisse, ut vividiorem : nobis autem videtur vox *illi* referenda ad *justitiam :* dixit auctor justitiam nullius avidam esse mercedis; ideo addit : ne famam ex benefactis suis exspectet!

3. *Tota cogitatio.* Vulgo *ut tota cogitatio.* Vocúlam *ut*, temere ab Erasmo adjectam, nullus vetus liber agnoscit. *Schw.*

4. *Quam justam esse.* Sic unus cod. Pinc. Ipse tamen Pinc. *quam justum esse* maluerat, quod recepit Mur. et tenuere alii editores. Vitiose *injusta esse* ms. *c.* et ed. *A.* nec melius *injustæ est* ms. *a.* voculam *quam* vero nullus codex agnoscit. Editi ante Mur. cum ed. *R.* sic habent : *quod sit justæ rei præmium : majus injusto est :* qua in scriptura, si recte distinguantur verba, ipsum verum inesse videtur. Scribe, *quod sit justæ rei præmium majus : in justo est.* Ut dicimus *in vitio est, in culpa est*, et similia; sic *res in justo est* idem fere valebit ac *justa est.* Tum, pro brevitate quam amat Noster, ante ipsa verba, *in justo est*, facile intelligitur tale quidpiam, quale *Satis magnum præmium hoc est. Schw.*

5. *Pertinere.* Scripsi cum *a. c. A.* et quatuor Gruteri codd. Vulgo *pertinet. Schw.*

Digitized by Google

EPISTOLA CXIV.

ELOQUENTIÆ CORRUPTELAM E CORRUPTIS MORIBUS ORTAM ESSE.

Amico quærenti, quare quibusdam temporibus provenerit corrupta oratio, mox hæc, mox illa, semper tamen abhorrens a recto judicio et nativa simplicitate, respondet Seneca, primariam causam sitam esse in vita publica, et disciplina moribusque civitatis, ad quam oratio attemperari soleat, similis animo qui corpus imitatur, et vice versa. Ab animo ingenium magna parte formatur, et ideo oratio sumitur. Exemplo est Mæcenas, cujus oratio ejus mores et omnia, quæ ejus erant, retulit, æque soluta, quam ipse erat, cujus animum ut nimia felicitas et luxuria corruperunt, ita in orationem quæque nova, inaudita, antiqua, exoleta, brevi corruptionem invexere. Sic cuique ætati vitiosa, quin etiam interdum vitia placuere, et vitia virtutibus immixta sunt. Accedit, quod egregius aliquis vir etiam quum insolita oratione et compositione utatur, ab aliis imitandus sibi proponatur, qui vitiosi sunt. Exemplo est Arruntius, qui Sallustii scribendi rationem exprimere studens a recto limite desciverat. Animus igitur formetur et sanus sit, ut oratio et compositio recta via procedant; alioquin, luxuria animum corrumpente, et ingenium corrumpetur atque oratio.

Conferri meretur Dialogus de Causis corruptæ Eloquentiæ, auctore incerto: tribuitur ab aliis Tacito, ab aliis Plinio juniori. Quintiliani non esse, docuit Spalding. ad Quintil. To. I, præf. p. XXXIX: ad lib. II, 4, 42. T. II, præf. p. VI. Quatenus autem Noster præcepta, quæ hac epistola dedit, ipse secutus sit, vide ap. Quintil. X, 1, 125 sqq.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Quare quibusdam temporibus provenerit corrupti generis oratio, quæris; et quomodo in quædam vitia inclinatio ingeniorum facta sit, ut aliquando inflata[1] explicatio vigeret, aliquando infracta, et in morem cantici

1. *Ut aliquando inflata.... ducta.* Ut aliquando nimia redundantia et tumor orationis, ut in asianis oratoribus, de quibus cf. Cic. Brut. c. 13, Quintil. XII, 10, 16 floreret; recte opponitur mollitudo et imbecillitas

Digitized by Google

ducta? quare alias sensus audaces, et fidem egressi, placuerint; alias abruptæ[1] sententiæ, et suspiciosæ[2], in quibus plus intelligendum esset[3], quam audiendum? quare aliqua ætas fuerit, quæ translationis jure uteretur inve-
2 recunde? — Hoc[4], quod audire vulgo soles, quod apud Græcos in proverbium cessit: « Talis[5] hominibus fuit oratio, qualis vita. » Quemadmodum autem uniuscujusque actio dicenti similis est[6], sic genus dicendi aliquando imitatur publicos mores. Si disciplina[7] civitatis laboravit, et se in delicias dedit; argumentum est luxuriæ publicæ, orationis lascivia: si modo non in uno aut in altero fuit, sed approbata est et recepta. Non potest alius esse inge-
3 nio[8], alius animo color. Si ille sanus est, si compositus, gravis, temperans; ingenium quoque siccum ac sobrium est: illo vitiato, hoc quoque afflatur. Non vides, si animus elanguit, trahi membra, et pigre moveri pedes? si ille effeminatus est, in ipso incessu apparere mollitiem?

oratione quæ fluit, et *canticis*, partibus dramatis uni personæ assignatis, similis est. *Ruhk.*

1. *Abruptæ sententiæ.* Quarum sensus non est plene expressus, quibus verba quædam exspectata deesse videntur.

2. *Suspiciosæ.* Quarum sensum suspicamur magis, quam intelligimus. Gallice vertit feliciter *Lagrange: Enigmatiques.*

3. *Esset.* Sic præbent *a. c. A.* Vulgo *est. Schw.*

4. *Hoc.* Nomine, i. propterea. *R.*

5. *Talis... vita.* Lipsius laudat Solonis dictum vetus ap. Diogen. Laert. I, 59 ubi cf. Menag. τὸν λόγον εἴδωλον εἶναι τῶν ἔργων· et Platonis οἷος ὁ λόγος, τοιοῦτος ὁ τρόπος. *R.* — Nostras *Buffon* iisdem fere verbis: *Le style est l'homme.* (Disc. de réc. à l'Acad.)

6. *Actio dicenti similis est.* Int. actiones similes sunt sermonibus; eo sensu, ut iisdem vitiis sermo hominum inficiatur, quibus eorum mores laborant.

7. *Si disciplina*, etc. Rectius sic distinguetur oratio: *imitatur publicos mores; si disciplina... in delicias dedit. Argumentum.... lascivia; si modo*, etc. *Schw.*

8. *Ingenio.* Facultate mentis qua repertis acceptisque utimur cogitando, judicando, concludendo: *animo* de voluntate, inclinationibus. Diverso modo Quintil. X, 1, 130: « Velles eum (sc. Senecam) suo ingenio dixisse, alieno judicio. » Conf. Quintil. I, 3, princ. Mox ait Noster: *Quanto hoc magis... petit:* unde liquet, animum illam facultatem mentis significare, qua notiones accipiantur formentur-

Digitized by Google

si ille acer est et ferox[1], concitari gradum? si furit, aut, quod furori simile est, irascitur, turbatum esse corporis motum, nec ire, sed ferri? Quanto hoc magis accidere ingenio putas, quod totum animo permixtum est? ab illo fingitur, illi paret, inde legem petit.

Quomodo Mæcenas[2] vixerit, notius est, quam ut narrari nunc debeat; quomodo ambulaverit, quam delicatus fuerit, quam cupierit videri, quam vitia sua latere noluerit. Quid ergo? non oratio ejus æque soluta est, quam ipse discinctus? non tam insignita illius verba sunt, quam cultus, quam comitatus, quam domus, quam uxor? Magni vir ingenii fuerat, si illud egisset via rectiore, si non vitasset intelligi, si non etiam in oratione diffluere. Videbis itaque eloquentiam ebrii hominis, involutam, et errantem, et licentiæ plenam. [Mæcenas, de Cultu[3] suo]. Quid turpius? « Amne[4] silvisque ripa comantibus vide ut

que, tanquam materiem propemodum subactam ad usum. *Ruhk.*

1. *Ferox.* Recte *a. c. A.* Gruter. Vulgo *velox* ex *R.* sicut *velocia* Ep. XCII, pro *ferocia. Schw.*

2. *Mæcenas.* Cf. de eo notam ad Epist. CI, 10. Defendit Mæcenatem de quo egit Andreas Rivinus (denatus 1656) pluribus Dissertat. quibus tamen Meib. qui Mæcenatem suum edidit 1653, non usus est: nec mihi usurpatæ sunt. In Elegia C. Pedonis Albinovani vel potius incerti auctoris in obitum Mæcenatis (in Wernsdorf. Poetis Lat. minor. III, p. 155 sqq.) quædam occurrunt, quibus Mæcenas defendatur, desumpta, ut mihi videtur, e commentario nunc deperdito cujusdam Lollii de Mæcenate: eo enim referam versum 10, 11. Nostri tamen censuram non cognitam poetæ isti frigido fuisse puto, etiamsi seriori sæculo iste fœtus tribuendus sit. Egregie disserentem de Mæcenate vide Wielandum in procemio ad Horat. Ep. I, 1. *Ruhk.*

3. *Mæcenas, de Cultu suo.* Invitis vett. *in Cultu suo* edd. ante Ruhk. Est autem iste titulus carminis cujusdam a Mæcenate conscripti, quem titulum ipse Seneca (sicut alibi titulos aliorum librorum, e quibus verba quædam citavit) Epistolæ suæ inseruit. *S.* — Equidem has quatuor voces e margine in contextum intrusas esse puto cum Gruter. Fuisse videtur poema Mæcenatis sic inscriptum de suæ vitæ ratione. Conf. Wernsdorf. P. L. M. Tom. VI, I, p. 10. Quæ sequuntur ipsi Senecæ fuere obscura: quo magis nobis? An omnes sequentes versus ex illo poemate Mæcenatis desumpti sint, non liquet. *Ruhk.*

4. *Quid turpius?* (sc. quam de

alveum lintribus arent, versoque vado[1] remittant[2] hortos. — Quid? si quis[3]: feminæ cinno crispatæ[4] labris columbatur[5], incipitque suspirans, ut cervice lassa fanantur nemoris tyranni[6]. — Irremediabilis factio[7]: rimantur epulis, lagenaque tentant domos, et spe[8] mortem exigunt. — Genium festo vix suo testem, tenuisve cerei fila[9], et

cultu suo loqui, seu quam dicere ut sequitur?) *Amne*. Sic Schweigh. Lipsio, aliis Mæcen. verba a *quid turp.* incipere fingentibus, Muretus ex ingenio fecerat: *Quid purius.* — *Vide.* al. *vides* ex Lipsii conj. Antea: *vide.* Lipsius habet hos versus pro versiculis fere undecim syllabarum, metrum tamen non attigit.—*Amne... comantibus.* I. e. quum amnis et silvæ ripam contineant. *Comare* enim ita intelligo, uti ap. Valer. Flacc. V, 367: « astroque comantes Tyndaridas.» *R.*

1. *Versoque vado.* Aqua remis agitata, hortos post se relinquant. *R.*

2. *Remittant.* Plurimi codd. At Erasmus: *remittat.* J. Scaliger *remigant*, laudat Virgil. Æn. VIII, 96: « viridesque secant placido æquore silvas, » i. e. navigant placido alveo fluvii inter ripas silvis consitas. *Remi iciant h.* emend. Lipsius. *Ruhk.*

3. *Quid? si quis.* Non Mæcenatis hæc verba, sed Senecæ esse conjicit Schweigh. Supplend. *diceret.*

4. *Feminæ cinno crispatæ labris columbatur. Cinno,* non *circo a. c. A.* tum *crispat et labr. a. R. Crispate* (i. e. *crispatæ*) *et labr. c. A. Schw.* — *Femina cirro crispat* Muret. *Feminæ cirro crispat* Erasmus. Codd. vel uni vel alteri lectioni favent. *R.*

5. *Labris columbatur.* Laudat Scaliger Cn. Mattii Mimiambum ap. Aul. Gell. XX, 9: « Columbulatim labra conserens labris. » *Ruhk.*

6. *Cervice lassa fanantur nemoris tyranni.* Sic prorsus ms. *a.* et *fanantur* habent etiam *c. A. lassa* vero *a. c. R. A.* alii vulgo *laxa. Schw.* — Ruhk. edidit: *ut cervice laxa feratur nec more.* Alii, inquit, *c. lassa, lapsa sanantur*, et in ora Erasm. *suaviantur.* Lipsius conj. *fanatur* i. furit atque insanit. Pro *nec more* alii *nemore*, alii *ne mori*, quidam *nec more*: quod ultimum præfert Lips. jungitque cum prioribus, et de bacchantibus ultra morem explicat. Recepi.

7. *Irremediabilis factio.* Ruhkopf. dat *Tyranni irremediabilis factio*, explicatque: tertium exemplum est super tyrannide, cujus *irremediabilis* ἀνηκέστου, implacabilis, satellites in conviviis et poculis insidiantur, et delationibus suis exitium struunt.

8. *Et spe.* Sc. ms. *a. Cum spe c. A. Et sæpe* vulgo ex *R. Schw.*

9. *Tenuisve cerei fila.* Sic edd. olim, cum *a. c. R. A. Tenuisve Cereris fila* ed. Ruhk. ex Scaligeri conject. *S.* — Sic, inquit Ruhk. suam tuens lect. optime Jos. Scaliger in Elegiam de obitu Mæcenatis (Wernsdorf. Poet. Lat. min. Vol. III p. 155 sqq.) restituit, quum omnes codd. et edd. præbeant: *tenuisve Cerei s. Cere*: i. farinam in molendino per fistulam manantem, quoniam tenuis ejus ductus ut *fili*: intell. quod attinet, κανά: implent farina et mola falsa focum litandi causa propter Genium. Qui *cerei* defendunt, explicant ut Lipsius: lumen ibi tenue: cereus vix ceratus. Sed in tuguriolo pauperrimo de cereo vix cogites. *Ruhk.* — Deparcum homi-

Digitized by Google

crepacem molam : — focum mater aut uxor investiunt. » — Non statim, quum hæc legeris, hoc tibi occurret, hunc esse, qui solutis tunicis in Urbe semper incesserit? ([1]nam, etiam quum absentis Cæsaris partibus fungeretur, signum a discincto[2] petebatur :) hunc esse, qui in tribunali, in 7
rostris, in omni publico cœtu, sic apparuerit, ut pallio velaretur caput[3], exclusis utrimque auribus, non aliter, quam in mimo *Divites*[4], fugitivi solent? hunc esse, cui, tunc maxime[5] civilibus bellis strepentibus, et sollicita urbe et armata, comitatus hic[6] fuerit in publico, spadones duo, magis tamen viri quam ipse? hunc esse, qui uxorem millies duxit, quum unam habuerit[7]? Hæc verba tam improbe structa, tam negligenter abjecta, tam contra consuetudinem omnium posita, ostendunt, mores quoque non minus novos et pravos et singulares fuisse. Maxima laus[8] illi tribuitur mansuetudinis : pepercit gla- 8
dio, sanguine abstinuit; nec ulla alia re, quid posset, quam licentia, ostendit. Hanc ipsam laudem suam corrupit istis orationis portentosissimæ deliciis : apparet enim mollem fuisse, non mitem. Hoc istæ ambages compositionis, hoc verba transversa, hoc sensus, magni quidem

nem describit qui nec genium genii festo placat. *Lips.*

1. *Nam quum... fungeretur.* Præfectus Urbis et Italiæ. Vide Tacit. Annal. VI, 11. Elegia in obitum Mæc. 27. Petronius de Mutat. Reip. rom. (ap. WVernsdorf. P. L. M. Vol. III, p. 26 sqq.) *Ruhk.*

2. *Discincto.* Parum militari : opp. accinctus, præcinctus. Ruben. de Re Vestiar. I, 6; Ep. XCII, fin. *Ruhk.*

3. *Hunc esse.... caput.* Fortassis, quæ est WVielandii ingeniosa conjectura, propter perpetuam, qua laborabat, febrim. Plin. N. H. VII, 51. Alias est delicatorum. Cf. Lipsii Amphitheatr. c. 20. *Ruhk.*

4. *Divites.* Rectius forsan *Divite* ed. Ruhk. ex Lipsii conject. *Schw.*

5. *Tunc maxime*, non *quum maxime*, *a. c. R. A. Schw.*

6. *Comitatus hic fuerit.* Sic fiduciam, quam in populo reponeret, optime monstravit publice. Cf. WVieland. l. l. p. 15. *Ruhk.*

7. *Quum unam habuerit.* Terentiam, cum qua assidua jurgia, divortia, iterumque conjugia. Vide de Provident. 3, 9.

8. *Maxima laus... ostendit.* Te-

Digitized by Google

sæpe, sed enervati dum exeunt, cuivis manifestum facient. Motum illi felicitate nimia caput; quod vitium hominis interdum esse, interdum temporis, solet.

9 Ubi luxuriam [1] late felicitas fudit, luxus [2] primum corporum esse diligentior incipit; deinde supellectili laboratur; deinde in ipsas domos impenditur cura, ut in laxitatem ruris excurrant, ut parietes advectis trans maria marmoribus fulgeant, ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum respondeat nitor; deinde ad cœnas lautitia transfertur, et illic commendatio ex novitate et soliti ordinis commutatione captatur, ut ea [3], quæ includere [4] cœnam solent, prima ponantur, ut [5], quæ ad-
10 venientibus dabantur, exeuntibus dentur. Quum assuevit animus fastidire quæ ex more sunt, et illi pro sordidis solita sunt; etiam in oratione, quod novum est, quærit: et modo antiqua verba atque exoleta revocat ac profert; modo fingit ignota, ac deflectit [6]; modo id, quod nuper increbuit, pro cultu habetur, audax translatio ac frequens. Sunt, qui sensus præcidant, et hinc gratiam sperent, si sententia pependerit, et audienti suspicionem sui
11 fecerit: sunt, qui illos detineant et porrigant [7]. Sunt,

tigit hæc Elegiæ in obitum Mæcenatis auctor 15: «Omnia quum posses tanto tam carus amico, Te sensit nemo posse nocere tamen.» Cf. Wieland. l. l. p. 7 sq. *Ruhk.*

1. *Ubi luxuriam* rel. Conf. Tacit. Ann. III, 53 sq. *Ruhk.*

2. *Luxus.* Hoc ferunt vett. libri omnes; sed blandiri utique poterat *cultus*, quod ex Mureti ing. vulgatum est *Schw.*

3. *Ut ea, quæ... ponantur.* Quippe mensæ, ait Plutarch. VIII Convival. quæst. c. 9, (To. XI p. 388 sq. Hutt.) laudante Lipsio, quæ prius appellabantur frigidæ, ostreorum, echinorum, crudorum olerum (e. c. lactucæ, Martial.), ab ultimo agmine ad frontem traductæ, locum nunc obtinent primum. *Ruhk.*

4. *Includere, a. c. R. A. Claudere* vulgo. *Schw.*

5. *Ut... dentur.* Munera quæ apophoreta, xenia vocata sunt. *Ruhk.*

6. *Fingit ignota, ac deflectit.* Vulgo *fingit, et ignota deflectit. Schw.*

7. *Sunt qui illos detineant et porrigant.* Sex verba omissa in ed. Mat. typothetæ errore. *Schw.*—Vertit *Lagrange: D'autres sont diffus et dé-*

Digitized by Google

qui non usque ad vitium accedant[1] (necesse est enim hoc facere aliquid grande tentanti[2]), sed qui ipsum vitium ament. Itaque, ubicumque videris orationem corruptam placere, ibi mores quoque a recto descivisse, non erit dubium. Quomodo conviviorum luxuria, quomodo vestium, ægræ civitatis indicia sunt: sic orationis licentia, si modo frequens est, ostendit animos quoque, a quibus verba exeunt, procidisse.

Mirari quidem non debes, corrupta excipi non tantum 12
a corona sordidiore[3], sed ab hac quoque turba[4] cultiore; togis enim inter se isti, non judiciis, distant. Hoc magis mirari potes, quod non tantum vitiosa, sed vitia laudentur[5]. Nam illud semper factum est: nullum[6] sine venia placuit ingenium. Da mihi, quemcumque vis, magni nominis virum; dicam, quid illi ætas sua ignoverit, quid in
illo sciens dissimulaverit. Multos tibi dabo[7], quibus vitia 13
non nocuerint; quosdam, quibus profuerint. Dabo, inquam, maximæ famæ et inter miranda propositos; quos, si quis corrigit, delet: sic enim vitia virtutibus immixta

veloppent longuement leurs pensées.

1. *Non usque ad vitium accedant.* Intell. qui non ii sint, ut forte in vitium incidant (quod necessario evenit cuilibet magna tentanti), sed qui ipso vitio delectentur.

2. *Necesse est.... tentanti.* Hic sibi ipsi excusationem Seneca abrupti et suspiciosi, ut vocat, styli parare videtur.

3. *A corona sordidiore.* Plebe, cujus *togæ* sordidiores, magis pallentes ac obsoletæ, quum ditiorum togæ fuerint elegantes et a fullone niveæ. Cf. Lipsius in Electis, I, 14. *Ruhk.*

4. *Turba cultiore.* Nitida et splendenti: senatore et equite. *Lips.*

5. *Sed vitia laudentur.* Sic libri vett. præbent. Vulgo *sed et vitia laudantur. Schw.*

6. *Nullum sine... ingenium.* Cuicumque vitia sua fuere, quæ « aut incuria fudit, Aut humana parum cavit natura. ... Quandoque bonus dormitat Homerus. » (Horat. Art. Poet. 352, 359.) Exemplo esse possunt et antiquiores et recentiores auctores, qui multum perdent, si ipsis v. c. gratam negligentiam vel jucundam loquacitatem, etc. ademeris. Inde factum, ut nullus fere fuerit, qui mastige s. censore suo caruerit. *Ruhk.*— *Sine venia*, int. cui nihil ignoscendum fuerit.

7. *Multos tibi dabo.* Abest *tibi* vulgo. *Schw.*

Digitized by Google

sunt, ut illas secum tractura sint. Adjice nunc, quod oratio certam regulam non habet. Consuetudo illam civitatis, quæ nunquam in eodem diu stetit, versat. [1] Multi ex alieno sæculo petunt verba; duodecim Tabulas loquuntur; Gracchus [2] illis, et Crassus [3], et Curio, nimis culti et recentes sunt; ad Appium usque et ad [4] Coruncanium
14 redeunt. Quidam contra, dum nihil nisi tritum et usitatum volunt, in sordes incidunt. Utrumque diverso genere corruptum est, tam mehercules [5], quam nolle nisi splendidis [6] uti, ac sonantibus, et poeticis; necessaria, et in usu posita, vitare: tam hunc dicam peccare, quam illum. Alter se plus justo colit, alter plus justo negligit; ille et crura [7], hic ne alas quidem, vellit.

Ad compositionem transeamus. Quot genera tibi in
15 hac dabo, quibus peccetur? Quidam præfractam [8] et aspe-

1. *Multi.... redeunt.* Hoc vitium imprimis sæculo secundo post Christum invaluit, Antoninorum ætate, unde nobis Gellius et Appuleius conservati sunt, qui eloquentia ævi sui non contenti, relicto Cicerone et quocumque ei simillimo, κακοζηλίαν sequerentur, quam noster castigat. *R.*

2. *Gracchus* Tiberius. Magna floruit eloquentia quum potentiam optimatum oppugnaret: occisus est anno urbis conditæ 621. Jam ab illius cæde prope ducenti anni elapsi erant, quo tempore Seneca florebat.

3. *Crassus.* Romanorum, Cicerone judice, eloquentissimus, quem idem Cicero inducit loquentem in lib. *de Oratore*, florebat circiter annum 650 urbis conditæ. Curio Crasso paulo posterior fuit. Vide de his oratoribus Cic. De Clar. Orat.

4. *Coruncanium. Coruncanum* edd. In *c. A.* et *R.* misere corruptum vocab. Sed in *Coruncatum*, quod habet ms. *a.* haud dubie latebat *Coruncanium.* Haud raro in hoc cod. litteræ *t* et *i* inter se permutantur: sic paulo ante pro *venia*, perperam *venta* in eodem scribitur. *Schw.* — Coruncanius consul fuit anno urbis conditæ 472.

5. *Tam mehercules.* Subintellige: tam in sordes incidere, quam nolle, etc.

6. *Quam nolle nisi splendidis.* Sic commode ms. *a.* Alii, *quam si nollent splend.* Bene haberet, *quam si nollent nisi splend.* Vulgo, *quam si vellent splend. Schw.*

7. *Ille et crura*, quod effeminati solent. *Hic nec alas quidem vellit*, atque ita hircum olet. Illud, Quintil. I, 6, 44, teste, non carebat reprehensione: nec hæc omissio placebat, ne gravis hircus i. e. odor hirsutis cubaret in alis. Vide Horat. Epod. XII, 5, et Doering. ad Catul. LXIX, 5. *R.*

8. *Quidam præfractam.... percu-*

Digitized by Google

ram probant; disturbant de industria, si quid placidius effluxit; nolunt sine salebra esse juncturam; virilem putant et fortem, quæ aurem inæqualitate percutiat. Quorumdam non est compositio, modulatio est; adeo blanditur, et molliter labitur. Quid de illa loquar, in qua verba differuntur, et, diu exspectata, vix ad clausulas [1] redeunt? Quid de illa in exitu lenta, qualis Ciceronis est, devexa, et molliter detinens [2]; nec aliter, quam solet [3], ad morem suum pedemque respondens? Non tantum in genere sen- 16
tentiarum vitium est, si aut pusillæ sunt et pueriles, aut improbæ, et plus ausæ, quam pudore salvo licet; sed si floridæ sunt [4], et nimis dulces; si in vanum exeunt, et, sine effectu, nihil amplius quam sonant.

Hæc vitia unus aliquis inducit, sub quo tunc eloquentia est: cæteri imitantur, et alter alteri tradunt. Sic Sallustio vigente, amputatæ sententiæ, et verba ante exspectatum cadentia, et obscura brevitas, fuere pro cultu. Arrun- 17
tius [5], vir raræ frugalitatis, qui *Historias belli Punici* scripsit, fuit Sallustianus, et in illud genus nitens [6]. Est apud Sallustium: « exercitum argento fecit [7], » id est, pecunia

tiat. Opponitur oratio æqualiter ingrediens, Cic. Orat. 58, ita ut non sit mox lenis et fluens, mox hiulca et aspera. Cf. Cic. Or. 16; Quintil. 9, 4, 142. *Ruhk.*

1. *Redeunt*, non *redduntur*, libri nostri omnes cum Pincian. et Grut. *Schw.*

2. *Detinens*, iidem libri: non *desinens*, quod est ab Erasmo. *Schw.*

3. *Nec aliter, quam solet.* Int. eodem semper incessu procedens: sæpe Ciceroni exprobratum fuit, quod illius compositioni deesset varietas.

4. *Sed si floridæ sunt.* Dubitavi de particula *sed*, quam veteres libri omnes ignorant, a Mureto ex conjec. adjecta: quam tamen, quoniam sine tali quadam conjunctione vix ratio constare videtur orationi, facile patiar reduci. *Schw.*

5. *Arruntius.* Sub Augusto vixit, qui idem esse videtur, qui a. U. c. 732 Consul fuit, et egregius orator. Cf. Voss. de Historic. lat. I, 18, p. 90 sq. ed. fref. *Ruhk.*

6. *In illud genus nitens.* I. illi generi operam dans: Horatianum illud « nitimur in vetitum, » affert Grut., ne cum Mureto a *niteo* deducas. *R.*

7. *Exercitum argento fecit.* Huic Sallustii sententiæ et sequenti Cor-

Digitized by Google

paravit. Hoc Arruntius amare cœpit; posuit illud omnibus paginis. Dicit quodam loco : « fugam nostris fecere. » Alio loco : « Hiero, rex Syracusanorum, bellum fecit. » Et alio loco : « Quæ audita [1] Panormitanos dedere Romanis fecere. » Gustum tibi dare volui : totus his contexitur
18 liber. Quæ apud Sallustium rara fuerunt, apud hunc crebra sunt et pæne continua; nec sine causa : ille enim in hæc incidebat, at hic illa quærebat. Vides autem, quid sequatur, ubi alicui vitium pro exemplo est. Dixit Sallustius : « aquis hiemantibus [2]. » Arruntius *in primo libro belli Punici* ait : « repente hiemavit tempestas. » Et alio loco, quum dicere vellet, frigidum annum fuisse, ait : « totus hiemavit annus. » Et alio loco : « Inde sexaginta onerarias, leves, præter militem et necessarios nautarum,
19 hiemante aquilone misit. » Non desinit omnibus locis hoc verbum infulcire. Quodam loco dicit Sallustius : « Inter arma civilia [3] æqui bonique [4] famas petit. » Arruntius non temperavit, quo minus *primo* statim *libro* poneret : « ingentes esse famas de Regulo. »

Hæc ergo et ejusmodi vitia, quæ alicui impressit imitatio, non sunt indicia luxuriæ nec animi corrupti : propria enim esse debent, et ex ipso nata, ex quibus tu æstimes alicujus affectus. Iracundi hominis iracunda oratio est; commoti nimis, incitata; delicati, tenera et fluxa.

tius locum assignavit in fragmentis libri VI Hist. *Ruhk.*

1. *Quæ audita... fecere.* Int. quæ audita fecerunt, ut Panormitani se dederent Romanis.

2. *Aquis hiemantibus.* Fuere qui has voces occurrere putarent Bell. Jug. c. 37, ubi tamen nunc legitur : « hiemalibus aquis. » Lipsius laudat Horat. II Serm. 2, 17 : « et atrum Defendens pisces hiemat mare. » *R.*

3. *Inter arma civilia.* Hunc locum prætermisit Cortius, et ipsum fragmentis inserendum. *Ruhk.*

4. *Æqui bonique*, a. c. *A. Æqui boni* edd. ex *R. Schw.* — *Famas.* Hoc reprehendit, ut nobis videtur, Seneca, quod vox *fama* in plurali numero dicatur, prorsus contra linguæ latinæ usum.

Digitized by Google

Quod vides istos sequi[1], qui aut vellunt barbam[2], aut 20
intervellunt[3]; qui labra pressius tondent et abradunt, servata et submissa cætera parte; qui lacernas coloris improbi[4] sumunt, qui perlucentem togam[5]; qui nolunt facere quidquam, quod hominum oculis transire liceat; irritant illos, et in se advertunt; volunt vel reprehendi, dum[6] conspici: talis est oratio Mæcenatis, omniumque aliorum, qui non casu errant, sed scientes volentesque.

Hoc a magno animi malo oritur. Quomodo in vino non 21
ante lingua titubat, quam mens cessit oneri, et inclinata vel perdita est[7]: ita ista oratio[8] (quid aliud quam ebrietas?) nulli molesta est, nisi animus labat. Ideo ille curetur: ab illo sensus, ab illo verba exeunt, ab illo nobis est habitus, vultus, incessus. Illo sano ac valente, oratio quoque robusta, fortis, virilis est: si ille procubuit, et cætera ruinam sequuntur.

..... Rege incolumi, mens omnibus una est:
Amisso, rupere fidem[9].

1. *Istos sequi.* Ruhk. interpretatur: Si quando vides istos imitari etc. hi nihil aliud agunt, nisi ut irritent homines etc. Quæ interpretatio nullum præbet sensum. Tota sententia a *quod vides*, ad *talis est orat. Mæc.* est comparationis primum membrum. Sensus est: Quales sunt ii qui *barbam vellendo*, etc. oculos in se advertunt, talis est oratio eorum qui volentes peccant, ut se conspicuos faciant.

2. *Vellunt barbam.* Cf. de Brevit. vit. c. 12 init. *Ruhk.*

3. *Intervellunt.* Passim vellunt; ita Tertullian. de cultu fœm. c. 8: «Proprias præstigias formæ et hic sexus (virilis) sibi agnoscit, barbam acrius cædere, intervellere. *Ruhk.*

4. *Coloris improbi.* Insolentis: pullus in usu vulgi erat, at delicati lacernas amethystini coloris aut coccinei sumebant. Cf. Lipsius in Elect. I, 13: e Martiali I, 96. *Ruhk.*

5. *Perlucentem togam.* Sericam, aut bombycinam, fœminarum exemplo. Similia vide ap. Clement. Alex. III, 3 Pædag. Portius Latro in Catilin. p. 1088 ed. Sallust. Cortianæ. *R.*

6. *Dum conspici.* Sic libri vett. omnes; non *dum conspiciantur*, quod sua auctoritate Muretus posuit. *Schw.*

7. *Vel perdita est.* Amisisse enim mentem dicitur, qui ejus usum; atque hoc melius quam *prodita*, ut male alii. *Lips.*

8. *Ita ista oratio... nulli molesta est n. a. l.* Int. nemo incidit in hanc molestam orationem, nisi a. l.

9. *Rege.... fidem.* Versus Virgilii

Digitized by Google

22 Rex noster est animus : hoc incolumi, cætera manent in officio, parent, obtemperant : quum ille paulum vacillavit, simul dubitant[1]. Quum vero cessit voluptati, artes quoque ejus, actusque marcent, et omnis ex languido fluxoque conatus est.

Quoniam hac similitudine usus sum, perseverabo. Animus noster modo rex est, modo tyrannus : rex, quum honesta intuetur, salutem commissi sibi corporis curat, et nihil illi imperat[2] turpe, nihil sordidum; ubi vero impotens, cupidus, delicatus est, transit in nomen de-
23 testabile ac dirum, et fit tyrannus. Tunc illum excipiunt affectus impotentes, et instant[3]; qui initio quidem gaudent, ut solet populus largitione nocitura frustra plenus, et, quæ non potest haurire, contrectat[4]. Quum vero magis ac magis vires morbus exedit, et in medullas nervosque descendere deliciæ; conspectu eorum, quibus se nimia aviditate inutilem reddidit[5], lætus, pro suis voluptatibus habet spectaculum alienarum, subministrator libidinum testisque, quarum usum sibi ingerendo abstulit : nec illi tam gratum est abundare jucundis, quam acer-

sunt Georgic. lib. IV, 212 sq. *Ruhk.*

1. *Simul dubitant.* Sic libri nostri cum aliis omnibus : et merito revocavit hoc Ruhk. defensum a Gronov. contra Muret. a quo *nutant* erat invectum. *Titubant* maluerat Lipsius. *Schw.* — Non male.

2. *Nihil illi imperat.* Leve est, sed non tacendum : mutata duarum vocum sede scriptum volueram, *et illi nihil imp.* ut recte dabant *a. c. A.* cum Gruteri cod. Deerat vulgo *illi. Schw.*

3. *Et instant... gaudent.* Sic libri vett. Vulgo *instantque... gaudet :* scilicet juncta putaverant ista, *gaudet... et contrectat.* Sed *gaudent* refertur ad *affectus; contrectat* autem ad *populum :* scilicet, *populus, frustra plenus largitione nocitura,* ita *solet gaudere;* nempe, *contrectat et quæ* (i. e. etiam ea quæ) *non potest haurire. Schw.* — Forsan alia est constructio : sicut populus *plenus frustra* (quia licet plenus, nondum satiatus est); gaudet *largitione nocitura*, quæ illi nocebit, quia jam plenus est.

4. *Et, quæ non potest haurire, contrectat.* Vertit *Lagrange : Et gâte ce qu'elle ne peut consommer.*

5. *Quibus se nimia aviditate inutilem reddidit.* Bene vertit *Lagrange : Dont son avidité l'a rendu incapable de jouir.*

Digitized by Google

bum, quod non omnem illum apparatum per gulam ventremque transmittit, quod non cum omni[1] exoletorum feminarumque turba convolutatur; mœretque, quod magna pars suæ felicitatis, exclusa corporis angustiis, cessat. Numquid enim, mi Lucili, in hoc furor non est[2], quod nemo nostrum mortalem se cogitat? quod nemo imbecillum? imo in illo, quod[3] nemo nostrum unum esse se cogitat? Adspice culinas nostras, et concursantes inter tot ignes coquos[4]: unum videri putas ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus? Adspice veterana nostra[5], et 25
plena multorum sæculorum vindemiis horrea: unum putas videri ventrem, cui tot consulum regionumque vina cluduntur[6]? Adspice, quot locis vertatur terra, quot millia colonorum arent, fodiant; unum videri putas ventrem,
cui et in Sicilia, et in Africa seritur? Sani erimus, et 26
modica concupiscemus, si unusquisque se numeret, et metiatur[7] simul corpus, sciat quam[8] nec multum capere,

1. *Quod non cum omni.* Sic. *a. c. A.* Aberat vulgo *quod* h. l. *Schw.*

2. *In hoc furor non est.* Perperam vulgo *hic furor est*: sed *in hoc* dedere vett. libri omnes; particula *non* autem, quæ deest aliis, rette adjecta erat in ed. *A.* et mss. Pal. 2, 3 et Col. nonnullisque Pinciani codicibus. *S.*

3. *Imo in illo, quod*, etc. Sic unus probus cod. Pinc. Nude *imo quod* edd. inde ab Erasm. *in illo quod* (absque *imo*): *a. R. in illo etiam quod. Schw.*

4. *Coquos.* Vulgg. edd. *coquos nostros* ex *R.* sed *nostros* recte ignorant *a. c. A. Schw.*

5. *Veterana nostra*, *sc.* horrea. Ex eod. cod. Pinc. hoc probaverat Gron. et adoptavit Ruhk. consentiente ms. *c.* et ed. *A.* Nec vero spernendum *veteraria*, quod habet ms. *a.* et olim edd. ex *R. S.*—Horat. III, Od. XXVIII, 7: « Parcis deripere horreo Cessantem Bibuli consulis amphoram. »

6. *Consulum regionumque vina cluduntur.* Ita omnes mss. et Edd., præterquam quod unus Pinc. cod. habebat: *tot climatum r. v. conduntur*, unde Muretus hausit: editio vetus præstat: *tot climatum r. v. cludntur. Ruhk.*

7. *Et metiatur.* Sic *c. A.* Abest *et* edd. ex *R.* et mss. *a. Schw.*

8. *Sciat quam*, non *sciatque*, dant *a. c. A.* pro quo vitiose *sciat quem* scribitur in *R.* Denique *possit* non *posse*, *a. c. A. Schw.* — Int. Sciat quam parum capere possit, et quam parvo tempore, quod cepit, servare possit.

Digitized by Google

nec diu possit. Nihil tamen æque tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio brevis ævi, et hujus incerti. Quidquid facies, respice ad mortem. Vale.

EPISTOLA CXV.

DESCRIBIT VIRTUTIS PULCHRITUDINEM : INDE IN AMOREM DIVITIARUM.

Quum intellexisset, Lucilium sermonis aut stili nimis anxium esse, suadet ut illam sollicitudinem deponat, et non tam curet quemadmodum, sed quid scribat, sive potius quid sentiat, sibique applicet. Esse illam curam anxiam signum animi minuti : cum fiducia esse scribendum loquendumque, sine quæsito ornatu. Talis nobis animus boni viri appareret, si liceret inspicere ; cujus amore nemo non arderet. Perspicere tamen virtutem hanc poterimus, si aciem animi liberare impedimentis voluerimus, quæ latius exsequitur commendans philosophiam, quippe quæ una solidam felicitatem præstat. Ad hanc non oratio concinna perducet, nisi animus rectus adsit, beneque formatus.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Nimis anxium esse te circa verba et compositionem, mi Lucili, nolo : habeo majora quæ cures. Quære, quid scribas, non quemadmodum ; et hoc ipsum, non ut scribas, sed ut sentias : ut illa, quæ senseris, magis applices tibi, et veluti signes[1]. Cujuscumque orationem videris sollicitam et politam, scito animum quoque non minus esse
2 pusillis occupatum. Magnus ille remissius loquitur et securius : quæcumque dicit, plus habent fiduciæ, quam

1. *Et veluti signes.* Veluti signo impresso munias, ne elabantur, ne eripiantur. Metaphora a vasis, quæ signare solemus custodiæ causa. *L.* —Muretus : veluti signa quædam eorum in animo tuo imprimas, ne de-

Digitized by Google

curæ. Nosti complures juvenes, barba et coma nitidos, de capsula totos[1]; nihil ab illis speraveris forte, nihil solidum. Oratio vultus animi est[2]: si circumtonsa[3] est, et fucata, et manufacta, ostendit illum quoque non esse sincerum, et habere aliquid facti[4]. Non est ornamentum 3
virile, concinnitas[5].

Si nobis animum boni viri liceret inspicere[6], o quam pulchram faciem, quam sanctam, quam ex magnifico placidoque fulgentem videremus; hinc justitia, illinc fortitudine, hinc temperantia prudentiaque lucentibus! Præter has[7], frugalitas, et continentia, et tolerantia, et liberalitas[8] comitasque, et (quis credat?) in homine rarum

leantur. Sic et Græci dicunt ἐνσημαίνειν. Equidem assentior Lipsio. *R.*

1. *De capsula totos.* Qui semper ita munditiæ student compti politique, ut vestes eorum semper quasi e *capsula* i. arcula, in qua conduntur, (cf. de Tranq. Anim. c. 1, nostræ edit. p. 286, not. 3) recenter prolatæ videantur. *R.*—Bene vertit *Lagrange: Qui semblent sortir d'une boîte.*

2. *Oratio vultus animi est.* Sic Schw. at Ruhk. *cultus*: sic, inquit, Erasm. et palatini quinque: optime cum præcedentibus cohæret. Muretus aliique: *vultus.*

3. *Si circumtonsa*, etc. A cultu comæ loquendi formulas desumptas esse ad nimium orationis ornatum describendum, nota res. Quis v. c. ignorat cincinnos et fucum et calamistros, quos Augustus, Seneca al. in Mæcenate persecuti sunt et irriserunt? Suet. Aug. 86. Auctor Dial. de corr. Eloq. 26 p. 105 ed. Schulz. *Ruhk.*

4. *Habere aliquid facti. Fracti* edd. cum *a. c. R. A. Ficti* Pal. 3. *Fracti aut ficti* Pal. 2. et Col. Verum judicavi *facti*, servatum in uno Pal. 1 quod jam olim ex conject. commendaverat Henr. Steph. et nuper probavit Matth. in Programm. *Schw.*

5. *Non est ornamentum virile, concinnitas.* Quatenus nimiam orationis venustatisque accurationem artisque captationem comprehendit. Alias et in laude ponitur, habetque locum in iis omnibus dicendi formulis, in quas certa aliqua verborum vel ordinis, vel intervalli, vel magnitudinis dimensio cadit. Conf. Ernesti Lexic. technol. lat. rhet. vocab. *Concinnitas*, p. 77. *Ruhk.*

6. *Si nobis animum boni viri liceret inspicere* rel. Respexit Noster haud dubie illa Platonis (Phædr. X To. p. 329 d.) celeberrima, quæ ad Ep. LXXXIX, 1, adduxi laudatis Cicer. locis huc spectantibus. Sequentes virtutes egregie explicavit Cicero de Officiis I, 5 etc. Cf. Garve ad Ciceron. I, p. 60 sqq. *Ruhk.*

7. *Præter has*, etc. I. e. et eæ virtutes, quæ istis quatuor virtutibus cardinalibus comprehenduntur. *R.*

8. *Liberalitas* e quatuor pal. reduxi. Antea: *libertas. Ruhk.*

Digitized by Google

humanitas bonum, splendorem illi suum affunderent!
4 Tum providentia, tum elegantia, et ex istis magnanimitas eminentissima, quantum, Dii boni, decoris illi, quantum ponderis gravitatisque adderent! quanta esset cum gratia auctoritas! Nemo illam [1] amabilem, qui non simul venerabilem, diceret. Si quis viderit hanc faciem, altiorem fulgentioremque quam cerni inter humana consuevit; nonne, velut numinis occursu, obstupefactus resistat,
5 et, ut fas sit vidisse [2], tacitus precetur? tum, [3] evocante ipsa vultus benignitate, productus [4] adoret ac supplicet; et, diu contemplatus multum exstantem, supraque mensuram solitorum inter nos aspici elatam, oculis, mite quiddam [5], sed nihilominus vivido igne flagrantibus; tunc deinde [6] illam Virgilii nostri vocem verens atque attonitus emittat:

O! quam te memorem, virgo? namque haud tibi vultus [7]
Mortalis, nec vox hominem sonat. O Dea certe [8]!
Sis felix; nostrumque leves quæcumque laborem!

1. *Illam.* Sc. faciem. Sic Pinc. et Gruteri codd. Antea: *illum. Ruhk.*

2. *Et, ut fas sit vidisse.* I. e. et, si supponas permitti, etc.—Haud dubie respexit noster ad illam notam antiquitatis opinionem, et deos invisere homines, et interdum se visui eorum subjicere sua specie, idque non sine mortis periculo: hinc lucem accipiunt ἀ· *tacitus precetur.* Cf. Heynii Excurs. ad Virg. Æn. I, 402 sq. *R.* — Apud Livium lib. I: « Proculus, conspecto Romulo, venerabundus adstitit, precibus petens, ut contra intueri fas esset.» Et L. Vitellius in Dione, quum Caligula rogasset, « Ecquid cum Luna congredientem se vidisset? abjectis in terram oculis: Nam vobis Diis, Domine, inquit, solis inter vos licet videre.» *Lips.*

3. *Tum, evocante ipsa.* Sic antiqua editio et nonnulli codd. ap. Gruter. Erasmus: *Tamen evocante ipsum.* Muretus: *Tum evocante ipsum.* Lipsius: *Tum advocante ipsum*, nescio unde. *Ruhk.*

4. *Productus.* Ut bono sit animo, metu omni rejecto prodeat ad illam. Describit autem ut Deam, majorem et ampliorem omni humana specie; uti Dii Deæque se conspiciendos dare solerent. Cf. Heynium l. l. *Ruhk.*

5. *Mite quiddam.* Restitui ex vett. libris. *Mite quidem* ed. Mur. et seqq. *Miti quidem* ed. Ruhk. *Schw.*

6. *Tunc deinde.* Sic *a. c. A.* et Pal. 2, 3. Vulgo *tum demum. Schw.*

7. *Vultus.* Virgilii versus sunt Æn. I, 327 sq. *Ruhk.*

8. *O Dea certe!* In versu Virgilii

Digitized by Google

Aderit, levabitque, si colere eam voluerimus. [1] Colitur 6
autem, non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec auro argentoque suspenso [2], nec in thesauros [3] stipe infusa; sed pia et recta voluntate.

Nemo, inquam, non amore ejus arderet, si nobis illam videre contingeret: nunc enim multa [4] obstrigillant, et aciem nostram aut splendore nimio repercutiunt, aut obscuritate [5] retinent. Sed si, quemadmodum [6] visus ocu- 7
lorum quibusdam medicamentis acui solet et repurgari, sic nos aciem animi liberare impedimentis voluerimus, poterimus perspicere Virtutem, etiam obrutam corpore, etiam paupertate opposita, etiam humilitate [7] et infamia objacentibus; cernemus, inquam, pulchritudinem illam, quamvis sordido obtectam. Rursus æque malitiam [8] et ærumnosi [9] animi veternum perspiciemus, quamvis multus circa divitiarum radiantium splendor impediat, et intuentem hinc honorum [10], illinc magnarum potestatum,

secundo tres Palat. addunt τὰ· *O dea certe!* Omittunt plurimi et ant. edd. Sed non video, quare omiserit Seneca. Reduxi. *Ruhk.*

1. *Colitur... voluntate.* Eadem sententia egregie exposita est Ep. XCV, 47 sq. *Ruhk.*

2. *Suspenso.* Donarii loco in formas redacto. *Ruhk.*

3. *Stipe.* Varro de L. L. IV, 36 p. 50 bip.: « Diis, quum thesauris asses dant, stipem dicunt. » Cf. De Benef. VII, c. 4; Lipsius ad Taciti Annal. XIV, 15. *Ruhk.*

4. *Obstrigillant.* Ita legere se tradit Pincianus: receperunt Muretus et Lipsius una cum Gronovio. Codd. et Erasm. habent *obsigillant:* alii *obstigillant*, *obstigallant.* Turneb. Advers. 30, 3, prætulit *obsigillant*, i. e. occludunt. Stephanus et Gesner. in Thes. probant *obstrigillant*, i. e. obstant. Editio antiqua præbet *obsuggillant. Ruhk.*

5. *Obscuritate retinent. Obscure* vulgo; ex Mureti ingenio: *obscuro* editt. vett. et mssti. Probavi conjecturam Pinciani; ut opponantur ista duo, *splendore* et *obscuritate. Schw.*

6. *Sed si, quemadmodum.... repurgari, sic nos aciem*, etc. Sic meliores libri. Vulgo *Sed quemadm.... sic et nos aciem. Schw.*

7. *Etiam humilitate*, *a. c. A. Et humil.* edd. ex *R. Schw.*

8. *Malitiam.* Aversionem a bono. *Ruhk.*

9. *Ærumnosi.* Malis obtecti. Moneo, ne emendationem Gronovii *æruginosi* præferas. *Ruhk.*

10. *Honorum.* Temere *bonorum* ed. Bipont. et Ruhk. *Schw.*

Digitized by Google

8 falsa lux verberet. Tunc intelligere [1] nobis licebit, quam contemnenda miremur, simillimi pueris, quibus omne ludicrum in pretio est. Parentibus quippe, nec minus fratribus, præferunt parvo ære empta monilia [2]. « Quid ergo inter nos et illos interest, ut Ariston [3] ait, nisi quod nos circa tabulas et statuas insanimus, carius inepti [4]? » Illos reperti in littore calculi læves, et aliquid habentes varietatis, delectant; nos ingentium maculæ columna-
9 rum; sive ex Ægyptiis arenis, sive ex Africæ solitudinibus advectæ, porticum aliquam vel capacem populi cœnationem ferunt. Miramur parietes tenui marmore inductos: quum sciamus, quale sit quod absconditur [5], oculis nostris imponimus. Et, quum auro [6] tecta perfudimus [7], quid aliud quam mendacio gaudemus? scimus enim sub illo auro fœda ligna latitare. Nec tantum parietibus aut lacunaribus ornamentum tenue prætenditur; omnium istorum,
10 quos incedere altos [8] vides, bracteata felicitas [9] est. In-

1. *Tunc intelligere*, etc. Cf. Nostrum de Constant. Sapient. 12, 2, ubi similia occurrunt. Notam ibi appositam emendes, ita ut nonnisi de ædificiorum Romæ luxuriose exstruendorum et expoliendorum ratione exponat. *Ruhk.*

2. *Monilia.* Ab Erasmo est. *Mobilia* tenent msstl. *a. c.* cum ed *R. A.* et Ven. *Schw.*

3. *Ariston.* Una editio antiqua habet: *Aristoteles.* — De *Aristone*, cf. ad Ep. LXXXIX, 11. Aristonem Ep. XCIV egregie disputantem recordaberis his non dissimilia. *Ruhk.*

4. *Carius inepti.* Nihil interest, nisi quod nostræ ineptiæ majori constant pretio, quam quæ pueri concupiscunt.

5. *Quale sit quod absconditur.* Scilicet vilia saxa absconduntur.

6. *Et, quum auro*, etc. Laminis aureis, quibus ligna superinducebantur: moneo, ne cum Jo. Beckmanno *Beytrage zur Gesch. der. Erfind.* I, p. 57, de vernice quodam auri colorem mentiente cogites. *Ruhk.*

7. *Perfudimus, a. R.* Vulgo *perfundimus*, cum. *c. A. Schw.*

8. *Altos.* Non probat Bentl. ad Horat. Serm. II, 3, 183 et legi vult: *latos.* Sed omnes codd. et edd. tuentur vulg. recte. *Ruhk.*

9. *Bracteata felicitas.* Bractea est membrana, lamina: *bracteata felicitas* ergo est felicitas non solida, sed ficta. Lipsius laudat (e Stob. Floril. Serm. 47) dictum Antigoni Gonatæ, qui mulierculæ felicitatem ejus admiranti respondit: « O mulier, si scires, quantum mali sub hoc diademate lateat, nec humi jacens tolleres. » *Ruhk.*

Digitized by Google

spice, et scies[1], sub ista tenui membrana dignitatis, quantum mali jaceat[2].

Hæc ipsa res, quæ tot[3] magistratus, tot judices detinet[4], quæ et magistratus[5] et judices facit[6], pecunia, ex quo in honore esse cœpit, verus rerum honor cecidit: mercatoresque et venales invicem facti, quærimus, non quale sit quidque, sed quanti. Ad mercedem[7] pii sumus, ad mercedem impii. Honesta, quamdiu aliqua illis spes inest, sequimur; in contrarium transituri, si plus scelera promittent[8]. Admirationem nobis parentes auri argenti- 11.
que fecerunt[9]; et teneris infusa cupiditas altius sedit, crevitque nobiscum. Deinde totus populus, in alia discors, in hoc convenit; hoc suspiciunt, hoc suis optant, hoc Diis, velut rerum humanarum maximum, quum grati videri volunt, consecrant. Denique eo mores redacti sunt, ut paupertas maledicto probroque sit, contempta divitibus, invisa pauperibus. Accedunt deinde carmina Poeta- 12
rum, quæ affectibus nostris facem subdant, quibus divitiæ, velut unicum vitæ decus ornamentumque, laudantur. Ni-

1. *Scies*, non *disces*, dant mss. *a. c. R. A. Schw.*

2. *Jaceat*, *a. c. R.* Non *lateat*. Vitiose *liceat* ed. *A. Schw.*

3. *Quæ tot magistratus*. Perperam vulgo omittunt h. l. *quæ*, et dein inserunt *quæ ex quo*, etc. *Schw.*

4. *Tot judices detinet*. In litibus cognoscendis et finiendis. *Lips.*

5. *Quæ et magistr. et jud.* Temere omissa vulgo priori loco *et* particula. *Schw.*

6. *Et judices facit*. Non tangit ambitum, aut quod emerint dignitatem, sed significat ex censu et opibus magistratus et judices fieri: quod Romæ obtinebat. *Lips.*

7. *Ad mercedem.... impii*. Probi sumus si sperata merces nobis probitatem suadet; improbi, si improbitatem. Vertit *Lagrange*: *Nous sommes honnêtes gens pour de l'argent; nous sommes fripons pour de l'argent.*

8. *Promittent* dedit ms. *a.* et Pal. 2. Vulgo *promittunt*. *Schw.*

9. *Admirationem... parentes auri... fecerunt*. Nostras *Boileau* in Sat. VIII (quæ tota conferri meretur), patrem inducit sic filium docentem:

Prends-moi le bon parti, laisse-là tous les livres.
Cent francs au denier cinq, combien font-ils? — Vingt livres.
— C'est bien dit: va; tu sais tout ce qu'il faut savoir.

Digitized by Google

hil illis melius nec dare videntur Dii immortales posse, nec habere.

Regia Solis erat sublimibus alta columnis,
Clara micante auro[1].

13 Ejusdem currum aspice :

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo.

Denique, quod optimum videri volunt *sæculum, aureum* appellant. Nec apud græcos Tragicos[2] desunt, qui lucro innocentiam, salutem[3], opinionem bonam mutent[4].

14 Sine me vocari pessimum, ut dives vocer[5].
An dives, omnes quærimus : nemo, an bonus.
Non quare, et unde[6] : quid habeas, tantum rogant.
Ubique tanti quisque, quantum habuit, fuit.
Quid habere nobis turpe sit, quæris ? Nihil.
Aut dives opto vivere, aut pauper mori.
Bene moritur, qui moritur dum lucrum facit[7].

1. *Auro*. Versus sunt Ovidii Metam. II, 1 et 2, 107 sq. *Ruhk*.

2. *Græcos Tragicos*. Priorem vocem, quæ deerat vulgo editis, dedere *a. c. A*. Perperam *apud Grammaticos* ed. *R. Schw*. — Ruhkopfius omisit *Græcos*, quam vocem contendit non ab auctore nostro, sed a viro quodam docto explicandi causa in marginem appictam esse, et sic in contextum irrepsisse.

3. *Salutem*. Retineo *salutem*, etsi libri vacillant : nam sequentia verba dicunt, etiam vitam et salutem sperni præ lucro : quid verba ? res ipsa quotidie. *Lips*.

4. *Mutent*. Cum eisdem *a. c. A*. scripsi, pro vulgato *mutant*. *Schw*.

5. *Vocer*. Duodecim hos senarios ad Bellerophontem retulit Barnesius, quos tanquam ex Eurip. Bellerophonte dederat P. Scriverius in Tragic. Lat. Reliquiis p. 184. Sed Lipsius subnotavit, septem priores non unius poetæ esse, sed plurium, extremos quinque autem Euripidis. Quod judicium calculo suo confirmavit præstantissimus harum rerum arbiter, Valckenarius in Diatribe sua egregia p. 165 sq. Primos septem versus, judicat, non potuisse continuos in scena pronuntiari, sed e diversis esse sedibus, et e diversis Euripidis et Sophoclis fabulis sumptos. Græcos versus quinque ultimos habes in Eurip. fragm. XV, To. II ed. Lips. p. 432. *Ruhk*.

6. *Non quare et unde*. Juven. Sat. XIV, 207 : « Unde habeas quærit nemo, sed oportet habere. » *Lips*.

7. *Qui moritur dum lucrum facit*. Vulgo, *qui dum moritur, lucrum facit*. Verborum ordinem, quem secuti sumus, præiverunt *a. c. R. A*. qui quidem omnes *quisquis*, pro *qui* dabant, contra metri legem. *Schw*.

Digitized by Google

Pecunia ingens[1] generis humani bonum, 15
Cui non voluptas matris, aut blandæ[2] potest
Par esse prolis, non sacer meritis parens.
Tam dulce si quid Veneris in vultu micat,
Merito illa amores cælitum atque hominum movet.

Quum hi novissimi versus in tragœdia Euripidis pronuntiati essent, totus populus ad ejiciendum et actorem et carmen consurrexit uno impetu; donec Euripides in medium ipse prosiluit, petens, ut exspectarent[3], viderentque, quem admirator auri exitum faceret. Dabat in 16
illa fabula pœnas Bellerophontes[4], quas in sua quisque dat. Nulla enim avaritia sine pœna est, quamvis satis sit ipsa pœnarum. O quantum lacrimarum, o quantum laborum exigit! quam misera[5] desiderates, quam misera partis est! Adjice quotidianas sollicitudines, quæ pro modo habendi quemque discruciant. Majore tormento pecunia

1. *Pecunia ingens.* Hæc ex Euripide, sive ipse, sive alius transtulit. Græci quidem in Stobæi Ser. LXXXIX: «ὦ χρυσὲ, δεξίωμα κάλλιστον βροτοῖς. Ὡς οὐδὲ μητὴρ ἡδονὰς τοίας ἔχει, Οὐ παῖδες ἀνθρώποισιν, οὐ φίλος πατήρ. Εἰ δ'ἡ Κύπρις τοι οὗτον ὀφθαλμοῖς ὁρᾷ, Οὐ θαῦμ' ἔρωτας μυρίους αὐτὴν τρέφειν.» Vertit liberius, sed elegantissime, et puto, ipse. Mouno, Græcos etiam in IV libro Athenæi legi, et versu uno auctiores, sed quem Seneca hic neglexit. *Lips.*

2. *Blandæ.* Temere *blanda* ed. Bipont. et Rubk. *Schw.*

3. *Ut exspectarent.* Sic Muretus correxit. Veteres libri omnes *spectarent* dabant, quod tenendum judicassem cum Grutero, nisi et alibi subinde perperam *spectare* pro *exspectare* a librariis nostris positum meminissem, veluti Epist. C. *Schw.*

4. *Pœnas Bellerophontes.* Si poetarum est ille Bellerophontes, nescio quid illi cum auro. Ambitione an superbia cælum affectasse lego, et Pegaso jam subvolantem, excussum a Jove et occisum: de avaritia, quæ hic tangitur, quærendum est. *Lips.*— *Bellerophontes.* Cf. Apollodori Bibl. II, 3 ibique Heynium. Euripides in hac tragœdia adversam Bellerophontis fortunam, quam Homer. Iliad. ζ, 200 innuit, exsecutus est, eumque pede debilem, mendicum et pannis obsitum (χωλόν, πτωχὸν καὶ ῥάκια ἐνδεδυμένον) uti Schol. ad Aristophan. Pac. 146 Acharn. 431 docent, atque, secundum Senecam, auri amantissimum repræsentaverat. *Rubk.*

5. *Quam misera... est.* Torquetur cupidine acquirendi, quæ non habet; torquetur cura et sollicitudine servandi quæ habet. Bene vertit *Lagrange: Combien est-elle malheureuse, et par les choses qu'elle de-*

Digitized by Google

possidetur, quam quæritur. Quantum damnis ingemiscunt, quæ et magna incidunt, et videntur majora! Denique, ut[1] nihil illis fortuna detrahat, quidquid non
17 acquiritur, damnum est. — At felicem illum homines, et divitem vocant, et consequi optant, quantum ille possidet. — Fateor. Quid ergo? tu ullos esse conditionis pejoris existimas, quam qui habent et miseriam[2], et invidiam? Utinam, qui divitias optaturi[3] essent, cum divitibus deliberarent! utinam, honores petituri, cum ambitiosis et summum adeptis dignitatis statum! profecto vota mutassent; quum interim illi nova suscipiunt, quum priora damnaverint[4]. Nemo enim est, cui felicitas sua, etiam
18 si cursu venit, satisfaciat. Queruntur et de consiliis, et de processibus suis[5]; maluntque semper quæ reliquerunt.

Itaque hoc tibi Philosophia præstabit, quo equidem nihil majus existimo: nunquam te pœnitebit tui. Ad hanc tam solidam felicitatem, quam tempestas nulla concutiat, non perducent te apte verba contexta, et oratio fluens leniter. Eant, ut volent; dum animo compositio sua constet, dum sit magnus, et opinionum securus[6], et ob ipsa, quæ aliis displicent, sibi placens; qui profectum suum

sire, et par celles qu'elle possède!

1. *Ut nihil.* Int. etiamsi nihil.

2. *Et miseriam, et invidiam.* Invidentur, quia felices creduntur, dum contra miseri sunt.

3. *Optaturi.* Sic dedere *a. R.* Palat. 2, 4. Col. Alii vulgo *appetituri. Schw.*

4. *Quum priora damnaverint.* Sic vett. libri omnes, uno quodam Pinciani excepto, e quo vulgatam scripturam *qui priora damnaverant* adscivit Mur. *Schw.* — Int. vota ipsi mutarent, quum viderent illos divites et ambitiosos nova vota inchoare, postquam priora damnaverint, ut pote quæ speratam felicitatem minime afferrent.

5. *Et de processibus suis.* Queruntur quod bene processerint in obtinendis iis, quæ optaverant; quum ea ipsa non talia fuerint qualia speraverant.

6. *Et opinionum securus.* Quid alii de illo opinentur securus, ut pote vulgi opinionem spernens. Editi tamen olim, et quidam scripti, *opinionum suarum securus*, quod plane diversum esset, signaretque firmum et certum decretorum. *Lips.*

Digitized by Google

vita æstimet[1], et tantum scire se judicet, quantum non cupit, quantum non timet[2]. Vale.

1. *Profectum suum vita æstimet.* Id est, agendi ratione sua, non felicitate : qui se profecisse credat, non quum honores aut pecunias comparaverit, sed quum melior factus fuerit.

2. *Et tantum scire... timet.* Sc. ut judicet quantum sciat, consideret, quantum non timeat, quantum non cupiat; quia scientia omnis in hoc est, ut nec timeas, nec cupias.

EPISTOLA CXVI.

OMNINO EXPELLENDOS ESSE AFFECTUS.

Stoicum dogma defendit contra Peripateticos, exscindendos esse affectus, non temperandos. Nam voluptates vitiaque alioquin tibi imperabunt : et præstat voluptatibus imperare. Naturales esse, nihil nisi merus prætextus est : fluunt quidem affectus a quodam quasi naturali principio, sed cave nimium indulgeas, ne vitium fiat : certiore consilio iis utaris. Hæc confirmavit Panætius. Quæ quidem dura videntur hominibus, qui Stoæ non assentiuntur, sed eorum mollities in causa est; non ex eo oritur quod non possint.

Cf. Lipsii Manuduct. III, 7, et Tiedemann *System d. stoisch. Philos.* III, p. 187 sqq.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

« Utrum satius sit, modicos habere affectus, an nullos, » sæpe quæsitum est. Nostri illos expellunt[1]. Peripatetici temperant. Ego non video, quomodo salubris esse

1. *Nostri illos expellunt.* Hanc Stoicorum opinionem impugnavit Noster *La Fontaine*, lib. XII, 20, in fabula inscripta *le Philosophe Scythe*, cujus materiam ex Aul. Gellio sumptam, et eleganter more suo ornatam sic conclusit, postquam hunc nobis philosophum ostendit pulcherrimos arborum ramos amputantem :

Il tronque son verger contre toute raison,
Sans observer temps ni saison,
Lunes ni vieilles ni nouvelles :
Tout languit et tout meurt. Ce Scythe exprime bien
Un indiscret Stoïcien :
Celui-ci retranche de l'ame
Desirs et passions, le bon et le mauvais,

Digitized by Google

aut utilis possit ulla mediocritas morbi[1]. Noli timere! nihil eorum, quæ tibi non vis negari, eripio; facilem me, indulgentemque præbebo rebus, ad quas tendis, et quas aut necessarias vitæ, aut utiles, aut jucundas [2]putas:
2 detraham vitium. Nam quum tibi *cupere* interdixero, *velle*[3] permittam; ut eadem illa intrepidus facias, ut certiore consilio, ut voluptates[4] ipsas magis sentias. Quidni ad te[5] magis perventuræ sint, si illis imperabis, quam si servies?

Sed naturale est[6], inquis, ut desiderio amici torquear; da jus lacrimis[7] tam juste cadentibus. Naturale est opinionibus hominum tangi, et adversis contristari: quare mihi non permittas hunc tam honestum malæ opinionis metum? — Nullum est vitium sine patrocinio; nulli non initium verecundum est et exorabile: sed ab hoc latius
3 funditur[8]. Non obtinebis, ut desinat, si incipere permiseris. Imbecillus est primo omnis affectus; deinde ipse se

Jusqu'aux plus innocens souhaits.
Contre de telles gens, quant à moi, je réclame.
Ils ôtent à nos cœurs le principal ressort;
Ils font cesser de vivre, avant que l'on soit mort.

1. *Mediocritas morbi.* I. e. affectus, quia Stoicis morbi vocantur. Illa mediocritas, ἡ μεσότης, eo constat, ut medium teneat inter vitia duo, et canon est ethices peripateticæ. Cf. Buhle *Lehrbuch der Gesch. der Philos.* III p. 28 sq. Garve *Uebersicht der vornehmsten Princip. der Sittenlehre*, p. 2 sqq. Cf. etiam Seneca de Ira I, 7 sqq. *Ruhk.*

2. *Putas.* Recte *a. c. A.* vulgo *putes. Schw.*

3. *Velle.* Voluntas enim Stoicis bona et inter εὐπαθείας est. Lipsii Manud. III, 5. *Ruhk.*

4. *Ut voluptates ipsas magis sentias.* Vides hic apathiam ita circumscriptam, ut, impetu temerario exclu-so, certius atque securius consilium, atque ideo rationis usum adhibendum jubeatur. *Ruhk.*—*Ipsas.* Recte *a. c. A.* non *illas. Schw.*

5. *Quidni ad te... sint?* Sic Schw. ex suis scriptis; ubi minus recte edd. *Quidni? ad te... sunt.*

6. *Sed naturale est, inquis.* Ut Peripatetici solent, qui vulgares homines intellexere, quum Stoici de sapiente suo, sive ad sapientiam virtutemque enitente summis viribus, loquerentur. *Ruhk.*

7. *Da jus lacrymis.* Sic dedimus cum Schw. Ruhk. *datus lacrymis*, id est, traditus. Sic, inquit, omnes scripti et cusi libri. Sed Muretus conj. *da tempus*, Lipsius: *da jus.* At non opus est conjectura. Vulgata bene habet.

8. *Ab hoc latius funditur.* Sic recte

Digitized by Google

concitat, et vires, dum procedit, parat : excluditur facilius, quam expellitur. Quis negat, omnes affectus a quodam quasi naturali fluere principio[1] ? Curam nobis nostri natura mandavit; sed, huic ubi nimium indulseris, vitium est. Voluptatem natura necessariis rebus admiscuit, non ut illam peteremus[2], sed ut ea, sine quibus non possumus vivere, gratiora nobis illius faceret accessio : si suo veniat jure[3], luxuria est. Ergo intrantibus resistamus[4], quia facilius, ut dixi, non recipiuntur, quam exeunt. — Aliquatenus, inquis, dolere, aliquatenus timere permitte ! — Sed illud *aliquatenus*[5] longe producitur; nec, ubi vis, accipit finem. Sapienti[6], non sollicite custodire se, tutum est; et lacrimas suas et voluptates, ubi volet, sistet : nobis, quia non est regredi facile, optimum est omnino non progredi. Eleganter mihi videtur Panætius[7] respondisse adolescentulo cuidam quærenti : An sapiens amaturus esset ? « De Sapiente, inquit, videbimus : mihi et tibi, qui adhuc a Sapiente longe absumus, non est committendum, ut incidamus in rem commotam, impotentem, alteri emancipatam[8], vilem sibi. Sive enim

4

5

ms. *a.* cum Pal. 1 et 4. Perperam vulgo *ob hoc. Schw.*

1. *Quasi naturali...principio?* Non enim vere naturali : nam sic boni essent affectus, quia esse nimium omne naturale non potest. Zeno autem perturbationes (s. affectus) voluntarias esse putabat, opinionisque judicio suscipi, etc. Cicer. Academ. I, 10. *Ruhk.*

2. *Non ut illam peteremus.* Tanquam summum bonum, æque ac Epicurei. Tiedemannus perperam hunc locum intellexit, III, p. 196, *Syst. R.*

3. *Si suo veniat jure.* Int. si veniat, non ut accessoria, sed principalis, non ut ministra, sed domina. *Lips.*

4. *Ergo intrantibus resistamus.* Vide I de Ira c. 7 et 8. *Lips.*

5. *Aliquatenus.* Spectant hæc ad Peripateticorum mediocritatem illam morborum s. affectuum. *Ruhk.*

6. *Sapienti... est.* Tutus est sapiens perfectus, etsi sine sollicitudine custodiat se.

7. *Panætius.* Rhodius, junior, celeberrimus Stoicus, quem Cicero in libro de Offic. plerumque sequitur, Scipionis minoris comes, multa scripsit, nunc deperdita. Cf. Fabricii Bibl. gr. Vol. III, p. 567 sq. *Ruhk.*

8. *Alteri emancip.* Quia tunc servi-

Digitized by Google

nos respicit[1], humanitate ejus irritamur; sive contempsit, superbia accendimur. Æque facilitas amoris, quam difficultas nocet : facilitate capimur, cum difficultate certamus. Itaque, conscii nobis imbecillitatis nostræ, quiescamus. Nec vino infirmum animum committamus, nec formæ, nec adulationi, nec ullis rebus blande trahentibus. »

6 Quod Panætius de amore quærenti respondit, hoc ego de omnibus affectibus[2] dico. Quantum possumus nos, a lubrico recedamus; in sicco quoque parum fortiter stamus. — Occurres hoc loco[3] mihi illa publica contra Stoicos voce : « Nimis magna promittitis, nimis dura præcipitis! Nos homunciones sumus, omnia nobis negare non possumus : dolebimus, sed parum; concupiscemus, sed
7 temperate; irascemur, sed placabimur. » — Scis, quare non possumus ista[4]? quia, nos posse, non credimus. Imo, mehercules, aliud est in re! Vitia nostra, quia amamus, defendimus; et malumus excusare illa, quam excutere. Satis natura homini dedit roboris, si illo utamur, si vires nostras colligamus, ac totas pro nobis, certe non contra nos, concitemus. Nolle in causa est[5]; non posse prætenditur. Vale.

mus alterius arbitrio, quem amamus.

1. *Respicit*, non *respexit*, *a. c. R. A.* Cui non repugnat, quod dein *contempsit* in præt. tempore ponitur. *Schw.* — Int. sive nos amor benigno vultu respicit, si nobis favet.

2. *De omnibus affectibus*. Postremum vocab. quod desideratur in aliis, commode dedit ms. *a. Schw.*

3. *Occurres hoc loco*, etc. Sæpius jam hanc querelam de rigida Stoæ secta vidimus, satis profecto convenientem molli et luxurioso sæculo, in quod Senecæ vita inciderat, vide e. c. de Clem. II, 4. *Ruhk.*

4. *Quare non possumus ista?* Scilicet omnino expellere affectus, atque animum nostrum eorum motibus liberum vindicare.

5. *Nolle in causa est : non posse prætenditur*. Vertit *Lagrange : Le défaut de volonté est la vraie raison; le défaut de pouvoir est le prétexte.*

Digitized by Google

EPISTOLA CXVII.

AN, QUUM SAPIENTIA BONUM SIT, ETIAM SAPERE.

Quærenti amico, an verum sit, quod Stoicis placeat : Sapientiam bonum esse, sapere bonum non esse? primum exponit, quid Stoicis videatur. Sapientiam, quippe efficientem quid et juvantem, et bonum et corpus dicunt esse, sapere non esse, utpote incorporale et accidens alteri, i. e. sapientiæ. Quibus quum instent Peripatetici aliique philosophi, et confutationibus affligant, necesse est ut cavillando effugiant. Itaque secedit Seneca, et sapientiam et sapere bonum putans : at utrumque differre contendit contra Peripateticos. Sed se revocat ab hujuscemodi disputationibus, aliaque proponit, de quibus quærendum esse philosopho monet, quippe quæ levant animum et formant, etc.

Cf. Argumentum Epist. CVI, CXIII. Addas Lipsii Physiolog. Stoic. II, 4.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Multum mihi negotii[1] concinnabis, et, dum nescis, in magnam me litem ac molestiam impinges, qui mihi tales quæstiunculas ponis, in quibus ego nec dissentire a nostris, salva gratia, nec consentire, salva conscientia, possum. — Quæris, *an verum sit*, quod Stoicis placet : « Sapientiam bonum esse, Sapere bonum non esse. » — Primum exponam, quid Stoicis videatur; deinde tunc dicere sententiam audebo. Placet nostris[2], quod bonum est, corpus esse; quia, quod bonum est, facit : quidquid facit, corpus est. Quod bonum est, prodest; faciat autem 2
aliquid oportet, ut prosit : si facit, corpus est. Sapien-

1. *Multum mihi negotii.* Perperam vulgo, et id invitis mustis, *mihi tibique.*—Verbum *concinnabis*, quod sequitur tenent libri nostri omnes. *S.*

2. *Placet nostris*, etc. Cf. ad Ep. CVI, 4. *Ruhk.*

Digitized by Google

tiam bonum esse dicunt : sequitur, ut necesse sit illam corporalem quoque dicere. At sapere non putant ejusdem conditionis esse. Incorporale est, et accidens alteri [1], id est, sapientiæ : itaque nec facit quidquam, nec prodest. — Quid ergo [2] ? inquit; non dicimus, *bonum est sapere?* — Dicimus, referentes ad id, ex quo pendet, id est, ad ipsam Sapientiam.

3 Adversus hos quid ab aliis respondeatur, audi, antequam ego incipio secedere [3], et in alia parte considere. — Isto modo, inquiunt [4], nec beate vivere bonum est. — Velint nolint, respondendum est, beatam vitam bonum esse, beate vivere bonum non esse. Etiamnunc nostris illud quoque opponitur : Vultis sapere : ergo expetenda res est, sapere : si expetenda res est, bonum est. —

4 Coguntur [5] nostri verba torquere, et unam syllabam *expetendo* interponere, quam sermo noster inseri non sinit. Ego illam, si pateris, adjungam. *Expetendum* est, inquiunt, quod bonum est : *expetibile* quod nobis contin-

1. *Et accidens alteri.* I. non existit per se, sed est quædam modificatio sapientiæ.

2. *Quid ergo? inquit; non dicimus, bonum est sapere?* Sic Schw. Ruhk. edidit : *Quid ergo? inquiunt : Non dicimus, Bonum est sapere : sapere*, etc. Sic plurimi codd. editioque antiqua : et nexus poscit. Antea ex Mureti lectione : *Quid ergo, inquiunt, non dicimus, Bonum est sapere? dicimus* etc. — Quasi adjectivi loco ponunt Stoici illud *sapere*, quod nec ponere, nec dicere quemquam putant nisi referentem ad sapientiam, eamque simul cogitando. *Ruhk.*

3. *Secedere... considere.* Hæc a senatu sumpta, ubi, quum Consul, Prætor, aliusque magistratus Senatum cogens, de re aliqua retulisset, atque, sententiis dictis, discessionem Senatorum permisisset, in hanc aut illam partem transierunt, qui hinc pedanei vocati sunt. Res notissima vel ex Adams aliisque compendiis. *Ruhk.*

4. *Inquiunt* Peripatetici.

5. *Coguntur.... non sinit.* Expetendum est αἱρετόν : quod *expetibile* est, et non petitur tanquam bonum, προσαιρετόν : *interponere* s. *inserere* h. l. idem valent quod *adjungere*. Sic Græci τῷ· αἱρετὸν addunt s. præfigunt πρὸς : quod Romani non possunt; nemo enim dixit *adexpetere*. Exprimi itaque hoc posse putavit Noster per : *expetibile*. *Ruhk.* — Nonnullæ tamen edd. e. c. Lips. et Bip. pro *expetibile* dant *adexpetendum*.

Digitized by Google

git[1], quum bonum consecuti sumus; non petitur tanquam bonum, sed petito bono accedit. — Ego non idem sentio, et nostros judico in hoc descendere, quia jam primo vinculo tenentur, et mutare illis formulam non licet.

Multum dare solemus præsumptioni[2] omnium homi- 5
num, et apud nos veritatis argumentum est[3], aliquid omnibus videri: tanquam, *Deos esse*, inter alia hoc colli-

1. *Expetibile, quod nobis contingit, quum bonum consecuti sumus.* Hæc est plana atque constans veterum librorum omnium scriptura: in qua quum nihil desideraretur, Muretus tamen, pro immoderata sua novandi libidine, suo arbitratu istam invexit, et Lipsio, et Gronovio aliisque doctissimis viris probatam, et nuper in ed. Matthiæ (postquam merito a Ruhkopfio repudiata fuisset) revocatam: *adexpetendum, quod bono contingit: quod, quum bonum consecuti sumus, non petitur*, etc. Ubi nescio quid magis mirer, intolerandam Mureti et importunam præsertim hoc loco ridiculamque licentiam, an facilitatem doctorum virorum, inventum istud sibi obtrusum tam æquo animo patientium. Nam, alia ut taceam præter rationem h. l. mutata, in vocabulo *expetibile*, quod a se fictum Seneca profitetur, quid est quod desiderari potuerit? aut monstrosum illud *adexpetendum* unde tandem arripuit Muretus? Scilicet græcum verbum, quod hic respexisset Seneca, statuit ille fuisse προσαιρετὸν, et ex hoc latinum procudit *adexpetendum*, quod Senecæ obtruderet. Atqui ipsum græcum προσαιρετὸν gratuito prorsus finxerat vir doctus: nec enim usquam (quod equidem noverim) græcum istud vocabulum eo, quo vult, significatu occurrit, aut ab ullo homine unquam usurpatum reperitur. Tum vero, si vel unquam a Græcorum aliquo usurpatum istud vocabulum reperiretur, non erat illud tamen id quod hic in animo habuerat Seneca. Nam diserte ipse ait, Græcum illud vocabulum ita formatum esse, ut *expetendo* (τῷ αἱρετῷ) *interponeretur una syllaba:* atqui in voc. προσαιρετὸν non *interposita*, sed *præposita* est syllaba. Græca vox, quam respexerat Seneca, haud dubie αἱρέσιμον erat: cui perapte respondet latinum *expetibile*, a philosopho nostro formatum. *Schw.* — *Expetibile* semel tantum adhuc apud Tacitum, Annal. 16, 21, 2, occurrit, nec ibi quidem tuto, quum Ernesti *exspectabilem* præferat. *Ruhk.*

2. *Præsumptioni.* Præceptæ opinioni, προλήψει. *Lips.*

3. *Veritatis argumentum est.* Merito, ait Lipsius; nam ipsa veritas græcis dicta ἀλήθεια, ὡς τὸ μὴ λῆθον: quod non lateat, sitque omnibus nota. — Exigui autem momenti esse hoc veritatis argumentum, quum historia dogmatum quorumcumque satis superque docet, tum philosophia subtilior probe evincit. Cæterum hoc argumentum Cicero quoque firmum vocat Tusc. I, 13, cf. de Legg. I, 8. Nat. D. I, 16. « Epicurus solus vidit,

Digitized by Google

gimus [1], quod omnibus insita de Diis opinio est, nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos Deos credat. Quum de animarum æternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut [2] colentium.
6 Utor hac publica persuasione : neminem invenies, qui non putet et sapientiam bonum, et bonum sapere [3].

Non faciam, quod victi solent, ut provocem ad populum [4] : nostris incipiamus [5] armis confligere. Quod accidit alicui, utrum extra id, cui accidit, est; an in eo, cui accidit? Si in eo est, cui accidit, tam corpus est, quam illud, cui accidit. Nihil enim accidere sine tactu
7 potest; quod tangit, corpus est. Si extra est, posteaquam acciderat, recessit; quod recessit, motum habet; quod motum habet, corpus est. Speras me [6] dicturum, non esse aliud cursum, aliud currere; nec aliud calorem, aliud calere; nec aliud lucem, aliud lucere. Concedo ista alia esse, sed non sortis alterius [7]. Si valetudo

primum esse deos, quod in omnium animis eorum notitiam impressisset ipsa Natura : ..... anticipationem quamdam deorum hanc appellat Epicurus πρόληψιν, etc. » *Ruhk.*

1. *Hoc colligimus* recte ms. *a.* et ed. *A.* Perperam *hæc c. R. Sic collig.* vulgo edd. *Schw.*

2. *Colentium.Æthera* adjecit Ruhk. cum nonnullis Pinciani et Grut. codicibus, quibus accedit noster *c.* et ed. *A.* Assumentum istud, merito improbatum Grutero, ignorat ms. *a.* eum ed. *R. Schw.*

3. *Et bonum sapere.* Aberat vulgo media vox. *Schw.*

4. *Ut provocem ad populum.* In arena et gladiatoriis pugnis, ubi qui succubuerat, populi opem et misericordiam implorabat. Lipsius in Saturnal, 2, 22. Cf. Ep. XXXVII, 2. *R.* — *Provocare ad populum* de iis quoque dicebatur, qui a magistratu quodam damnati, ad populi sententiam confugiebant. Vid. Tit. Liv. lib. II, c. 29 sq.

5. *Incipiamus*, non *incipiemus*, *a. c. R. A.* — *Nostris*, i. e. stoicis. *S.*

6. *Speras me dicturum, non esse aliud*, etc. Temere *speres* edd. *Schw.*

7. *Sed non sortis alterius.* Sic ejusdem sortis sunt, ut quod de uno dici potest, dici possit etiam de altero : nec videmus quomodo alia sint sapere et sapientia; nobis videtur idem variis nominibus expressum : nempe alterum alterius semper locum in sermone occupare potest, laxo forsan ser-

Digitized by Google

indifferens est, bene valere[1] indifferens est. Si forma indifferens est; et formosum esse. Si justitia bonum est, et 8
justum esse bonum est. Si turpitudo malum est, et turpem esse malum est: tam, mehercules, quam, si lippitudo malum est, lippire quoque malum est. Hoc ut scias, neutrum esse sine altero potest. Qui sapit, sapiens est; qui sapiens est, sapit. Adeo non potest dubitari, an, quale illud sit, tale hoc sit, ut quibusdam utrumque unum videatur atque idem. Sed illud libenter quæsierim: quum omnia aut bona sint, aut mala, aut indifferentia; sapere in quo numero sit? Bonum negant esse; malum utique non est: 9
sequitur, ut medium sit. Id autem medium atque indifferens vocamus, quod tam malo contingere, quam bono, possit[2]: tanquam pecunia, forma, nobilitas. Hoc, ut sapiat, contingere nisi bono non potest: ergo indifferens non est. Atqui ne malum quidem est, quod contingere malo non potest: ergo bonum est. Quod, nisi bonus, non habet, bonum est; sapere non nisi bonus habet: ergo bonum est.—Accidens est, inquit[3], Sapientiæ.— 10
Hoc ergo quod vocas sapere, utrum facit sapientiam, an patitur? Sive facit illud, sive patitur, utroque modo corpus est. Nam, et quod fit, et quod facit[4], corpus est: si corpus est, bonum est: unum enim deerat illi, quo minus bonum esset, quod incorporale erat.

Peripateticis placet, nihil interesse inter Sapientiam et sapere, quum in utrolibet eorum et alterum sit. Num-

monis usu, sed semper illæso sensu.

1. *Bene valere indifferens est.* Sic *R.* et *A.* Vulgo *et valere*, etc. Omnia ista desunt *a.* et *c.* Alia item nonnulla ex libris hic correximus; ut infra. *Qui sapit.... qui sapiens est*, ex *a. c. A.* ubi vulgo *Quod.... quod. S.*

2. *Possit* ms. *a.* Vulgo *potest. S.*

3. *Accidens est, inquit*, Stoicus. Vides, Peripateticos imprimis has Stoicorum disputationes impugnasse. Nobis tamen nihil ex eorum confutationibus relictum est. *Ruhk.*

4. *Quod fit, et quod facit, corpus est.* Vide Physiolog. Stoic. lib. II, Dissert. IV. *Lipsius.*

Digitized by Google

quid enim quemquam existimas sapere, nisi qui Sapien-
11 tiam habet? Numquid quemquam, qui sapiat, non putas habere Sapientiam? Dialectici veteres [1] ista distinguunt: ab illis divisio usque ad Stoicos venit. Qualis sit hæc, dicam [2]. Aliud est ager, aliud agrum habere: quidni? quum habere agrum ad habentem, non ad agrum pertineat. Sic aliud est Sapientia, aliud sapere. Puto concedes duo esse hæc, id quod habetur, et eum qui habet: habetur Sapientia; habet, qui sapit. Sapientia est mens perfecta, vel ad summum optimumque perducta; ars
12 enim vitæ est. Sapere quid est? Non possum dicere, mens perfecta; sed id, quod contingit perfectam mentem habenti. Ita alterum est, mens bona: alterum, quasi habere mentem bonam. Sunt, inquit, naturæ corporum; tanquam, hic homo est, hic equus: has deinde sequuntur [3] motus animorum enuntiativi corporum. Hi habent proprium quiddam, et a corporibus seductum: tanquam, video Catonem ambulantem; hoc sensus ostendit, animus
13 credit. Corpus est, quod video, cui et oculos et animum intendi. Dico deinde, *Cato ambulat*. Non [4] corpus, inquit, est, quod nunc loquor; sed enuntiativum quiddam de corpore, quod alii *effatum* vocant, alii *enuntiatum*, alii *dictum* [5]. Sic, quum dicimus Sapientiam, corpo-

1. *Dialectici veteres*: intelligit sectam eleaticam, in qua auctoribus Xenophane, Parmenide et Zenone Eleate dialectica viguit, et deinde ad sectam megaricam s. eristicam transiit, unde ad Stoicos pervenit. Cf. Bruckeri Hist. crit. Phil. T. I, p. 610 sq. et Buhlium in Commentatt. Soc. Reg. Sc. Gott. T. XI, p. 234 sq. *R.*

2. *Dicam*. Ms. *a. dicamus*. *Schw.*

3. *Has deinde sequuntur*. Int. et præter corpora sunt motus animi qui enuntiant quid de corporibus sentiat: atque hi motus non sunt corpora.

4. *Non corpus, inquit*. Sic *a.* et *R.* *Non corpus est quidem c. A.* Vulgo, *non corpus quidem est.* — *Non corpus.... corpore*. Hoc illud quod notat Sext. Empiricus lib. I, advers. Mathemat. c. 3: *Incorporeum aliquid apud Stoicos dici* λεκτόν quod Noster hic vertit *Effatum*, *Edictum*, *Enuntiatum*, *Enuntiatium*. *Lips.*

5. *Dictum*. Sic ms. *a.* Recte; nempe

Digitized by Google

rale[1] quiddam intelligimus : quum dicimus, *Sapit*, de corpore loquimur. Plurimum autem interest, utrum *illum* dicas[2], an *de illo*.

Putemus in præsentia, ista *duo* esse (nondum enim, 14
quid mihi videatur, pronuntio) : quid prohibet, quo minus *aliud* quidem sit, sed nihilo minus bonum? Dicebas paulo ante, aliud esse agrum; aliud, habere agrum. Quidni? in alia enim natura est, qui habet; in alia, quod habetur : illa terra est, hic homo est. At in hoc[3], de quo agitur, ejusdem naturæ sunt utraque, et qui habet Sapientiam, et ipsa, quæ habetur. Præterea illic aliud est, 15
quod habetur; alius, qui habet : hic in eodem est, et quod habetur, et qui habet. Ager jure possidetur; sapientia natura : ille abalienari potest et alteri tradi; hæc non discedit a domino. Non est itaque, quod compares inter se dissimilia. Cœperam dicere, posse ista *duo* esse, et tamen utraque bona : tanquam et Sapientia[4], et Sapiens duo sunt, et utrumque bonum esse concedis. Quo- 16
modo nihil obstat, quo minus et sapientia bonum sit, et habens sapientiam; sic nihil obstat, quo minus et sapientia bonum sit, et habere sapientiam, id est, sapere. Ego in hoc volo sapiens esse, ut sapiam. Quid ergo? non est id bonum, sine quo nec illud bonum est? Vos certe dicitis, Sapientiam, si sine usu detur, accipiendam non esse. Quis est usus sapientiæ? Sapere : hoc est in illa pretiosissimum; quo detracto, supervacua fit. Si tormenta 17

græc. λεκτόν. Cf. Sext. Emp. Pyrrh. II, 84. Vulgo *edictum*. *Schw*.

1. *Corporale quiddam* recte a. c. *R. A.* (conf. Sext. l. c.). Perperam *incorporale* vulgo, inde ab ed. Tarvis. *Schw*.

2. *Illum dicas*. Temere *illud dicas* vulgo edd. *Schw*.

3. *At in hoc de quo,... habetur*. Nam sapientia est mens perfecta, vel ad summum optimumque perducta. Cf. §. 11. *Ruhk*.

4. *Tanquam et Sapientia*, etc. Vulgo, *Sapientia et sapiens*, etc. et desunt duo priora verba. *Et sapientia*, etc. absque *tanquam*, habet ed.

Digitized by Google

mala sunt, torqueri malum est; adeo quidem, ut illa non sint mala, si, quod sequitur, detraxeris. Sapientia habitus perfectæ mentis est; sapere, usus perfectæ mentis. Quomodo potest usus ejus bonum non esse, quæ sine usu bonum non est? Interrogo te, an Sapientia expetenda sit? fateris. Interrogo, an usus sapientiæ expetendus sit? fateris: negas enim te illam recepturum, si uti ea pro-
18 hibearis. Quod expetendum est, bonum est. Sapere, sapientiæ usus est; quomodo eloquentiæ, eloqui [1]; quomodo oculorum, videre: ergo sapere, Sapientiæ usus est. Usus autem sapientiæ expetendus est; sapere ergo expetendum est: si expetendum est, bonum est. — Olim ipse me damno, qui illos imitor, dum accuso, et verba apertæ rei impendo. Cui enim dubium potest esse, quin, si æstus malum est, et æstuare malum sit? si algor malum est, malum sit algere? si vita bonum est, et vivere bonum [2] sit?
19 Omnia ista, *circa Sapientiam*, non in ipsa, sunt; at nobis *in ipsa* commorandum est. Etiam, si quid evagari libet, amplos habet illa spatiososque secessus. De Deorum natura quæramus; de siderum elementis [3], de his tam variis stellarum discursibus: an ad illarum motus nostra moveantur [4]; an corporibus omnium animisque illinc im-

R. Et tanquam Sapientia a. c. A. Satis erat, *tanquam sapientia*, absque *et* particula. *Schw.*

1. *Eloqui* dedit ms. *a.* Vulgo *loqui*, ubi primam vocalem absorpserat terminatio vocis præcedentis. *Schw.*

2. *Bonum sit.* Perperam *bonum est* edd. *Schw.*

3. *De siderum elementis.* Sic *c. R. A.* et Gruteriani quatuor; quod revocavit Ruhk. quum ex probato Pinciani libro *alimento* edidisset Mur. At hoc verum erat, idque ipsum tuetur noster ms. *a.* De *alimento siderum* multa quæsisse veteres, multaque delirasse, satis notum est. *Schw.* — *De siderum elementis.* E. g. solem esse purissimum ignem et quidem artificialem, quem Zeno νοερὸν, intellectu præditum appellabat. Posidonius et plerique Stoici lunam mixtam ex igne et aere statuunt, etc. Cf. Lipsii Physiolog. II, 13. *Ruhk.*

4. *Nostra moveantur.* Sic *a. c. R. A.* (*nostra*, i. e. res nostræ.) Vulgo *nostra moveantur corpora*, inde ab

Digitized by Google

petus veniat; an et hæc, quæ fortuita dicuntur, certa lege constricta sint, nihilque in hoc mundo repentinum, aut expers ordinis, volutetur? Ista jam a formatione morum 20
recesserunt; sed levant animum, et ad ipsarum, quas tractant, rerum magnitudinem attollunt. Hæc vero, de quibus paulo ante dicebam, minuunt, et deprimunt; nec, ut putas[1], exacuunt, sed extenuant. Obsecro vos! tam necessariam[2] curam, majoribus melioribusque debitam, in re, nescio an falsa, certe inutili, terimus? Quid 21
mihi profuturum est scire, an aliud sit sapientia, aliud sapere? quid mihi profuturum est scire, illud bonum esse, [hoc non esse[3]?] Temere me geram, subibo hujus voti aleam[4]: tibi Sapientia, mihi sapere contingat! pares erimus. Potius id age, ut mihi viam monstres, qua ad ista perveniam. Dic[5], quid vitare debeam, quid appetere; quibus animum labantem studiis firmem; quemadmodum, quæ me ex transverso ferunt aguntque[6], procul a me repellam; quomodo par esse tot malis possim; quo- 22

ed. Ven. *Schw.*—Tangit astrologiam, quam certe turpe erat sapientiam prosequenti inter philosophiæ studia collocare.

1. *Nec, ut putas.* In litteris tuis, quibus mihi has quæstiunculas ponis et commendas. *Ruhk.*

2. *Tam necessariam.* Vulgo, *cur tam necess.* ex ed. Ven. contra quam dabant vetustiores libri *a. c. R. A. S.*

3. *Illud bonum esse, hoc non esse?* Posteriora tria verba ex conject. adjecit Muretus: admodum probabiliter quidem: quare facile patiar abjici uncinos, quos illis circumdedi. Sed et in prioribus verbis mire variant libri: nam pro *illud*, *ille* habet ms. *a.* *illuc* ms. *c.* *id* ed. *A.* *quod* ed. *R.* *aliud* ed. Ven. *Schw.*

4. *Subibo hujus voti aleam.* Sic edd. ab Erasmo; commode: nam hoc poscere videtur id quod modo aiebat, *Temere me geram.* Sed et defendi poterat *subito*, secunda verbi persona, quod dabant *a. c. R. A.* et revocavit Ruhk. *Schw.*—At prorsus *subito* nullum acumen habet: nempe nulli periculo obnoxius est Lucilius cui relinquitur sapientia, quam concedunt omnes bonum esse: Seneca autem in periculo est, qui sibi vindicat sapere, quod stoici bonum esse negant; ideo *subibo* necessarium est.

5. *Dic, quid*, etc., *a. c. A.* Vulgo *Dic mihi, quid. Schw.*

6. *Ferunt aguntque.* Sic edd. ab Erasmo, cum ms. *c.* Sed *feriunt a. A. R.* Pinc. et Grut. quod recepit Ruhk.

Digitized by Google

modo istas calamitates removeam, quæ ad me irruperunt[1]; quomodo illas, ad quas ego irrupi. Doce, quomodo feram ærumnam sine gemitu meo, felicitatem sine alieno; quomodo ultimum ac necessarium vitæ terminum non exspectem, sed ipsemet, quum visum erit, profugiam[2]. Nihil mihi videtur turpius, quam optare mortem. Nam si vis vivere, quid optas mori? sive non vis, quid
23 Deos rogas quod tibi nascenti dederunt[3]? Nam, ut quandoque moriaris, etiam invito positum est; ut, quum voles, in tua manu est. Alterum tibi necesse est; alterum licet. Turpissimum his diebus principium diserti mehercules viri legi: « Ita, inquit[4], quamprimum moriar! » Homo demens! optas rem tuam: « Ita quamprimum moriar! » Fortasse inter has voces senex factus es: alioqui, quid in mora est? nemo te tenet; evade, qua visum est!
24 elige quamlibet rerum naturæ partem, quam tibi præbere exitum jubeas[5]! Hæc nempe sunt et [6] elementa, quibus hic mundus[7] administratur, aqua, terra, spiritus: omnia ista tam causæ vivendi sunt, quam viæ mortis. « Ita quamprimum moriar! » *Quamprimum* istud, quod esse vis[8]? quem illi diem ponis? citius fieri, quam optas,

Mihi tamen prius istud præferendum visum erat. *Schw.* — *Ferunt aguntque*, idem est ac græcum ἄγουσι, φέρουσι.

1. *Irruperunt... irrupi* tuetur editio prisca: alii: *eruperunt*, *erupi*. *Ruhk.* — *Irruperunt*, aliunde a Deo aut fato: non arcessitæ. *Irrupi*. Ipse mihi struxi, in quas sponte me indui. *L.*

2. *Profugiam*. E vita, ipse imponam vitæ meæ finem.

3. *Quod tibi nascenti dederunt*. Scilicet ut semper mori possis.

4. *Ita*, *inquit*. Omnes codd. et editio prisca habent: *Itaque*, et mox iterum: *Itaque*. Recte emendavit Pincianus utroque loco: *Ita*. Tertio tamen loco habet editio prisca: *Ita q. m.* Est enim voti formula. *Ruhk.*

5. *Quam tibi præbere exitum jubeas*. Sic libri vett. multo commodius quam vulgo *qua tibi præberi*, etc. *Schw.*

6. *Sunt et elementa*, *a. c. A.* Abest vulgo *et*. *Schw.*

7. *Hic mundus*. Nempe inferior: et ideo tria tantum nominat: quartum superioris mundi s. cæli est, i. e. ignis. *Ruhk.*

8. *Quamprimum istud, quod esse*

Digitized by Google

potest[1]. Imbecillæ mentis ista sunt verba, et hac detestatione[2] misericordiam captantis. Non vult mori, qui optat. 25
Deos vitam et salutem roga; si mori placuit, hic mortis est fructus, optare desinere.

Hæc, mi Lucili, tractemus; his formemus animum! Hæc est sapientia, hoc est sapere; non, disputatiunculis inanibus subtilitatem vanissimam agitare. Tot quæstiones fortuna tibi posuit: nondum illas solvisti; jam cavillaris. Quam stultum est, quum signum pugnæ acceperis, ventilare[3]! Remove ista lusoria arma; decretoriis[4] opus est.
Dic, qua ratione nulla animum tristitia, nulla formido 26
perturbet; qua ratione hoc secretarum cupiditatum pondus effundam. Agatur aliquid[5]! — « Sapientia bonum est, sapere non est bonum ». Sic fit, [ut] negemur sapere[6], ut hoc totum studium derideatur, tanquam operatum supervacuis.

Quid, si scires etiam illud quæri, « an bonum sit

vis? Int. quando cupis evenire illud quamprimum? si vere cuperes quamprimum mori, teipse statim occideres, nec horam naturæ exspectares.

1. *Citius fieri, quam optas, potest.* Quia, quum mors invocata aderit, tum mori noles. Hæc est fabula nostri *La Fontaine*: *La Mort et le Bûcheron*, lib. I, 16.

2. *Detestatione.* Significat hic obtestationem, nec compositio minuit vim verbi simplicis, sed auget. Est enim precatio et votum. *Lips.*

3. *Ventilare.* Proludere et brachia atque arma in speciem ventumque jactare. A theatris arenisque sumptum. Cf. Lipsium in Saturn. II, 19. Scriveri opp. philol. p. 21. *Ruhk.*

4. *Decretoriis* i. seriis, quibus de vita decernitur. Cf. de Clement. I, 14, Ep. CII, 24.

5. *Agatur aliquid.* Vertit *Lagrange*: *Venons au fait.*

6. *Sic fit, ut negemur sapere.* Voculam *ut* ex conject. adjeci, sed uncinis notavi, quo lectorem de conjectura non nimis certa monerem. *Sic fit, negemur sapere* dedit ms. *a. Sic fit: negemus sapere c. A. R.* Hinc Erasmus ex conject. edidit: *Sic sit. Negemus sapere.* Denique Muretus: *Sic sit: negemus sapere bonum esse. S.*—Int. sic, scilicet istis disputatiunculis, fit ut sapere negemur, nempe qui tantum impendimus studium acquirendæ rei supervacuæ: nempe in eo studemus ut sapiamus: atqui si *sapere* non bonum est, studemus in supervacuis. Forsan et verbum *supervacuis* spectat simpliciter ad futilitatem harum disputationum, quæ nullum fructum ferunt.

Digitized by Google

27 futura sapientia? » Quid enim dubii est[1], oro te, an nec messem futuram jam sentiant horrea, nec futuram adolescentiam pueritia viribus aut ullo robore intelligat? Ægro interim nihil ventura sanitas prodest; non magis, quam currentem luctantemque post multos secuturum menses otium[2] reficit. Quis nescit hoc ipso non esse bonum id, quod futurum est, quia futurum est? Nam, quod bonum est, utique prodest: nisi præ-
28 sentia, prodesse non possunt. Si non prodest, bonum non est[3]; si prodest, jam est. Futurus sum sapiens: hoc bonum erit, quum fuero; interim non est. Prius[4] aliquid esse debet, deinde quale esse. Quomodo, oro te, quod adhuc nihil est, jam bonum est? Quomodo autem tibi magis vis probari, non esse aliquid, quam si dixero, *futurum est?* Nondum enim venisse apparet, quod venit.
29 Ver secuturum est; scio nunc hiemem esse: æstas secutura est; scio æstatem non esse. Maximum argumentum habeo nondum præsentis, futurum esse. Sapiam, spero; sed interim non sapio: si illud bonum haberem, jam hoc carerem malo. Futurum est, ut sapiam: ex hoc licet, nondum sapere me, intelligas. Non possum simul et in illo bono, et in hoc malo esse. Duo ista non coeunt, nec apud eumdem sunt una, bonum et malum.

30 Transcurramus solertissimas nugas, et ad illa, quæ nobis aliquam opem sunt latura, properemus. Nemo, qui

1. *Quid enim dubii est..... horrea.* Int. certum est nullo modo posse fieri ut horrea sentiant messem futuram.

2. *Post multos secuturum menses otium.* Haud dubie vitiosum erat vulgatum, *post multos secut. sensus*, licet in hoc consentiant libri fere omnes. Magis etiam vitiosum, quod est in ms. *a. sense socium:* sed sub hoc latebat, puto, *menses otium. Schw.*

3. *Bonum non est.* Vocem *utique*, quam istis vulgo adjiciunt, ignorant *a. c. A.* In ed. *R.* ad sequentia refertur illa vox, *utique si prodest*, etc. *S.*

4. *Prius aliquid.... esse.* Int. antequam res aliqua ullas qualitates habeat, oportet eam rem esse: nam nullæ qualitates sine substantia sunt.

Digitized by Google

obstetricem [1] parturienti filiæ sollicitus arcessit, [2] edictum et ludorum ordinem perlegit : nemo, qui ad incendium domus suæ currit, tabulam [3] latruncularium perspicit, ut sciat, quomodo alligatus [4] exeat calculus. At mehercules 31
omnia tibi undique nuntiantur, et incendium domus, et periculum liberorum, et obsidium patriæ, et bonorum direptio : adjice istis naufragia, motusque terrarum, et quidquid aliud timeri potest. Inter ista districtus, rebus, nihil aliud quam animum oblectantibus, vacas? quid inter Sapientiam, et sapere intersit, inquiris? nodos nectis ac solvis, tanta mole impendente capiti tuo? Non tam 32
benignum ac liberale [5] tempus natura nobis dedit, ut aliquid ex illo vacet perdere! Et vide, quam multa etiam diligentissimis pereant : aliud valetudo sua cuique abstulit, aliud suorum; aliud necessaria negotia, aliud publica occupaverunt; vitam nobiscum dividit somnus. Ex hoc tempore, tam angusto et rapido, et nos auferente, quid juvat majorem partem mittere in vanum? Adjice nunc, 33
quod assuescit animus delectare se potius, quam sanare; et Philosophiam oblectamentum facere, quum remedium sit. Inter Sapientiam et sapere quid intersit, nescio : scio mea non interesse, sciam ista, an nesciam. Dic mihi :

1. *Nemo, qui obstetricem*, etc. Simile est Adagium græc. quod laudat Erasmus in Adag. I Chil. X Cent. III. 38 : Ἀνὴρ δὲ φεύγων οὐ μένει λύρας πόνον. *Ruhk.*

2. *Edictum*, etc. Libelli aut tabulæ in publico proponi solitæ (apud nos *affiches*) apparatum omnem ludorum, tempus, ordinem, etc. indicebant. Cf. de Benef. VI, 1, Lipsii Saturnal, II, 18. *R.* — Ante ludorum pugnas, ait Juretus, moris erat, ut editor libellos proponeret, in quibus dies futuri muneris, item nomina et paria gladiatorum; scilicet alliciendæ plebi, et exspectationi commovendæ.

3. *Tabulam latrunc.* (*jeux d'échecs*). Cf. ad Ep. CVI, 11, de Brevit. vit. c. 13, de Tranquill. c. 14. *Ruhk.*

4. *Alligatus*, qui ita obsessus, circumventus erat, ut moveri sine periculo non posset. Cf. Wernsdorfii Excurs. XI in To. IV Poet. Lat. minor. p. 413 sq. *Ruhk.*

5. *Non tam benignum ac liberale tempus.* Int. tam maligne et parce

Digitized by Google

quum, quid inter Sapientiam et sapere intersit, didicero, sapiam? Cur ergo potius inter vocabula me sapientiæ detines, quam inter opera? Fac me fortiorem, fac securiorem[1], fac fortunæ parem, fac superiorem! Possum autem superior esse, si [isto] direxero omne quod disco[2]. Vale.

nobis natura tempus dedit, ut nihil vacet ex illo perdere.

1. *Fac securiorem.* Vulgo *fac me secur.* invitis libris nostris. *Schw.*

2. *Si* [*isto*] *direxero omne quod disco.* Sic *a. c.* Pal. 3, et Pinc. nisi quod omittant vocem *isto*, quam ex conject. adjeci. Vulgo *si fecero* ex ora Er. *Si dicero* (sic) ed. *R. Si dixero* ed. Ven. et Erasm. cum Pal. 1, 2, 4, Col. *Si fecero vel dixero* ed. *A. S.* — Editio prisca: *si fecero vel direxero.* Lipsius emendat *si vixero. Ruhk.* — Int. Fortuna superior fiam, si isto omnem disciplinam direxero, ut illi superior fiam.

EPISTOLA CXVIII.

QUID SIT BONUM?

Exigenti a Seneca frequentiores epistolas amico respondet, se hoc munus defugere nolle, licet ille a promissis non steterit, et frequentiores missurum, non inanes, quales Ciceronis multæ sint, sed monitorum utilium uberes, atque sua potius quam aliena tractantes. Idcirco suadet, a fortuna nihil petere, nec ab ea pendere, sed privatam facere fortunam. Nam qui a fortuna pendent, per mala nituntur in malum, ignorantia veri et boni. Quærendum itaque est, quid sit bonum, quod alius alio modo finiverunt et expresserunt, et quid ab honesto differat. Omne bonum secundum naturam est, nec tamen quidquid secundum naturam est bonum.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Exigis a me frequentiores epistolas. Rationes conferamus[1]! solvendo non eris. Convenerat quidem, ut tua

1. *Rationes conferamus! Solvendo non eris* (supple *per*). Bene vertit *Lagrange: Comptons ensemble, et vous vous trouverez insolvable.*

Digitized by Google

priora essent; tu scriberes, ego rescriberem. Sed non ero difficilis : bene credi tibi scio; itaque in antecessum dabo [1]. Nec faciam, quod Cicero, vir disertissimus [2], facere « Atticum jubet, ut, etiam si rem nullam habebit, quod in buccam venerit, scribat. » Nunquam potest 2
deesse quod scribam, ut omnia illa, quæ *Ciceronis* implent *Epistolas*, transeam : « quis candidatus laboret; quis alienis, quis suis viribus pugnet; quis consulatum fiducia Cæsaris, quis Pompeii, quis arte petat [3]; quam durus sit fœnerator Cæcilius [4], a quo minoris [5] centesimis propinqui nummum movere non possint [6]. » Sua satius est mala, quam aliena, tractare; se excutere, et videre, quam multarum rerum candidatus [7] sit, et non suffragari [8]. Hoc est, mi Lucili, egregium, hoc securum ac 3
liberum; nihil petere, et tota fortunæ comitia transire.

Quam putas esse jucundum, tribubus vocatis, quum candidati in templis suis pendeant [9], et alius nummos

1. *In antecessum dabo.* Fori verbum aut argentariorum : valet, solvere priusquam dies cesserit. Vide de Benef. IV, cap. XXXII. *Lips.*—Florus dicit Cheruscos Suevos et Sicambros bellum Romanis intulisse « adeo certa victoriæ spe, ut prædam in antecessum pactione diviserint. »

2. *Cicero, vir disertissimus*, ad Atticum pleraque ista libro I. *Lips.*

3. *Quis arte petat.* Sic *c. A.* Pal. 2, 3, Pinc. Nec aliud debuerat ms. *a.* in quo *arce;* item Pal. 4, in quo *quis Crassi arte.* Olim *aperte* edd. ex *R. ab se*, ed. Gron. et sqq. ex Lipsii conjectura. *Schw.*

4. *Quam durus sit fœnerator Cæcilius*, etc. Verba fere sunt Ciceronis ad Attic. Ep. 1, 12. Cæcilius erat Attici avunculus. Vide Cic. Ep. ad Att. I, 1. *Ruhk.*

5. *Centesimis* (intell. partibus sortis) sc. usuris : quum singuli asses in mensem solvantur pro centenis, unde fiunt duodeni in annum (12 pro cent.). Cf. Ernesti Clav. Cic. sub voce : *Centesimæ. Ruhk.* — Si vera est Ruhk. interpretatio, erravit *Lagrange* qui vertit : *Cécilius, de qui ses proches ne peuvent emprunter un écu, que sur le pied de cent pour cent.*

6. *Possint*, *a. c.* Alii vulgo *possunt. Schw.*

7. *Multarum rerum candidatus.* Externarum et inanium : quas aspernetur judicio et ratione, etsi opinio et inclinatio eo vocent. *Lips.*

8. *Et non suffragari*, nihil facere, ut illarum rerum externarum et proinde inanium particeps fias. *Ruhk.*

9. *Quum candidati in templis suis*

Digitized by Google

pronuntiet, alius per sequestrem [1] agat, alius eorum manus osculis conterat [2], quibus designatus contingendam manum negaturus est; omnes, attoniti, vocem [3] præconis exspectant; — stare otiosum, et spectare [4] illas nundinas,
4 nec ementem quidquam, nec vendentem? Quanto hic majore gaudio fruitur, qui non prætoria aut consularia comitia securus intuetur, sed magna illa [5], in quibus alii honores anniversarios [6] petunt, alii perpetuas [7] potestates, alii bellorum eventus prosperos triumphosque, alii divitias, alii matrimonia ac liberos, alii salutem suam suorumque! Quanti animi res est, solum nihil petere, nulli supplicare, et dicere: « Nihil mihi tecum, Fortuna! Non facio mei tibi copiam! scio apud te Catones repelli,

pendeant, etc. Vides hic comitiorum mentionem eadem ratione habitorum, qua tempore reipubl. liberæ habita sunt: nec adversatur Tacitus Annal. I, 15 comitia e campo in curiam translata: ubi de magistratibus a Senatu, et non a populo creandis nonnisi novo imperatore succedente, sermo est. *Templa* intelligam de rostris s. tabernis editioribus, ubi candidati, teste Macrob: I, Saturn. 16, p. 282 bip. consistebant, ut et conspici, et suos hortari non sine sollicitudine ac bene excipere possent, æque ac hodieque apud Anglos in creandis senatoribus fieri solet. Cf. *Schneider. ad Varron. de Re Rust.* III, 2, 1. Flor. II, 12, ubi *templum*, i. e. tabernaculum occurrit. Lipsius exponit de templis Campo Martio vicinis, ad quæ candidatos divertisse et exitum comitiorum exspectasse conjicit. *Ruhk.*

1. *Sequestrem*, non *sequestrum*, *a. c. R. A. Schw.* — Non pronuntiet solum et promittat, sed nummos deponat et apud alium, fidei causa, consignet. *Lips.*

2. *Manus osculis conterat.* Vile et servile. Nam illi Dominis sic solent. Vide Electa nostra, lib. II, cap. de osculis. *L.* — De candidatorum ambitu conf. Adams I, p. 158 sq. *Ruhk.*

3. *Vocem præconis* qui creatum renuntiaret. *Ruhk.*

4. *Et spectare.... vendentem.* Nota est vitæ cum mercatu comparatio a Pythagora jam instituta, ap. Cicero. Quæst. Tuscul. V, 3 ibiq. Davies p. 347 sq. *R.* — Nobis hæc non generaliter de vita, sed de emptione suffragiorum dicta videntur.

5. *Sed magna illa.* Totius mundi comitia, præside Fortuna. *Ruhk.*

6. *H. anniversarios* magistratus: nam Senecæ tempore magistratus honorarii e. c. consules suffecti s. minores creabantur in dies mensesve. *Anniversarii* s. ordinarii in annum creati anno nomen dabant. Dio Cass. lib. XLVIII, 35. *Ruhk.*

7. *P. potestates*, i. e. regna, principatus: proprie munera summa provincialia. Cf. Ernesti clav. Cic. voc. *Imperium. Ruhk.*

Digitized by Google

Vatinios[1] fieri; nihil rogo! » Hoc est privatam[2] facere
Fortunam. — Licet ergo hæc invicem scribere, et hanc 5
integram semper egerere materiam, circumspicientibus
tot millia hominum inquieta; qui, ut aliquid pestiferi con-
sequantur, per mala nituntur in malum, petuntque mox
fugienda, aut etiam fastidienda. Cui enim assecuto satis
fuit, quod optanti nimium videbatur? Non est, ut existi- 6
mant homines, avida felicitas[3], sed pusilla : itaque ne-
minem satiat. Tu ista credis excelsa, quia longe ab illis
jaces; ei vero, qui ad illa pervenit, humilia sunt. Men-
tior, nisi adhuc quærit ascendere : istuc[4], quod tu sum-
mum putas, gradus est. Omnes autem male habet ignoran-
tia veri. Tanquam ad bona feruntur, decepti rumoribus :
deinde, mala esse, aut inania, aut minora quam spera- 7
verint, adepti ac multa passi, vident; majorque pars mi-
ratur ex intervallo fallentia, et vulgo magna pro bonis
sunt.

Hoc ne nobis quoque eveniat, quæramus, « quid sit
Bonum! » Varia ejus interpretatio fuit : finivit hoc alius
alio modo, alius illud aliter expressit. Quidam ita finiunt : 8
« Bonum est, quod invitat animos, quod ad se vocat. »
Huic statim opponitur : Quid? si invitat quidem, sed in
perniciem? scis, quam multa mala blanda sint. Verum,

1. *Vatinios*, scelestissimos homines : *cf.* de Constant. 17, 3. *R.* — Vatinius, tribunus plebis anno U. C. 695 Cæsaris partes maximo studio amplexus est : legem tulit Vatiniam, qua imperium Cæsari per quinque annos prorogabatur : quem ut Cæsar remuneraretur, ambitu fecit, ut ad præturam eveheretur, repulso Catone.

2. *Privatam* i. propriam, a fortuitis non pendentem. *Ruhk.*

3. *Avida felicitas.* Idem de ea sit noster Ep. XIX, 6 : « Et avida felicitas est, et alienæ aviditati exposita. » Nunquam, ait, satiari potest, ideoque pusilla est, etc. *R.* — Int. si homines semper nova petunt, ne illos ideo accuses aviditatis : nam quæ primum appetiverant ut felicitatem datura, tam reipsa pusilla erant, tam indigna votis hominum, ut nihil mirum sit iis homines contentos non fuisse.

4. *Istuc* ms. *a.* quod idem valet ac vulgatum *istud. Schw.*

Digitized by Google

et verisimile, inter se differunt. Ita, quod bonum est, vero jungitur[1]; non est enim bonum, nisi verum est : at, quod invitat ad se et allicefacit[2], verisimile est : [3]subripit,
9 sollicitat, attrahit. — Quidam ita finierunt : « Bonum est, quod appetitionem sui movet; vel, quod impetum animi tendentis ad se movet. » Et huic idem opponitur : multa enim impetum animi movent, quæ petuntur petentium malo. — Melius illi, qui sic finierunt : « Bonum est[4], quod ad se impetum animi secundum naturam movet, et ita demum petendum est[5]. » Quum cœpit esse expetendum, jam et honestum est; hoc enim est perfecte peten-
10 dum. Locus ipse[6] me admonet, ut, « quid intersit inter

1. *Ita, quod bonum est, vero jungitur.* Sic ms. *a.* ubi *Ita* valet *Itaque*, quod habent *c. R. A. Ita*, scil. quoniam multa sunt quæ specie blanda ac falsa invitant. Vulgo sic distinguebant, *differunt ita. Quod bonum est*, etc. *S.—Vero jungitur.* Sequitur una cum Stoa Socratem, qui hanc summam dixit esse sapientiam, bona malaque distinguere. Senec. Ep. LXXI, 7. De bono multæ fuerunt definitiones inter se differentes. Cic. de Fin. III, 10. Vide Lipsii Manuduct. II, 22, et Tiedemanni *System* III, 33 sqq. 37 sq. Sæpius jam huic quæstioni indulsit Noster, e. c. Epistol. XX, LVI, LXIV, etc. De auctoribus harum definitionum nihil aliunde constat. *Ruhk.*

2. *Invitat ad se et allicefacit.* Vulgo *allicit facie* ed. Mur. Lips. Gron. et Matth. ex Pinciani conject. *Allicere facit c. A. R.* Ven. et Er. quod revocavit Ruhk. In *a.* sic scriptum, *adlicer facit :* unde *allicefacit* correxi, suasu Gronovii, coll. Sueton. Vitell. c. XIV. Similiter formatum verbum *expavefacere* vidimus apud Nostrum, Ep. LXXXV. Ejusdem formæ est *commonefacere*, communi sermone tritum. *Schw.*

3. *Subripit* ms. *a. Surripit* alii libri vett. *Subrepit* vulgo, ex Pinciani conjectura. *Schw.*

4. *Bonum est..... naturam movet.* Cic. de Fin. III, 10 : « Ego (Cato) assentior Diogeni, qui bonum definierit id, quod esset natura absolutum. » Diogenes fuit Babylonius, stoicus, quem Lælius audivit. Cf. Fabric. B. G. vol. III, p. 560. *Ruhk.*

5. *Et ita demum petendum.* Cato apud. Cic. l. l. « Quum ab iis rebus, quæ sunt secundum naturam, ascendit animus collatione rationis, tum ad notionem boni pervenit. » *Ruhk.*

6. *Locus ipse*, etc. Nam cum bono semper honestum conjunxisse Stoicos notum est vel e Cic. de Off. I, 5. Quum enim dicerent, bonum semper prodesse, ideoque expetendum et justum et honestum (καλὸν) esse, et nihil aliud in bonorum numero nisi honestum esse vellent, illud honestum et explicare et defendere debebant. Cerni autem id docebant justi-

Digitized by Google

Bonum Honestumque, » dicam. Aliquid inter se habent mixtum et inseparabile : nec potest bonum esse, nisi cui aliquid honesti inest; et honestum utique bonum est. Quid ergo inter duo interest? *Honestum* est perfectum bonum, quo beata vita completur, cujus contactu alia quoque bona fiunt. Quod dico, tale est. Sunt quædam neque bona, neque mala [1] : tanquam militia, legatio, jurisdictio. Hæc, quum honeste administrata sunt, bona 11
esse incipiunt, et ex dubio in bonum transeunt. *Bonum* societate honesti fit; *honestum* per se bonum est. Bonum ex honesto fluit; honestum ex se est. Quod bonum est, malum esse potuit; quod honestum est, nisi bonum esse non potuit.

Hanc quidam finitionem reddiderunt : « Bonum est, quod secundum naturam est. » Attende quid dicam : quod bonum est, secundum naturam est [2]; non protinus, quod secundum naturam est, etiam bonum est. Multa [3] quidem 12
naturæ consentiunt; sed tam pusilla sunt, ut non conveniat illis boni nomen. Levia enim sunt, et contemnenda; nullum est minimum [4] contemnendum bonum. Nam quam-

tia, constantia, temperantia et scientia. Diog. Laert. VII, 100. Cf. *Tiedemann* III, p, 58 sq. *Ruhk.*

1. *Neque bona, neque mala.* Ea sunt, media. *Lips.*

2. *Secundum naturam est.* Perperam vulgo, et invitis mstis, *et secundum nat. est :* et deinde *et bonum est*, ubi *etiam bonum est* commode dederunt *a. c. R. Schw.*

3. *Multa quidem naturæ* rel. Bonum, ait, secundum naturam est, sed pervenit ad hanc suam proprietatem ipsa magnitudine. Dissensus, qui inter Nostrum et Cic. l. l. intercedit, ita conciliari fortasse potest: quod bonum ait Noster, crescendo ad summum pervenit, atque tum neque augeri neque minui potest : Cato contra ap. Ciceronem de summo bono loquitur, quod genere, non magnitudine cernatur. Vereor tamen, ut recte philosophantibus sententiam suam probaverit Seneca : non enim magnitudine, sed recto rationis, sine qua, ut ipse ait Ep. LXVI, 12, nullum bonum est, usu illud bonum cerni debet, si cæteros Stoæ auctores audias. *Ruhk.*

4. *Nullum est minimum contemnendum bonum.* Sic *a. c. R. A.* Vulgo olim edd. *nullum nec minimum;* ed.

Digitized by Google

diu exiguum est, bonum non est; quum bonum esse cœpit, non exiguum est. Unde agnoscitur bonum [1]? si
13 perfecte secundum naturam est.—Fateris, inquis, quod bonum est, secundum naturam esse; hæc ejus proprietas est: fateris, et alia secundum naturam quidem esse, sed bona non esse. Quomodo ergo illud bonum est, quum hæc non sint? quomodo ad aliam proprietatem pervenit, quum utrique præcipuum illud commune sit, se-
14 cundum naturam esse? — Ipsa scilicet magnitudine. Nec hoc novum est, quædam crescendo mutari. Infans fuit, factus est pubes; alia ejus proprietas fit: ille enim [2] irrationalis est, hic rationalis. Quædam incremento non tantum in majus exeunt, sed in aliud. — Non fit, inquit, aliud, quod majus fit: utrum lagenam an dolium impleas vino, nihil refert; in utroque proprietas vini est: exiguum mellis pondus, ex magno [3], sapore non differt. — Diversa ponis exempla: in istis enim eadem qualitas est; quamvis
15 augeantur, manent. Quædam, amplificata, in suo genere et in sua proprietate [4] perdurant; quædam, post multa incrementa, ultima demum vertit adjectio; et novam illis, aliamque, quam in qua fuerunt, conditionem imprimit. Unus lapis fecit fornicem, ille qui latera inclinata cuneavit, et interventu suo vinxit. Summa adjectio quare plurimum facit, vel exigua? Quia non auget, sed implet. Quædam processu priorem exuunt formam, et in novam

Ruhk. *nullum etiam minimum. S.*— Ruhk. nititur uno Pinciani et tribus palat. atque interpretatur suam lectionem: minimum contemnendum bonum est nullum: Pincianus *nullum minimum:* Erasmus *nullum enim m.*

1. *Unde agnoscitur bonum? Unde aliquid cognosc. bon.* edd. invitis msstis. *Schw.*

2. *Ille enim, a. c. A.* Abest vulgo *enim. Schw.*

3. *Ex magno.* Sic ms. *a.* et ed. *R.* commode: sc. quod sumitur ex magno pondere. *Et magnum* edd. cum *c. A.* cum quo parum convenit verbum *differt* in sing. *Schw.*

4. *Et in sua proprietate, a. c. A.* Perperam deest *et* edd. ex *R. Schw.*

Digitized by Google

transeunt. Ubi aliquid animus diu protulit, et, magni- 16
tudinem ejus sequendo, lassatus est, *infinitum* cœpit vocari[1]; quod longe aliud factum est, quam fuit, quum magnum videretur, sed finitum. Eodem modo aliquid difficulter secari cogitavimus; novissime, crescente difficultate, *insecabile* inventum est. Sic ab eo, quod vix et ægre movebatur, processimus ad *immobile*. Eadem ratione aliquid *secundum naturam* fuit; hoc in aliam proprietatem magnitudo sua transtulit, et *bonum* fecit. Vale.

1. *Ubi aliquid animus... infinitum cœpit vocari.* I. e. ubi animus diu aliquid in conspectum suum extulerit, ut in id inquirat, atque ejus magnitudinem ultra sequi non potuerit, exemplo sit tempus, æternitas, tunc illud infinitum cœpit vocari. Ita, quæ finita videbantur, infinita sunt, et in novam exeunt formam. Exempla hæc illustrant, sed parum probant. Sed hanc argumentationem Senecæ propriam esse putaverim. *Ruhk.* — Hanc Senecæ recentiorumque empiristarum opinionem de *infiniti* notionis origine multi philosophi impugnarunt, in primis Kantius illiusque asseclæ. Notum est nostrum *Fénélon* aliosque contendisse ideam infiniti e mundo exteriori sola amplificatione finiti nunquam nobis contingere potuisse : ideam vero illam quasi divini numinis esse imaginem aliquam animo nostro impressam. Exclamat *Fénélon*, *Traité de l'existence de Dieu*, Part. II, cap. 2, arg. secundo: *Où l'ai-je prise cette idée qui est si fort au-dessus de moi, qui me surpasse infiniment, qui m'étonne, qui me fait disparaître à mes propres yeux, qui me rend l'infini présent? d'où vient-elle? où l'ai-je prise? dans le néant? Rien de ce qui est fini ne peut me la donner : car le fini ne représente point l'infini : donc il est infiniment dissemblable*, etc. Similia ejusdem vide, eod. lib. Part. I, c. 4, § 21. Cæterum quæstionem de *infinito* penitus tractatam vide ab *Ancillon*, *Essais de Philosophie*, in speciali tentamine.

Digitized by Google

EPISTOLA CXIX.

DIVITEM ESSE, QUI CUPIDINIBUS IMPERAT.

Jocose promittit amico, se docturum eum esse, quomodo fieri dives celerrime possit. Deinde monet, maximas esse divitias, quas a nobis ipsis petierimus, naturæ nihil negantes, quæ paucis contenta est, et supervacua dimittit. Tunc nobis nihil deerit, finem omnium rerum spectantibus, qui naturam non excedit; divitiæ desinere tunc non possunt, satis habebimus: pecunia autem neminem fecit divitem. Ii contra, qui vulgo divites sunt, proprie pro pauperibus habendi sunt.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Quoties aliquid inveni, non exspecto, donec dicas: *in commune*[1]! — ipse mihi dico. Quid sit, quod invenerim, quæris? sinum[2] laxa, merum lucrum est! Docebo, quomodo fieri dives celerrime possis; quod valde cupis audire, nec immerito: ad maximas te divitias compendiaria[3] ducam. Opus erit tamen tibi creditore[4]; ut negotiari possis, æs alienum facias oportet: sed nolo per interces-

1. *In commune.* Sic Græci de rebus inventis et casu oblatis dicere solebant, Ἑρμῆς κοινός, notante Lipsio et Gronovio, qui laudat Phædri fab. V, 6, 3: «Eia, inquit (calvus), in commune, quodcumque est lucri.» Res nota et a multis, e. c. parœmiographis et iis, quos præter Burmannum Jacobs amiciss. ad Brunk. Anal. II, p. 269, XIII laudat, explicata. *Ruhk.* — Phurnutus, de Mercurio: «Si quis aliquid in itinere invenerit, moris est profari: communi Mercurio, qui certe rei inventæ conscius est, ut qui in viis versetur.»

2. *Sinum.* Togæ: similiter Horat. Serm. II, 3, 172: «Ferre sinu laxo.» *R.*

3. *Compendiaria* (sc. viâ) edd. cum *a. R.* et Pinc. Conf. Ep. XXVII, nec male *compendiario* (sc. itinere) ed. Er. cum aliis apud Pincianum et Grut. coll. LXXIII, 250, 9. Perperam *compendiarie* ed. Ven. cum. *c. A. Schw.*

4. *Opus erit... creditore.* Quo? ipso te, ut argutando subdit. *Lips.*

Digitized by Google

sorem mutueris, nolo proxenetæ[1] nomen tuum jactent. Paratum tibi creditorem dabo, Catonianum[2] illum: « A te mutuum sumes. » Quantulumcumque est, satis erit, si, quidquid deerit, id a nobis petierimus. Nihil enim, mi Lucili, interest, utrum non desideres, an habeas. Summa rei in utroque est eadem; non torqueberis. Nec illud præcipio, ut aliquid naturæ neges; contumax est, non potest vinci, suum poscit: sed, ut quidquid naturam excedit, scias precarium esse, non necessarium. Esurio; 3
edendum est: utrum hic panis sit plebeius[3], an siligineus[4], ad naturam nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult, sed impleri. Sitio; utrum hæc aqua sit, quam ex lacu proximo[5] excepero, an ea, quam multa nive clusero[6], ut rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet. Illa hoc unum jubet, sitim exstingui: utrum sit 4
aureum poculum, an crystallinum, an murrheum[7], an

1. *Proxenetæ*. Græco nomine πρόξενητής, qui est velut pararius, conciliator et interpres: qui partes contracturas medius ipse jungit. *Lips.*

2. *Catonianum*. Tenent libri omnes, nisi quod per *th* scribunt ms. *c.* et ed. *A*. *Hecatonianum* conjectabat Pinc. *Schw.* — *Catonianum illum*. Sc. creditorem. Nam M. Cato dixit: «Quod tibi deest, a te ipso mutuare.» Senec. de Benefic. V, 7: «Te ipsum tibi paratum creditorem dabo, illum quem Cato dare solebat.» *Ruhk.*

3. *Utrum hic panis.... plebeius*. I. farreus: far autem est genus tritici durius ac ponderosius, domesticum Italiæ frumentum. Plin. 18, 7. Cf. Heynii Opuscul. academ. I, p. 357. Schneideri Index ad Scriptt. Rer. rust. h. v. *Ruhk.*

4. *Siligineus*. E tritico: tener et silig. conjungitur Ep. CXXIII, 2. Plin. 18, 8 tritici delicias vocat. Cf. Heynii Op. ac. I, p. 358 et Schneideri Index laud. h. v. *Ruhk.*

5. *Ex lacu proximo*. Propertius: « Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est. »

6. *Clusero*. Sic Erasmi editio et romana: prætulerunt Lipsius et Gronovius: conveniunt palatini codd. mss. omnes. Pinciani codd. præstant *elisero*. Editio antiqua: *thiserove frigore*. *Ruhk.* — *Clusero*, *a. R. Elisero c. A. Schw.* — *Clusero*. Aqua enim in vase circumdari nive solebat. *Ruhk.*

7. *Murrheum*, ms. *a.* quod et dehnerant *c. A.* in quibus *mirreum*. Nec male vulgo *myrrhinum* edd. vel *murrhinum*, ut ed. Ruhk. Perperam *vitreum* ed. *R. S.* — E murrha vasa, e. c. pocula murrhea, s. murrhina, confecta esse constat, sed quidnam fuerit, non satis compertum est. Ut

Digitized by Google

Tiburtinus calix[1], an manus concava, nihil refert. Finem omnium rerum specta; et supervacua dimittes. Fames me appellat: ad proxima quæque porrigatur[2] manus; ipsa mihi commendabit, quodcumque comprehendero. Nihil contemnit esuriens.

Quid sit ergo[3], quod me delectaverit, quæris. — 5 Videtur mihi egregie dictum: « Sapiens divitiarum naturalium est quæsitor acerrimus. » — Inani me, inquis, lance muneras! Quid est istud[4]? Ego jam paraveram[5] fiscos; circumspiciebam, in quod me mare negotiaturus immitterem; quod publicum agitarem; quas arcesserem merces. Decipere est istud, docere paupertatem, quum divitias promiseris. — Ita tu pauperem judicas, cui nihil deest? — Suo, inquis, et patientiæ suæ beneficio, non fortunæ.

Christii, Rezzonici (Disq. Plin. To. II, p. 213), Leblondii (*Hist. de l'Acad. des Inscr.*, To. XLIII), Bruckmanni al. opiniones omittam, omnes fere in eo conveniunt, murrham genus quoddam agathi s. pseudopali s. quæ fuit b. Velthemii sententia, steatitæ sinici (*sinesischer Speckstein*) pretiosum fuisse. Duplex tamen species fuit, altera naturalis, quæ e terra effodiebatur, altera artificiose composita, instar fluoris vitrei. Cf. *Larcher, Histoire de l'Acad. des Insc.*, To. XLIII, cui assentitur Blumenbach (*Naturgesch.* p. 599 edd. VI, sed in ed. VII, anni 1803 delevit B. istum locum, mutata forsan sententia). Quum crystallum tum murrham misit Oriens; ex eadem terra effodimus, ait, Plin. 37, 2, qui utrumque describit. *Ruhk.* — Plura vide in Excursu ad lib. VII de Benef. nostræ ed. vol. II, p. 695.

1. *Tiburtinus calix*. Fictilis. *L.* — Fictilia vasa Tibure facta esse, aliunde non constat: Strabo V, 3, 11, lapicidinas memorat, sed marmoris, nunc travertino appellati: de terra s. creta figulina tacet. *Ruhk.*

2. *Porrigatur*, *a. c. A.* Pinc. Pal. 2, 3; *extendatur* ed. *R.* et seqq. *tendatur* ed. Lips. et seqq. invitis msstis. *Schw.*

3. *Quid sit ergo*, etc. De quo initio dixi: *in commune* debet proferri. *L.*

4. *Quid est istud?* Sic *a. c. R. A.* Perperam *Quid est illud inane?* ed. Er. Mur. et Lips. Tum, *Quid est illud in commune?* ed. Gron. Bip. et Ruhk. ex levi conject. Lipsii. Istud *inane* corruptum erat ex *Jamne*, quod subjiciebatur olim sic, *Jam ne ego parav.* vel *Jam ne parav. ego:* pro quo nos ex ms. *a.* dedimus, *Ego jam paraveram. Schw.*

5. *Ego jam paraveram*, etc. Ut vel argentariam exercendo, vel publica e. c. vectigalia redimendo, vel mercaturam faciendo dives fierem. Conf. Epist. CI init. *Ruhk.*

Digitized by Google

— Ideo[1] ergo illum non judicas divitem, quia divitiæ ejus 6
desinere non possunt? Utrum majus[2]: habere multum, an
satis? Qui multum habet, plus cupit; quod est argumen-
tum, nondum illum satis habere: qui satis habet, con-
secutus est, quod nunquam divitiis contigit, finem. An 7
has ideo non putas esse divitias, quia propter illas nemo
proscriptus est? quia propter illas nulli venenum filius,
nulli uxor impegit? quia in bello tutæ sunt? quia in pace
otiosæ? quia nec habere illas periculosum est, nec opero-
sum disponere? An parum habet[3], qui tantum non alget,
non esurit, non sitit? Plus Jupiter non habet. Nunquam 8
parum est, quod satis est: et nunquam[4] multum est, quod
satis non est. Post Darium et Indos[5] pauper est Alexan-
der[6] Macedo: mentior[7]; quærit, quod suum faciat, scru-
tatur maria ignota, in oceanum[8] classes mittit novas, et

1. *Ideo ergo... possunt.* Int. eos ergo solos divites putas, quorum divitiæ possunt desinere, et sunt obnoxiæ casibus.

2. *Utrum majus: habere multum*, etc. Sic *a. c. A.* Perperam *malis* ed. *R.* unde vulgo *Utrum malis habere*, etc. *Schw.*

3. *An parum habet*, etc. Sic edd. cum *R.* et *A.* Sed rectius videtur *At*, quod dabat ms. *c.* quod ipsum etiam debuerat ms. *a.* in quo *Ad*, frequenti permutatione litterarum *t* et *d*. Quare sic rescriptum malim: .... *At parum habet qui tantum non alget*,.... *non sitit*..... *Plus Jupiter non habet*. Scil. istud, *At parum habet*, etc. opponit alter; cui Seneca respondet, *Plus Jupiter*, etc. *Schw.* — *An parum habet, qui tantum non*, etc. I. qui prorsus non a., qui multa alia quidem non possidet, sed tamen non alget. Ita Cicero Epist. ad Attic. 14, 5 eos tantum non laudari, sed includi. Moneo propter Pincianum, qui hujus significationis immemor legendum putabat: *qui tantum non, non alget*, i. e. qui fere non alget. *Ruhk.*

4. *Et nunquam multum est.* Copulam *et*, omissam vulgo, dedere veteres libri omnes. *Schw.*

5. *Post Darium et Indos.* Int. postquam Darii regnum Indorumque suum fecit.

6. *Alexander.* De Alexandro conf. ad Ep. XCI, 17. *Ruhk.*

7. *Mentior.* Quod aberat vulgo, adjectum ex more Senecæ dedit ms. *a.* et unus probus cod. Pinc. *Schw.*

8. *In oceanum* rel. Nearcho duce, cujus paraplum s. itinerarium expressit Arrianus in Indicis egregie nuper illustratis a Vincentio: *the voyage of Nearchus from the Indus to the Euphrates*, etc. *London* 1797: hæc expeditio facta est anno 326 ante Christ. natum, qua Orbis nostri pars detegebatur tunc incognita: hinc *mundi*

Digitized by Google

ipsa, ut ita dicam[1], mundi claustra perrumpit. Quod naturæ satis est, homini non est! Inventus est, qui concupisceret aliquid post omnia : tanta est cæcitas mentium, et tanta initiorum suorum unicuique, quum processit,
9 oblivio! Ille, modo ignobilis anguli[2] non sine controversia dominus, tacto fine terrarum[3] per suum rediturus orbem, tristis est.

Neminem pecunia divitem fecit : immo contra, nulli non majorem sui cupiditatem incussit. Quæris, quæ sit hujus rei causa? Plus incipit habere posse[4], qui plus
10 habet. Ad summam, quem voles mihi ex his, quorum nomina cum Crasso Licinioque numerantur[5], in medium licet protrahas; afferat censum, et, quidquid habet, et quidquid sperat, simul computet : iste, si mihi credis, pauper est; si tibi, potest esse. At hic, qui se ad id, quod natura exigit, composuit, non tantum extra sensum est
11 paupertatis, sed extra metum. Sed, ut scias, quam difficile sit, res suas ad naturalem modum coarctare; hic ipse, quem circa naturam dicimus, quem tu vocas pauperem, habet aliquid et supervacui. At excæcant populum, et in se convertunt opes, si numerati multum ex aliqua domo effertur, si multum auri tecto quoque ejus

claustra per. et mox, *post omnia* lucem accipiunt. *Ruhk.*

1. *Et ipsa, ut ita dicam.* Sic commode *c. A. R.* Aberat vulgo *ipsa. S.*

2. *Ille modo ignobilis anguli.* Macedoniæ, *non sine controversia:* bella enim ei gerenda fuerant cum populis quibusdam vicinis, Triballis, Getis, Illyriis, Thebanis, etc. Res nota. *R.*

3. *Tacto fine terrarum.* Sic recte ms. *a.* Perperam *tanto fine terr. c. A. R.* unde inepte vulgo *de tanto fine*, etc. ex uno cod. Pinc. alius *toto* (pro *tacto*) dabat. *Schw.* — Lipsius ait : divinet aliquis, *detecto.*

4. *Plus incipit habere posse. Habere velle* desiderasses; sed nil mutant libri. *Schw.*

5. *Quorum nomina cum Crasso Licinioque numerantur.* Speciosum erat quod dabat ms. *a.* cum *Cræso Licinioque*, et sic fere etiam *c. a. R.* Sed verum utique videtur *Crasso*, quod ex Pinciani codd. receptum a Mur. Tum *Licinoque* vulgo edd. ab eodem Mur. ex Persio et Juvenali :

Digitized by Google

illinitur [1], si familia [2] aut corporibus electa, aut spectabilis cultu est! Omnium istorum felicitas in publicum 12
spectat [3] : ille, quem nos et populo et fortunæ subduximus, beatus introrsum est. Nam, quod ad illos pertinet, apud quos falso divitiarum nomen invasit occupata paupertas; sic divitias habent, quomodo habere dicimur febrem, quum illa nos habeat. E contrario dicere [4] solemus, « febris illum tenet : » eodem modo dicendum est, « divitiæ illum tenent. »

Nihil ergo monuisse te malim, quam hoc, quod nemo 13
monetur satis : ut omnia naturalibus desideriis metiaris, quibus aut gratis satisfiat, aut parvo. Tantum miscere vitia desideriis noli. Quæris, quali mensa, quali argento, quam paribus ministeriis [5] et lævibus [6], afferatur cibus? Nihil, præter cibum, natura desiderat!

> Num tibi, quum fauces urit sitis, aurea quæris
> Pocula? num, esuriens, fastidis omnia, præter
> Pavonem rhombumque [7]?...

sed, ut in Senecæ libris, sic et apud Dionem Cassium LIV, 21 et apud Sueton. Octav. 67. *Licinius* vocatur ille Augusti libertus; cujus divitiæ, ut olim *Crassi*, in proverbium abierant. Cf. Nostrum Epist. CXX. *Schw.* — De Crasso omnia e Cicerone et Plutarchi vita nota. *Ruhk.* — Persius : « Nunc Liciai in campos, nunc Crassi mittit in ædes. » Vetus Persii scholiastes asservavit epigramma in Licinum a Varrone factum : « Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo; Pompeius nullo : credimus esse Deos? »

1. *Illinitur*. De auro, quo vestes, marmora, etc., ornantur, τὸ *illinire* in usu erat, termini, ut ita dicam, techniei loco, quo græc. Βρέχειν expresserunt. Moneo, ne Lexicis credens, contemptus causa posita hæc putes. Cf. Salmas. ad Script. Hist. Aug. T. II, p. 551. Nic. Heinsius ad Ovid. A. A. III, 232, quibus egregie usus est Bottiger ad Horat., IV Carm. 9, 14. *Ruhk.*

2. *Familia* servorum. *Ruhk.*

3. *Felicitas in publicum spectat*. Vulgo videtur felix, non est. Vertit *Lagrange : La félicité de ces riches n'est qu'extérieure.*

4. *Solemus*. Sic Erasm. et omnes mss. Pincianus contra male emend. *debemus*. *Ruhk.*

5. *Quam paribus ministeriis*. Servis, qui ministrabant, ætate aut colore paribus. De Brev. Vit. c. 12, 1. *Lips.*

6. *Lævibus*. Glabris, ut alibi vocat, et sine pilis.

7. *Rhombumque*. Versus sunt Horatii Sat. I, 2, 113 sq. *Ruhk.*

Digitized by Google

14 Ambitiosa non est fames; contenta desinere est : quo desinat, non nimis curat. Infelicis luxuriæ ista tormenta sunt : quærit, quemadmodum post saturitatem quoque esuriat; quemadmodum non impleat ventrem, sed farciat; quemadmodum sitim, prima potione sedatam, revocet. Egregie itaque Horatius negat ad sitim pertinere, quo
15 poculo aqua, aut quam eleganti manu ministretur. Nam si pertinere ad te judicas, quam crinitus puer [1], et quam perlucidum tibi poculum porrigat, non sitis. Inter reliqua, hoc nobis præstitit natura præcipuum, quod necessitati fastidium excussit. Recipiunt supervacua [2] dilectum. — Hoc parum decens; illud parum laudatum [3], oculos hoc meos lædit! — Id actum est [4] ab illo mundi conditore, qui nobis vivendi jura descripsit, ut salvi essemus, non
16 ut delicati. Ad salutem omnia parata sunt, et in promptu : deliciis omnia misere ac sollicite comparantur. Utamur ergo hoc naturæ beneficio, inter magna [5] numerando; et cogitemus, nullo nomine melius illam meruisse de nobis, quam quia, quidquid ex necessitate desideratur, sine fastidio sumitur. Vale.

1. *Crinitus puer*. Qui a poculis, muliebri plerumque habitu erant, capillitio fluente et longo. Imo et alii Pædagogiani fuere pueri. Unde Martialis : « Crinitæ, Line, Pædagoge turbæ. » *Ruhk*. — Horatius de tali mollicello : « Discrimen obscurum solutis Crinibus, ambiguoque vultu. » Quorum minores erant divitiæ, aut luxuries, eodem habitu vestiebantur tonsosque capillos ferebant, ut videre est e Juvenali Sat. XI, 149 : « Idem habitus cunctis; tonsi rectique capilli Atque hodie tantum propter convivia pexi. »

2. *Dilectum*, non *delectum*, *a. c. R. A.* Iidemque infra *laudatum*, non (ut vulgo) *lautum*. *Schw.* — *Lagrange* recte vertit : *On ne met de la recherche et du choix que dans les superfluités.*

3. *Par. laud.* His tangit Noster cœnipetarum, aut comium convivarum ritus, singula ferculа regis sui, quæ placuissent, laudantium : quæ sunt verba I. F. Gronovii in Obss. III, 14, p. 423 ed. Lips. quem videas. *Ruhk*.

4. *Id actum est... delicati*. Int. hoc voluit Deus nos salvos esse, non delicatos.

5. *Inter magna*. Supple : illius beneficia.

Digitized by Google

EPISTOLA CXX.

QUOMODO BONI HONESTIQUE NOTITIA AD NOS PERVENERIT?

Ut desiderio amici satisfaciat, quæstionem, quomodo ad nos boni honestique notitia pervenerit, tractandam sibi sumit, et docet nihil esse bonum, nisi quod honestum sit, et quod honestum sit, utique bonum esse. Tunc redit ad istam quæstionem. Ac primum natura scientiam non dedit, sed semina scientiæ: non casu in virtutem incidere potuimus. Ratio analogiæ ope, observatione et rerum sæpe factarum inter se collatione, notitiam illam nobis peperit. Deinde similitudo, quæ inter virtutes et vitia intercedit, coegit nos attendere, ut hæc confinia distinguerentur: ita vitia observata sunt. Sequitur hinc observatio de viro sapiente, in quo perfecta virtus conspecta est, quam in partes divisimus: quatuor inde virtutes ortum suum duxere, temperantia, fortitudo, prudentia, justitia. Unde virtus intellecta est, et illa beata vita. Hoc ipsum nobis apparuit in viro perfecto, cujus descriptio adjungitur.

Cf. Ep. CXVIII. Cicero de Finib. III, 10 sq. De Off. I, 5 et alias passim.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Epistola tua per plures quæstiunculas vagata est, sed in una constitit, et hanc expediri desiderat: « Quomodo ad nos Boni Honestique notitia[1] pervenerit? » — Hæc duo apud alios[2] diversa sunt, apud nos tantum divisa. Quid sit hoc, dicam. *Bonum* putant esse aliqui[3], quod utile est: itaque hoc et divitiis, et equo, et vino, et calceo

1. *Notitia*. Sic Erasm. et palat. omnes, et editio antiqua. Mur. e Pinc. lectione antiqua: *prima notitia perv. Schw.*

2. *Hæc duo apud alios*. E. c. Academicos et Peripateticos .... *apud nos* Stoicos. Vide Ep. CXVIII, 10. *Ruhk.*

3. *Bonum putant esse aliqui*. Sc. illæ tres disciplinæ sive sectæ Philosophorum, quæ virtutem, ut Ciceronis verbis de Fin. III, 11 init. utar, a summo bono excludunt, Aristippi, Epicuri, Hieronymi, Carneadis. Cic. de Fin. II, 11; III, 9. Et Stoici dixere, bonum esse, quod utile sit sive non differat ab utilitate, ἀγαθόν ἐστιν ὠφέλεια, ἢ οὐχ ἕτερον ὠφελείας. Conf. Tiedemann III, 35 *System. Ruhk.*

Digitized by Google

nomen imponunt; tanta fit apud illos[1] boni vilitas, et
2 adeo in sordida usque[2] descendit. *Honestum*[3] putant, cui ratio recti officii constat; tanquam, pie curatam patris senectutem, adjutam amici paupertatem, fortem expeditionem, prudentem moderatamque sententiam. Ista duo quidem facimus[4], sed ex uno. Nihil est *Bonum*, nisi quod honestum est; quod *Honestum* est, utique bonum. Supervacuum judico adjicere, quid inter ista discriminis sit, quum sæpe dixerim[5]. Hoc unum dicam, nihil nobis *bonum* videri, quo quis et male uti potest: vides autem, divitiis, nobilitate, viribus, quam multi male utantur.
3 Nunc ergo ad id revertor[6], de quo desideras dici: « Quomodo ad nos prima Boni Honestique notitia pervenerit. » Hoc nos natura docere non potuit: semina nobis scientiæ dedit, scientiam non dedit. Quidam aiunt, nos in notitiam incidisse; quod est incredibile, virtutis alicui speciem casu occurrisse: nobis videtur observatio colle-

1. *Tanta fit apud illos boni vilitas.* Sic Erasmus, editio antiq. et omnes palat. At Muretus: *tanta est ap.* rel. *Ruhk.*

2. *In sordida usque, a. c. A.* Vulgo *usque ad sordida*, ex *R. S.*

3. *Honestum... sententiam.* Ad media itaque referunt, quo officia, secundum Stoicos, pertinere constat. Enimvero Stoici aliter statuebant, quippe quos primos inter honestum et decorum distinxisse, nec bonum ab honesto separasse recte Cicero pronuntiavit. *Ruhk.*

4. *Ista duo quidem facimus.* Nempe nos Stoici. *Lips.*

5. *Quum sæpe dixerim.* E. c. in Epist. CXVIII. *Ruhk.*

6. *Nunc ergo ad id revertor* rel. Quum Stoici demonstrassent, bonum honestumque esse, et differre ab officiis eo., quod hæc præscriptiones dent nonnisi in breve tempus et quasi quotidie, illud honestum vero in totam vitam, et quod officia a primis naturæ oriantur, honestum autem bonumque illis adeo haud semel adversari videantur; ista quæstio, cui hic respondet Noster, enodanda venit, de qua jam inde a Socratis tempore disputaverant philosophi, utrum sapientia a natura sit an doceri possit. Platoni in Menone et Protagora placuit θείᾳ μοίρᾳ ἄνευ νοῦ nos in hanc notitiam incidisse: Stoici tribuebant rationi. Cf. Cic. de Fin. III, 10, et Garve *Ubersicht*, p. 69 sqq. Quinque autem modis fieri rerum notitias dicebat Zeno apud Diogenem Laert. lib. VII, cap. 52 sq. quæ cum iis, quæ Noster posuit, bene conciliari possunt. *Ruhk.*

Digitized by Google

gisse, et rerum sæpe factarum inter se collatio : per *analogiam* nostri intellectum et honestum et bonum [1] judicant. Hoc verbum quum latini Grammatici civitate donaverint [2], ego damnandum non puto, nec in civitatem [3] suam redigendum : utar ergo illo, non tantum tanquam recepto [4], sed tanquam usitato. Quæ sit hæc *analogia*, dicam. Noveramus corporis sanitatem; ex hac [5] cogitavimus, esse aliquam et animi. Noveramus corporis vires; ex his collegimus [6], esse et animi robur. Aliqua benigna facta, aliqua humana, aliqua fortia, nos obstupefecerant; hæc cœpimus tanquam perfecta mirari. Suberant illis [7] multa vitia, quæ species conspicui alicujus facti fulgorque celabat; hæc dissimulavimus. Natura jubet augere laudanda; nemo non gloriam ultra verum tulit : ex his ergo speciem ingentis boni traximus. Fabricius [8] Pyrrhi regis aurum

1. *Per analogiam nostri intellectum et honestum et bonum judicant* (id est, Nostri Stoici judicant, et honestum et bonum per analogiam intellectum ab hominibus esse) : sic plane et percommode *a. c. R.* nec aliud e suis codd. protulit Pinc. et consentiunt Gruteri codd. et ed. *A.* nisi quod in his perperam *intellectus* pro *intellectum* scribitur. Eadem quidem sententia, sed præter rationem mutatis verbis ex Pinciani conjectura, in inde a Mur. sic edebatur : *per analogiam nostro intellectu et honestum et bonum judicante. Schw.*

2. *Civitate donaverint.* Jam Cicero aliique hoc verbo, *Analogia*, usi sunt. Cf. Stephani Thesaur. L. L. *Ruhk.*

3. *Nec in civitatem suam.* I. e. græcam *redigendum*, repellendum. *R.*

4 *Non tantum tanquam recepto.* Vox *tantum*, quam libri omnes agnoscunt, temere primum omissa erat in ed. maj. Elsev. 1672 et dein in aliis. *Schw.*

5. *Ex hac cogitavimus.* Sic h. l. *a. R.* et *cogitamus c. A.* non *collegimus*, ut vulgo. *Schw.*

6. *Collegimus.* Recte ed. Erasm. et seqq. cum Pal. 1, 2. *Colligimus*, *a. c. R. A. Schw.*

7. *Suberant illis.* Quæ tanquam perfecta mirari cœperamus, etc. *R.*

8. *Fabricius* rel. Narrat hæc quoque eadem fere ratione Plutarchus in Pyrrhi vita, c. 20, 21. Livii mentio et narratio harum rerum injuria temporis periit. *Ruhk* — Eutropius duo illa præclara Fabricii narrat Histor. Rom. breviar. lib. II, cap. 12 et 14. « Unum ex legatis Romanorum Fabricium sic admiratus (Pyrrhus), ut quum eum pauperem esse cognovisset, quarta parte regni promissa, sollicitare voluerit, ut ad se transiret : contemptusque a Fabricio est.... In-

Digitized by Google

repulit; majusque regno judicavit, regias opes posse contemnere. Idem, medico Pyrrhi promittente venenum se regi daturum, monuit Pyrrhum, caveret insidias. Ejusdem animi fuit, auro non vinci, veneno non vincere.
6 Admirati sumus ingentem virum, quem non regis[1], non contra regem promissa flexissent, boni exempli tenacem; quod difficillimum est, in bello innocentem; qui aliquod esse crederet etiam in hostes[2] nefas; qui in summa paupertate, quam[3] sibi decus fecerat, non aliter refugit divitias, quam venenum. « Vive, inquit[4], beneficio meo, Pyrrhe; et gaude, quod adhuc dolebas, Fabricium non
7 posse corrumpi. » Horatius Cocles solus implevit pontis angustias; adimique a tergo sibi reditum, dummodo iter hosti auferretur, jussit; et tam diu restitit prementibus, donec revulsa ingenti ruina tigna sonuerunt. Postquam respexit, et extra periculum esse patriam periculo suo
8 sensit: « Veniat, si quis vult, inquit, sic euntem sequi! » deditque se in præceps; et non minus sollicitus in illo

terjecto anno, contra Pyrrhum Fabricius est missus.... Tum, quum vicina castra ipse et rex haberent, medicus Pyrrhi ad eum nocte venit, promittens veneno Pyrrhum occisurum, si sibi aliquid polliceretur; quem Fabricius vinctum reduci jussit ad dominum, Pyrrhoque dici quæ contra caput ejus medicus spopondisset. Tum rex admiratus eum, dixisse fertur: Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quam sol a cursu suo averti potest. » A. Gellius nobis servavit epistolam quam Fabricius de hoc ad Pyrrhum scripsit, plenam animi magnitudine.

1. *Non regis, non contra regem promissa.* Int. non promissa regis regnum offerentis, non promissa medici contra regem, id est, regem se occisurum polliciti.

2. *In hostes.* Sic Erasmus, Mur. editio antiqua: Lipsius: *in hoste. R.*

3. *Quam.* Sic omnes palatini et editio ant. Erasmus tamen: *qua. R.*

4. *Vive, inquit... corrumpi.* Plutarchus conservavit epistolam a Fabricio et ejus collega Q. Æmilio Coss. a. U. c. 474 ad Pyrrhum missam diversi argumenti: Neque amicorum videris, neque hostium esse felix judex. Lectis, quæ ad nos missæ sunt, litteris, cognosces, te contra bonos et justos viros bellum gerere, perfidis et improbis habere fidem. Neque vero hæc nos, quo gratiam emereamur tuam, indicamus tibi, sed ne casus tuus aspergat maculam

Digitized by Google

rapido alveo fluminis, ut armatus [1], quam ut salvus exiret, retento armorum victricium decore, tam tutus rediit, quam si ponte [2] venisset. Hæc et hujusmodi facta imaginem nobis ostendere Virtutis.

Adjiciam, quod mirum fortasse videatur: mala interdum speciem honesti obtulerunt, et optimum ex contrario nituit. Sunt enim [3], ut scis, Virtutibus vitia confinia, et perditis quoque ac turpibus recti similitudo est. Sic men- 9
titur prodigus liberalem; quum plurimum intersit, utrum quis dare sciat, an servare nesciat. Multi, inquam, sunt, Lucili, qui non donant, sed projiciunt; non voco ego liberalem, pecuniæ suæ iratum. Imitatur negligentia facilitatem, temeritas fortitudinem. Hæc nos similitudo coegit attendere, et distinguere specie quidem vicina, re autem plurimum inter se dissidentia. Dum observamus eos, quos insignes egregium opus fecerat, cœpimus annotare, quis rem aliquam generoso animo fecisset et magno impetu. Sed semel [4] hunc vidimus in bello fortem, 10
in foro timidum; animose paupertatem ferentem, humiliter infamiam: factum laudavimus, contempsimus virum. Alium vidimus adversus amicos benignum, adver-

nobis, ut dolo videamur, quasi nequiverimus virtute, bellum perpetrasse. *Ruhk.*

1. *Armatus.* Scuto et gladio, ὅπλῳ. Cf. Cuperi Obss. I, 7 p. 43 ed. Lips. *Ruhk.* — «Tiberine pater, inquit, te, sancte, precor hæc arma et hunc militem propitio flumine accipias. Ita sic armatus in Tiberim desilnit; multisque superincidentibus telis incolumis ad suos tranavit, rem ausus plus famæ habituram ad posteros, quam fidei.» Tit. Liv. lib. II, 10.

2. *Si ponte.* Sic Erasm. et codd. pars: Pincianus inde fecit: *si e ponte.* Tres codd. et ed. antiqua: *si sponte. Ruhk.* — Tam tuto per aquam, quam si per pontem.

3. *Sunt enim... similitudo est.* Idem observat noster de Clementia I, 3, 1. Cf. Cortium ad Sallust. de B. Cat. c. XI. Propter hanc viciniam vitia interdum virtutum laudem accipiunt, inprimis apud adulatores: vide egregium hac de re locum Platonis VII, 55 bip. Lucret. IV, 1154 sq. et quos laudat Jacobs amiciss. ad Brunk. Anal. Animadv. Vol. III. P. III, p. 54. *Ruhk.*

4. *Sed semel hunc v.* Sic conjunxi

Digitized by Google

sus inimicos temperatum, et publica et privata sancte ac religiose administrantem; non deesse ei in his[1] quæ toleranda erant, patientiam, in his quæ agenda, prudentiam: vidimus, ubi tribuendum esset, plena manu dantem; ubi laborandum, pertinacem et obnoxium[2], et lassitudi-
11 nem corporis animo sublevantem. Præterea idem erat semper, et in omni actu par sibi; jam non consilio bonus, sed more eo perductus[3], ut non tantum recte facere posset, sed, nisi recte, facere non posset. Intelleximus in illo perfectam esse Virtutem. Hanc in partes divisimus: oportebat cupiditates refrænari, metus comprimi, facienda
12 provideri, reddenda distribui: comprehendimus temperantiam, fortitudinem, prudentiam, justitiam; et suum cuique dedimus officium.

Ex quo ergo Virtutem intelleximus? Ostendit[4] illam nobis ordo ejus, et decor, et constantia, et omnium inter se actionum concordia, et magnitudo super omnia efferens sese. Hinc intellecta est illa beata vita[5], secundo defluens cursu, arbitrii sui tota. Quomodo ergo hoc ipsum
13 nobis apparuit? Dicam. Nunquam vir ille perfectus adeptusque virtutem, fortunæ maledixit; nunquam acciden-

hæc verba, quum antea esset: *impetu, sed semel. Hunc v.* Fortasse erat: *Sed simul h. v. Ruhk.*

1. *Non deesse ei in his.* Vulgo *ei et in his*, rursusque infra *et in his.* Utrobique voculam *et* ignorant veteres libri: in una ed. *R.* priore loco vocula *ei* perperam in *et* mutata erat. *Schw.*

2. *Pertinacem et obnoxium.* Volunt *obnixum*, ego non mutem. *L.* — Obnoxius est qui tradit se cui rei, et sæpe libero opponitur. Cf. ad III de Ira 8, 1, a. Cæterum sapientem hic delineari patet. *Ruhk.*

3. *Sed more eo perductus.* Quum in habitum scientia iverat. *Lips.*

4. *Ostendit... efferens sese.* Virtus ad se nos traxit, sua pulchritudine, suis illecebris: admirationem vel invitis fecit.

5. *Hinc intellecta est illa beata vita* (de qua exstat Senecæ liber egregius) *secundo defluens cursu.* Cf. ad Ep. CXI, 3. Est vitæ actionumque facilitas, quam Stoici uno verbo εὔροιαν vocabant. Describit Noster Ep. CXXIV, 19. De Vita Beat., c. 3 et 4. Ep. XLV, 8. Menagius ad Diog. Laert. VII, 88. et Epictet. Dissertat.

Digitized by Google

tia tristis excepit; civem esse se universi et militem credens[1], labores, velut imperatos, subiit. Quidquid inciderat, non tanquam malum aspernatus est, et in se casu delatum, sed quasi delegatum sibi[2]. Hoc quale-cumque est, inquit, meum est : asperum est, durum est; in hoc ipso navemus operam[3]. Necessario itaque 14
magnus apparuit, qui nunquam malis ingemuit, nunquam de fato suo questus est : fecit multis intellectum sui[4]; et non aliter, quam in tenebris lumen, effulsit; advertitque in se omnium animos, quum esset placidus et lenis, humanis divinisque[5] rebus pariter æquus. Habebat perfectum animum, ad summam sui adductus, supra quam nihil est, nisi mens Dei, ex qua pars[6] et in hoc
pectus mortale defluxit; quod nunquam magis divinum 15
est, quam ubi mortalitatem suam cogitat, et scit, in hoc natum hominem, ut vita defungeretur; nec domum esse hoc corpus, sed hospitium, et quidem breve hospitium, quod relinquendum est, ubi te gravem esse hospiti videas.

Maximum, inquam, mi Lucili, argumentum est animi ab altiore sede venientis, si hæc, in quibus versatur, humilia judicat et angusta; si exire non metuit. Scit enim,
quo exiturus sit, qui, unde venerit, meminit. Non vide- 16

I, 4, 1 sq. ed. Lips. ibiq. not. *Ruhk.*

1. *Civem esse se universi et militem credens*, etc. Respexisse videtur Socratem, quem non Atheniensem se esse dixisse constat, sed mundanum, et se cum milite comparasse : unde hæc comparatio postea ad Cynicos Stoicosque devenit. Egregie his usus est Epictetus in Dissert. I, 9, ubi cf. Upton. *Ruhk.*

2. *Sed quasi delegatum sibi.* Vertit *Lagrange : Mais comme un ordre qui lui était adressé.*

3. *In hoc ipso navemus operam.* Pronomen *hoc* recte adjectum dedere *a. R.* et Gruteri cod. *Schw.*

4. *Fecit multis intellectum sui.* Multis virtute sua innotuit et clarus factus est. *Ruhk.* — Scilicet eo viso multi intellexerunt quid esset virtus.

5. *Humanis divinisque.* Vulgo *et humanis divinisque*, contra quam *a. c. R. A. Schw.*

6. *Ex qua pars et in hoc*, etc. Stoicorum hæc est opinio, animos nostros ex illo divino delibatos esse. Vide no-

Digitized by Google

mus, quam multa nos incommoda exagitent[1], quam male nobis conveniat hoc corpus? Nunc de capite, nunc de ventre[2], nunc de pectore ac faucibus querimur; alias nervi nos, alias pedes vexant; nunc dejectio[3], nunc distillatio[4]; aliquando superest sanguis, aliquando deest; hinc atque illinc tentamur, et expellimur. Hoc evenire
17 solet in alieno habitantibus. At nos, corpus tam putre sortiti, nihilo minus æterna proponimus; et, in quantum potest ætas humana protendi, tantum spe occupamus; nulla contenti pecunia, nulla potentia. Quid hac re fieri impudentius, quid stultius potest? Nihil satis est morituris, immo morientibus: quotidie enim propius ab ultimo stamus; et illo, unde nobis cadendum est, hora nos omnis impellit. Vide, in quanta cæcitate mens nostra
18 sit! Hoc, quod futurum dico, quum maxime fit; et pars ejus magna jam facta est: nam[5], quod viximus tempus, eo loco est, quo erat, antequam viximus. Erramus autem, qui ultimum timemus diem, quum tantumdem in mortem singuli conferant. Non ille gradus lassitudinem facit, in quo defecimus, sed ille profitetur. Ad mortem dies extremus pervenit, accedit omnis. Carpit nos[6] illa, non corripit.

19 Ideo magnus animus, conscius sibi melioris naturæ, dat quidem operam, ut in hac statione, qua positus est, honeste se atque industrie gerat: cæterum nihil horum,

stram Physiol. III, Dissert. VIII. *L.*

1. *Exagitent.* Perperam *exagitant* edd. *Schw.*

2. *Nunc de capite, nunc de ventre.* Sic *a. R.* Vulgo inverse, *Nunc de ventre, nunc de capite. Schw.*

3. *Dejectio.* Nempe alvi. *Ruhk.*

4. *Nunc distillatio* (alii *destillatio*), i. e. catarrhus. Vide ad Ep. LXXVIII, 1. Cæterum hæc et sequentia sæpe jam a Nostro allata sunt, quippe quibus libenter immorari senex solet. *Ruhk.*

5. *Nam, quod viximus.* Scilicet tempus quod viximus in nihilum reversum est, in quo jacebat antequam viveremus: tunc non erat, nunc non est: utrobique igitur est nihilum.

6. *Carpit nos illa.* Paulatim mors

Digitized by Google

quæ circa sunt[1], suum judicat, sed ut commodatis utitur, peregrinus et properans. Quum aliquem hujus videremus constantiæ, quidni subiret nos species non usitatæ indolis; utique, si hanc, ut dixi, magnitudinem veram esse ostendebat æqualitas[2]? Veri tenor permanet, falsa non durant. Quidam alternis Vatinii, alternis Catones 20
sunt: et modo parum illis severus est Curius, parum pauper Fabricius, parum frugi et contentus vilibus[3] Tubero; modo Licinium divitiis[4], Apicium cœnis, Mæcenatem deliciis provocant. Maximum indicium est malæ mentis, fluctuatio, et inter simulationem virtutum, amoremque vitiorum, assidua jactatio.

..... Habebat sæpe ducentos[5], 21
Sæpe decem servos: modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna, loquens: modo « Sit mihi mensa tripes, et
Concha salis puri, et toga quæ defendere frigus,
Quamvis crassa, queat! » — Decies centena dedisses
Huic parco, paucis contento; quinque diebus
Nil erat in loculis...

Omnes isti tales sunt, qualem hunc describit Horatius 22

ad se ducit, non impetu rapit. *Lips.*

1. *Quæ circa sunt.* Sic ms. *a.* cum ed. *R.* et hoc satis erat. Conf. not. ad Ep. III (p. 57, not. 4 hujus ed.) *Quæ circa se sunt* ms. *c.* et ed. *A. Quæ circa ipsum sunt* ed. Er. et seqq. *Schw.*

2. *Æqualitas? Veri tenor permanet, falsa non durant.* Hæc est Gronovii conjectura, quam veram lectionem habeo. Erasmus: *utique si hanc, ut dixi, magnitudinem veram esse ostendebat. Qualitatis veræ tenor permanet*, etc. Codd. palatini ap. Gruter. *Qualitas vero tenera*, alius *qualitas vero tenet*, alius, *quas vero tenet*, alius, *qualitas vere tenor.* Palat. tert. *ostendebat qualitas. Verus tenor.* Editio antiqua: *ostendebat qualitas veritatis verus tenor perm.* — *Æqualitas.* Cf. § 12: «Ostendit illam nobis ordo ejus et decor, et constantia, et omnium inter se actionum concordia, etc.» *Ruhk.*

3. *Contentus vilibus.* Sic commode *a. c. R. Fictilibus* ed. *A. Vili* ed. Er. et seqq. *Schw.*

4. *Modo Licinium divitiis.* Sic *c. A.* Pinc. Pal. 3 et Col. Perperam h. l. *Linum a.* et *R. Lucium Crassum* ed. Ven. et Er. *Licinum* ed. Muret. et seqq. *Schw.*

5. *Ducentos.* Versus sunt Horatii Serm. I, 3, 11 sq. in Marc. Tigellium Hermogenem, musicum peri-

Digitized by Google

Flaccus[1], nunquam eumdem, ne similem quidem sibi; adeo in diversum aberrat. Multos dixi; prope est ut omnes sint. Nemo non quotidie et consilium mutat, et votum : modo uxorem vult habere, modo amicam : modo regnare vult; modo id agit, ne quis sit officiosior servus : modo dilatat se usque ad invidiam; modo subsidit, et contrahitur infra humilitatem vere jacentium : nunc pe-
23 cuniam spargit, nunc rapit. Sic maxime coarguitur animus imprudens; alius prodit atque alius, et, quo turpius nihil judico, impar sibi est. Magnam rem puta, unum hominem agere[2]. Præter sapientem autem nemo unum agit; cæteri multiformes sumus. Modo frugi tibi videbimur et graves, modo prodigi et vani. Mutamus subinde personam, et contrariam ei sumimus, quam exuimus. — Hoc ergo a te exige, ut, qualem institueris præstare te, talem usque ad exitum serves. Effice ut possis laudari; si minus, ut agnosci. De aliquo, quem heri vidisti[3], merito dici potest : Hic qui est[4]? Tanta mutatio est. Vale.

tissimum et vocis eximiæ, Caio Julio Cæsari et Cleopatræ acceptissimum, Augusto quoque Cæsari amicissimum, et sibi vel maxime imparem, et inconstantem. *Ruhk.*

1. *Horatius Flaccus.* Posterius nomen, quod abest vulgatis edd. adjiciunt veteres libri omnes : et *R.* quidem præponit, reliqui autem postponunt. *Schw.*

2. *Unum hominem agere.* Facere, ut semper sis idem. Lipsius addit : qui finis est Zenonis, vita conveniens. Vide Manuduct. II, 15. *Ruhk.* — At Mureti nota hic opportuna. Nam quod in sacris de Jobo scribitur : *fuit unus vir,* id ita Hieronymus interpretatur : non permobilis et instabilis ferebatur, sed firmus atque inconcussus persistens, erat vir unus in adversis et in secundis.

3. *Quem heri vidisti.* Mss. *a. c. A.* dant *here*, servata prisca verbi forma. Vulgo *quem vidisti heri. Schw.*

4. *Hic qui est?* Sic scripsi cum ms. *a.* Alii vulgo *quis. Schw.*

Digitized by Google

EPISTOLA CXXI.

OMNIA ANIMALIA HABERE INTELLECTUM SUI.

Quæstionem, an esset omnibus animalibus constitutionis suæ sensus, solaturus excusat conatum suum, quod tractet ea, quæ non ad mores spectare videantur, exemplo Posidonii et Archidemi, qui et ea tractanda esse pronuntiant, quæ licet hominem non meliorem faciant, tamen mores attingunt, quippe quos cognoscere non possis, nisi naturam hominis et quid ipsi optimum sit, antea inspexeris. Demonstrat deinde, omnibus animalibus constitutionis suæ sensum esse, id est, ea sponte et natura id facere, quod debeant, et cui nata sint, non aliter quam in hoc erudita. Non ars, sed natura illis hanc partium et artuum agilitatem præstat: est spontaneus motus, non metus, doloriave timor, nec principalis partis animi effectio, cujus sensus animalibus nec satis dilucidus, nec expressus est. Nec ratio quidquam efficit, omnia natura, quæ, simulatque nascuntur, statim scientiam rerum et utilium et perniciosarum iis præstat semper æqualem et nunquam crescentem. Exempla varia hoc docent.

In quæstionem hàncce incidebant Stoici ratione philosophico-historica cupientes principia Ethices explorare. Quum enim hac ratione in originem et naturam virtutis inquirerent historiam hominis et cæterorum animalium condendo, amorem sui omnium primum a natura iis inditum esse statuebant. Ea autem, quæ huic amori proposita sunt, appellabant prima naturæ. Placuit Stoicis, ait Cato ap. Ciceron. de Fin. III, 5 init. simulatque natum sit animal, hinc enim est ordiendum, ipsum sibi conciliari et commendari ad se conservandum et ad suum statum, et ad ea, quæ conservantia sunt ejus status, diligenda: alienari autem ab interitu, iisque rebus, quæ interitum videantur afferre. Quæ Catonis verba quin e græco conversa sint, noli dubitare. Cf. Diog. Laert. VII, 85 cum interpr. quum ad hunc locum, tum ad Cic. et Tiedemann *Syst.* III p. 17 sqq. et Garve *Übersicht* p. 57 sq. Defendere autem coacti sunt hunc locum de conservatione sui, sive de studio cuique animali innato, suam constitutionem naturalem et notam, s. statum, σύστασιν conservandi, una cum Platonicis et Peripateticis contra Aristippum Epicurumque, atque eorum asseclas, quippe qui non illam constitutionem ab animalibus, simulatque nata fuerint, quæri affirmarent, sed unam voluptatem, quæ sub sensus cadat. Parum subtiliter de hoc philosophorum dissensu Tiedemannum, alioquin doctissimum Stoicæ philosophiæ interpretem, ut sæpe alias, disseruisse facile est ad intelligendum: qui quum nil nisi λογομαχίαν

Digitized by Google

eos pugnasse, sive verbis, non re, dissenssise putaret, non advertit, tum discrimen omnino intercedere, tum a nobismet ipsis hodieque libenter statui et cuique non cupide observanti facillime occurrere. Instinctus enim ille naturalis, quem vocare solemus, hoc satis docet. Sed enim si conciliari facile potuisse illos dissidentes, modo ex utroque dogmate unum conflassent, contendisset Vir egregius, neminem, quin assentiretur, fore confido.

Cæterum consulas Reimari librum mea laude majorem: *Ueber die Kunsttriebe der Thiere*, inscriptum; ubi et hanc quæstionem egregie, ut solitus erat auctor præstantissimus, dum viveret, expositam videbis, et clara luce illustratam.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

LITIGABIS, ego video, quum tibi hodiernam quæstiunculam, in qua [1] satis diu hæsimus, exposuero: iterum enim clamabis, « Hoc quid ad mores? » Sed [2] exclama; dum tibi primum alios opponam, cum quibus litiges, Posidonium et Archidemum [3] (hi judicium accipient [4]);
2 deinde dicam, Non quidquid [5] morale est, bonos mores

1. *In qua... hæsimus.* Haud scio, utrum antea de hac quæstione colloquti sint, an Seneca in Moralibus suis conscribendis in eam incideret et inquireret, atque adeo adversariorum sententias excuteret: quare solito diutius huic quæstioni immoratus esse videtur. *Ruhk.*

2. *Sed exclama; dum.* Sic Gruterus emendavit. Erasm. *sed ad exclamandum. Tibi primum op.* cui codd. plerique adstipulantur. Ex uno cod. Pinciani Muretus dedit: *Sed exclamanti tibi primum alios opponam.* Quum duo codd. haberent: *Sed exclamandum tibi*; etc. Gruterus inde fecit: *Sed exclamandum. tibi*, etc. Melius instituta est a Lipsio al. interpunctio post: *exclama. Ruhk.*

3. *Archidemum.* Alii vocant eum Archedamum. Inter magnos Stoæ auctores refertur, coævus Carneadis; vixitque ideo circa annum 600 urbis cond. Cf. Fabric. Bibl. gr. Vol. III, p. 540. *Ruhk.*

4. *Hi judicium accipient.* Tanquam judices ad sententiam ferendam. *R.* — Prorsus non hic est auctoris sensus: dicit eos judicium accepturos, id est, sententiam tanquam sontes subituros, quia illa quæstiuncula ab illis posita et tractata fuit: si querelæ locus est, in illos veniat, hanc illi accipiant: et quum iram tuam in illos effuderis, tunc ego dicam, etc. Ideo nec Lipsium probamus qui interpretatur: non diffugient: litem tecum contestabuntur.

5. *Non quidquid... facit.* Egerunt enim Stoici in morali Philosophiæ parte de appetitione (ὁρμῇ), de bonis et malis, de affectibus s. perturbationibus (πάθεσι), de virtute, de principio morali (πάλαι), de prima æstimatione (περὶ τῆς πρώτης ἀξίας), de actibus, de officiis, de adhortationibus

Digitized by Google

facit. Aliud ad hominem alendum pertinet, aliud ad exercendum, aliud ad vestiendum, aliud ad docendum, aliud ad delectandum. Omnia tamen ad hominem pertinent, etiam si non omnia meliorem eum faciunt. Mores alia aliter attingunt. Quædam illos corrigunt et ordinant; quædam naturam eorum et originem scrutantur. Quum quæro, 3
quare [1] hominem natura produxerit, quare prætulerit animalibus cæteris, longe me judicas mores reliquisse? Falsum est! Quomodo enim scies, qui habendi sint, nisi, quid homini sit optimum, inveneris? nisi naturam ejus inspexeris? Tunc demum intelliges, quid faciendum tibi, quid vitandum sit, quum didiceris, quid naturæ tuæ debeas. — Ego, inquis, volo discere, quomodo minus cupiam, minus timeam: superstitionem mihi excute; doce, 4
leve esse vanumque hoc, quod felicitas [2] dicitur; unam illi syllabam [3] facillime accedere! — Desiderio tuo satisfaciam, et virtutes exhortabor [4], et vitia converberabo:

et dehortationibus. Cf. Diog. Laert. VII, 84. Atqui multos fuisse in origine causisque horum locorum disquirendis constat: itaque non omnis hæc doctrina mores bonos facere potuit. Nec totus locus, qui est de officiis, quippe strictiori sensu, eos efficit, qui inprimis ad cultum victumque spectat, ideoque continet quæ *ad hominem alendum*, etc. pertinent, et cætera quæ a Stoicis inter bona non numerantur. *Ruhk.*

1. *Quum quæro, quare*, etc. *Quum quæritur quare* edd. inde ab Er. et verbum *quæritur* vel h. l. vel deinde post *produxerit* agnoscunt etiam nonnulli codd. Gruteri; at deest prorsus id verbum *a. c. R. A.* Itaque absorptum existimavi a voce *quare*, ab eisdem litteris incipiente; sed brevius olim *quæro* (in prima persona) scriptum fuisse judicavi; cum quo consentit, quod dein ait, *longe me judicas*, etc. *Schw.*

2. *Felicitas.* Sensu Epicureorum, Diog. Laert. X, 6: «Οὐ γὰρ ἴγωγε ἴχω, τί νοήσω τἀγαθὸν, ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ χυλῶν ἡδονὰς, ἀφαιρῶν δὲ καὶ τὰς δι' ἀφροδισίων, καὶ τὰς δι' ἀκροαμάτων, καὶ τὰς διὰ μορφῆς, quæ sunt verba Epicuri, conversa a Cicerone Tuscul. Qu. III, 18. *Ruhk.*

3. *Unam illi syllabam... accedere.* Scilicet syllabam *in*, ut felicitas fiat infelicitas. *Ruhk.*

4. *Et virtutes exhortabor.* Sic mss. et edd. vett. At Muretus a Pinciani conjectura præpos. arripuit scripsitque: *ad virtutes.* Bene dici, *exhortari quem quid*, satis notum est. *R.*

Digitized by Google

licet aliquis[1] nimium immoderatumque in hac parte me judicet, non desistam persequi nequitiam, et affectus efferatissimos inhibere, et voluptates ituras in dolorem
5 compescere, et votis obstrepere[2]. Quidni? quum maxima malorum optaverimus, et ex gratulatione natum sit quidquid obloquimur[3]. Interim permitte mihi, ea, quæ paulo videntur remotiora, excutere.

Quærebamus, « An esset omnibus animalibus constitutionis suæ sensus? » Sensum autem esse, ex eo maxime apparet, quod membra apte et expedite movent, non aliter, quam in hoc erudita. Nulli non partium suarum agilitas est[4]. Artifex instrumenta sua tractat ex facili; rector
6 navis scit gubernaculum flectere; pictor[5] colores, quos ad reddendam similitudinem multos variosque ante se

1. *Licet aliquis.. judicet.* Sæpius jam vidimus, a molli suo sæculo Senecam eo nomine fuisse reprehensum. *R.*

2. *Votis obstrepere.* Vota mortalium coarguere.

3. *Et ex gratulatione... obloquimur.* Ex eo, quod votorum compotes facti, gratulationes exceperimus, quasi rebus bonis: at malæ illæ erant. *Lips.* — *Quidquid obloquimur.* I. de quo querimur. *Ruhk.* — Vertit *Lagrange* timide quidem et de sensu dubitans: *Puisque nous nous sommes félicités autrefois des mêmes événemens qui excitent aujourd'hui nos plaintes et nos murmures.* Sane sensus hic est; nisi quod *ex gratulatione* non designat, ut arbitramur, nosmetipsos nobis gratulatos esse, sed gratulationes excepisse ab aliis. Idem interpres notam Lipsii in hoc loco obscuritatis arguit, non immerito: nempe videtur Lipsius dicere, ea de quibus querimur nata esse ex eo quod gratulationes exceperimus, ita ut gratulationes ipsæ ea peperissent de quibus nunc querimur; Seneca autem dicere vult, ea de quibus querimur nata esse ex ipsis rebus quæ nobis fuerant materia gratulationum, ea ipsa quasi inter gratulationes ortum cepisse. Inde concise dicit ex ipsis gratulationibus nata esse.

4. *Nulli non partium suarum agilitas est.* Int. Omnia utuntur facile et agiliter partibus corporis sui.

5. *Pictor... commeat.* Coloribus celerrime utitur, eos ad pingendum eligit et sumit, et *inter ceram* i. pugillarem, et archetypum, quod depingere vult, facile commeat. — Lipsius hæcce notavit: Turnebus (Adversar. 24, 17) notat, ceram esse fucum sive picturam: quia veteres *ceris* pingere solebant. Ceris dico varie coloratis. Varro (de Re rust. III, 17, 4, ibique cf. Schneider.): « Pictores loculatas magnas habent arculas, ubi discolores sunt ceræ. » — Turnebus itaque et Lipsius de pictura encausta cogitant,

Digitized by Google

posuit, celerrime denotat, et inter ceram opusque facili vultu ac manu commeat. Sic animal in omnem usum sui mobile. Mirari solemus saltandi peritos[1], quod in omnem significationem rerum et affectuum[2] parata illorum est manus, et verborum velocitatem gestus assequitur. Quod illis ars præstat, his natura. Nemo ægre molitur artus 7
suos, nemo in usu sui hæsit; ad hoc edita protinus faciunt; cum hac scientia prodeunt, instituta nascuntur. — Ideo, inquit[3], partes suas animalia apte[4] movent, quia, si aliter moverint, dolorem sensura sunt. — Ita, ut vos dicitis, coguntur; metusque illa in rectum, non voluntas, movet: quod est falsum. Tarda enim sunt, quæ necessitate impelluntur: agilitas sponte motis[5] est. Adeo autem non adigit illa ad hoc doloris timor, ut in 8

quam deperditam restituere voluerunt Caylus, Calau, Requeno, Hackertus, Fabroni aliique, successu haud infelici. Cf. Salmasius ad Vopisc. Aur. c. 45. Exercitat. plin. p. 163 sq. Durand ad Plin. p. 289 sqq. Hirt in berlin. *Monatsschrift fur bildende Kunste*, anni 1789, p. 18 sqq. *Ruhk.*

1. *Saltandi peritos.* Sic Gronov. de conjectura. Mss. eodd. omnes et vett. edd. præstant, *satiat;* unus Erasmi, *satiant.* Unde Turnèbus Advers. 26, 20, 30, 3; legendum putabat, *saltationis peritos.* Erasmus: *scenæ peritos.* In hac quam recepi Gronovii emendatione utcumque acquiescere possumus, dum meliora meliores codd. nos edocuerint. Cæterum *saltandi* propius abest a *satiat*, quam *scenæ*, et de pantomimis solemne esse constat.—*Saltandi peritos.* I. e. pantomimos, qui sola gesticulatione ad tibiam fabulam aliquam sive comice sive tragice agerent, haud absimiles iis, qui nunc mimicas saltationes, quas *Ballets* vocamus, agunt. Cf. Lucianum περὶ ὀρχήσεως de saltatione hac. Loquaces pantomimorum manus hinc sæpius laudantur. Vide Jacobs ad Anal. Brunkii, Anim. II, 1. p. 309. Ciceronis autem tempore Romæ hæc ars vigere cœpit, et tanto fuit in honore sub imperatoribus, ut tragœdiæ et comœdiæ tantum non prorsus præ iis contemnerentur. Ipse Nero egit Turnum. Cf. Sueton. Ner. 54. Phædri fab. V, 7. Loca veterum post Salmas. ad Histor. Aug. p. 496 collegit J. B. Carpzov. Paradoxon stoicum, etc. p. 86 sq. Alias vocat *artifices scenæ;* Benef. VIII, 20. *Ruhk.*

2. *Affectuum.* Sic recte mss. *a. c. R. A.* Perperam *effectuum* vulgo edd. *Schw.*

3. *Ideo, inquit*, Epicureus, quippe cui summa rerum erat voluptas. *R.*

4. *Apte movent.* Recte *a. c. A.* Perperam *movebunt* edd. ex *R. S.*

5. *Agilitas sponte motis est.* Sic commode ms. *a.* Tum *sponte motus*

Digitized by Google

naturalem motum, etiam prohibente dolore, nitantur. Sic infans, qui stare meditatur et ferre se assuescit, simul tentare vires suas cœpit, cadit; et cum fletu toties resurgit, donec se per dolorem ad id, quod natura poscit, exercuit. Animalia quædam tergi durioris, [1] inversa, tamdiu se torquent, ac pedes exserunt et obliquant, do-
9 nec ad locum reponantur. Nullum tormentum sentit supinata testudo: inquieta est tamen desiderio naturalis status; nec ante desinit niti, quatere se [2], quam in pedes constitit. Ergo omnibus constitutionis suæ sensus est, et inde membrorum tam expedita tractatio: nec ullum majus indicium habemus, cum hac illa ad vivendum venire notitia, quam quod nullum animal ad usum sui rude est.

10 « Constitutio [3], inquit, est, ut vos dicitis, principale animi, quodam modo se habens erga corpus. » Hoc tam perplexum et subtile, et vobis quoque vix enarrabile, quomodo infans intelligit? Omnia animalia dialectica nasci oporteret, ut istam finitionem, magnæ parti hominum togatorum [4] obscuram, intelligant. — Verum erat, quod opponis, si ego ab animalibus constitutionis finitionem
11 intelligi dicerem, non ipsam constitutionem [5]. Facilius natura intelligitur, quam enarratur. Itaque infans ille, quid sit constitutio, non novit; constitutionem suam novit: et, quid sit animal, nescit; animal esse se sentit.

perperam *c. R. A.* Denique *spontaneus motus* ed. Ven. et seqq. *Schw.*

1. *Animalia... inversa.* I. quæ inverteris in tergum: exemplo est testudo. *Ruhk.*

2. *Quatere se. Et quatere se* mallem. *Schw.*

3. *Constitutio... intelligant.* Epicureorum est oppositio. Stoicorum autem definitio constitutionis (συστάσεως) exprimit animi (τοῦ ἡγεμονικοῦ) vim ad corpus: τὸ ἡγεμονικὸν ἔχον πως πρὸς τὸ σῶμα ἔστι ἡ σύστασις. *Ruhk.*

4. *Togatorum.* I. e. primorum civium. Nam hoc ipso, quod *togatos* dicit, *tunicatæ* plebi opponit. Illi autem primores (fuerunt tunc) fere docti. *Lips.*

5. *Non ipsam constitutionem. Facilius natura*, etc. Sic recte *a. c. A.*

Digitized by Google

Præterea ipsam constitutionem suam crasse intelligit, et summatim, et obscure. Nos quoque, animum habere nos scimus; quid sit animus, ubi sit, qualis sit, et unde, nescimus. Qualis ad nos pervenit animi nostri sensus, 12
quamvis naturam ejus ignoremus ac sedem; talis ad omnia animalia constitutionis suæ sensus. Necesse est[1] enim id sentiant, per quod alia quoque sentiunt: necesse est ejus sensum habeant, cui parent, a quo reguntur. Nemo 13
non ex nobis intelligit, esse aliquid, quod impetus suos moveat; quid sit illud, ignorat: et conatum sibi esse scit; quid sit, aut unde sit, nescit. Sic infantibus quoque[2], animalibusque, principalis partis suæ sensus est, non satis diluoidus, nec expressus[3].

Dicitis[4], inquit, « omne animal primum constitutioni 14
suæ conciliari[5]; hominis autem constitutionem rationalem esse, et ideo conciliari hominem sibi, non tanquam animali, sed tanquam rationali: ea enim parte sibi carus est homo, qua homo est. » Quomodo ergo infans conciliari constitutioni rationali potest, quum rationalis non-

Perperam vulgo, *Nam ipsa constitutio facilius*, etc. *Schw.*

1. *Necesse est... sentiunt.* Eam constitutionem, quæ facit, ut alia quoque sentiant, sentire debemus; ejus sibi quamvis crasse conscia sint necesse est. Etiam sensum ejus habeant, cui parent, i. e. principalis suæ partis, τοῦ ἡγεμονικοῦ, facultatis cogitandi, s. rationis, unde reliquæ septem partes animi dependent. *Ruhk.*

2. *Sic infantibus quoque animalibusque, a. c. R. A.* Vulgo *Sicut infantibus, sic quoque animalibus*, edd. inde ab Erasmo. *Schw.*

3. *Nec expressus, a. c. R. A.* Vulgo *non expressus. Schw.*

4. *Dicitis... nondum sit?* Opponit Epicureus: falsum esse Stoicorum dogma hoc, quod, quum constitutio s. status a natura constitutus hominis sit rationalis, infans huic constitutioni rationali conciliari s. commendari a natura (οἰκειοῦσθαι) non possit, quum nondum rationalis sit. Respondet, constitutionem esse diversam secundum ætatem, quæ isti statui *conciliatur*, apta redditur, manere tamen conciliationem semper eamdem. Cf. Diog. Laert. VII, 85. *Ruhk.*

5. *Primum constitutioni suæ conciliari.* Vertit *Lagrange: Commence par se conformer à sa constitution.* Nempe quum posuit auctor animalibus sensum esse constitutionis suæ,

Digitized by Google

dum sit? — Unicuique ætati sua constitutio est; alia in-
15 fanti, alia puero, alia seni. Omnes ei constitutioni conciliantur, in qua sunt. Infans sine dentibus est; huic constitutioni suæ conciliatur : enati sunt dentes; huic constitutioni conciliatur. Nam et illa herba, quæ in segetem frugemque ventura est, aliam constitutionem habet[1], tenera, et vix eminens sulco; aliam, quum convaluit, et, molli quidem culmo, sed qui ferat[2] onus suum, constitit; aliam, quum flavescit, et ad aream spectat[3], et
16 spica ejus induruit : in quamcumque constitutionem venit, eam tuetur, in eam componitur. Alia est ætas infantis, pueri, adolescentis, senis; ego tamen idem sum, qui et infans fui, et puer, et adolescens. Sic, quamvis alia atque alia cuique constitutio sit, conciliatio constitutionis suæ eadem est. Non enim puerum mihi, aut juvenem, aut senem, sed me, natura commendat. Ergo infans ei constitutioni suæ conciliatur, quæ tunc infanti
17 est, non quæ futura juveni est. Neque enim[4], si aliquid illi majus, in quod transeat, restat; non hoc quoque,

sequitur ut animalia eo sensu duce se moveant, et constitutioni suæ se accommodent.

1. *Aliam constitution. habet.* Perperam *alienam* edd. invitis mss. *S.*

2. *Qui ferat.* Recte vulgo edd. *Quod ferat* vett. libri nostri et Gruterus. *Schw.*

3. *Et ad aream spectat.* Propter spicam maturescentem et plenam. Turnebus tamen Adversar. 26, 20 de area cogitat, quo demessa terendi s. trituræ causa deportari soleant : consentit quoque Lipsius. *Ruhk.*

4. *Neque.... est.* Nam semper hoc majus, in quod transeat, secundum naturam est, s. a natura commendatur, aptum redditur ei. *Ruhk.* — Non videtur Ruhkopfius auctoris sensum intellexisse. Negatio *neque enim* jungi debet alteri negationi, *non hoc quoque*; ut ambæ negativæ affirmantem gignant; sensus est : etenim ideo quod infans in aliquid majus transire debet, non inde sequitur statum illum in quo nascitur, non esse secundum naturam : vel per affirmationem; quamquam infans in majus transire debet, tamen status in quo nascitur secundum naturam est : ideo bene vertit *Lagrange : Et s'il passe par la suite à un état d'accroissement plus grand encore, on ne peut pas en conclure que celui dans lequel il est né, n'ait pas été conforme à sa nature.*

Digitized by Google

in quo nascitur, secundum naturam est. Primum[1] sibi ipsi conciliatur animal; debet enim aliquid esse, ad quod alia referantur. Voluptatem peto: cui? mihi! ergo mei curam ago. Dolorem refugio: pro quo? pro me! ergo mei curam ago. Si omnia propter curam mei facio, ante omnia est mei cura. Hæc animalibus inest cunctis; nec inseritur[2], sed innascitur. Producit fœtus suos natura, 18
non abjicit; et, quia tutela certissima ex proximo est, sibi quisque commissus est. Itaque, ut prioribus epistolis[3] dixi, tenera quoque animalia, ex materno utero, vel quoquo modo, effusa, quid sit infestum ipsis protinus norunt, et mortifera devitant; umbram quoque transvolantium reformidant obnoxia avibus rapto viventibus. Nullum animal ad vitam prodit sine metu mortis.

Quemadmodum, inquit[4], editum animal intellectum 19
habere, aut salutaris, aut mortiferæ rei, potest? —Primum quæritur, an intelligat, non quemadmodum intelligat. Esse autem illis intellectum, ex eo apparet, quod nihil amplius, si intellexerint, faciant. Quid est, quare pavonem, quare anserem gallina non refugiat, quum tanto minorem, et ne notum quidem sibi, [5] accipitrem? quare pulli felem timeant[6], canem non timeant? Appa- 20

1. *Primum... animal.* Sc. a natura, ut se tueatur: eo omnia alia referenda sunt. Sic Chrysippus Diog. Laert. l. l. «Τὴν δὲ πρώτην ὁρμήν φασι τὸ ζῶον ἴσχειν ἐπὶ τὸ τηρεῖν ἑαυτὸ οἰκειούσης αὐτῷ τῆς φύσεως ἀπ' ἀρχῆς, κατάφησιν ὁ Χρύσιππος, κ. τ. λ.» Cf. Cicero de Offic. 1, 4. *Ruhk.*

2. *Hæc* (cura)... *nec inseritur.* E. c. institutione. *Ruhk.*

3. *Prioribus epistolis.* Sic ms. *a. In prioribus epist. c. R. A.* Vulgo *in prioribus* (absque *epistolis*) edd. a Mur. *Schw.*

4. *Quemadmodum, inquit.* Aliud Epicureorum argumentum repellitur, qui ideo, quod non viderunt, quomodo hoc fieri possit, colligere videntur, falsum quid a Stoicis proponi. Respondet itaque recte Seneca, animalia salutares mortiferasve res intelligere, etc. *Ruhk.*

5. *Accipitrem.* Vulgo *accipitrem fugiat.* Sed posterius verbum nec necessarium erat, et ignorant illud *a. c. R. A. Schw.*

6. *Timeant*, dederunt, *a. c. R. A. Timent* edd. *Schw.*

Digitized by Google

ret, illis inesse nocituri scientiam, non experimento collectam : nam, antequam possint[1] experiri, cavent. Deinde, ne hoc casu existimes fieri, nec metuunt alia quam debent[2], nec unquam obliviscuntur hujus tutelæ et diligentiæ : æqualis est illis a pernicioso fuga. Præterea, non fiunt timidiora vivendo. Ex quo quidem apparet, non usu illa in hoc pervenire[3], sed naturali amore salutis suæ. Et tardum est, et varium, quod usus docet : quid-
21 quid natura tradit, et æquale omnibus est, et statim. Si tamen exigis[4], dicam, quomodo omne animal perniciosa intelligere conetur. Sentit se carne constare : itaque quum sentit[5], quid sit, quo secari caro, quo uri, quo obteri possit, quæ sint animalia armata ad nocendum ; horum speciem trahit inimicam et hostilem. Inter se ista[6] conjuncta sunt : simul enim conciliatur saluti suæ[7] quodque, et, quæ juvant, illa petit; læsura formidat. Naturales

1. *Possint.* Ms. *a. possent. Schw.*

2. *Non metuunt alia quam debent.* Int. non metuunt alia quam quæ debent metuere.

3. *In hoc pervenire.* Sic ex more Senecæ, dedere *a. c. A.* Vulgo *ad hoc,* ex *R. Schw.*

4. *Si tamen exigis* rel. Vereor, ut hac explicatione τοῦ *quemadmodum* acquieverit Epicureus : et satius fuisset, eam omissam esse. Nam quomodo pulli, infantesque istud sentiant, quid sit quo secari caro, etc. possit, etiamsi sentiant se carne constare ? *Ruhk.*

5. *Itaque quum sentit,... quo obteri possit, quæ sint animalia,* etc. Sic recte ms. *c.* et ed. *A.* Vulgo *Itaque sentit... quo obteri possit. Quæ sunt animalia,* etc. Et sic quidem ed. *R.* et *quum* etiam caret ms. *a.* sed recte idem ms. *a.* dein *quæ sint* habet cum *c. A.* et Pal. 2, 3. et Col. Fortasse pro *itaque* scribendum erat *ita quum.* Superest vero etiam vestigium hujus particulæ *quum* vel *cum* in Pal. 2, 3 et Col. in quibus *consentit* scribitur, quod ex *cum sentit,* etc. corruptum. *Schw.*

6. *Inter se ista.* Ruhk. explicat : Salutaria et mortifera ; quæ explicatio tenebras, si quæ sint, excutere minime nobis videtur. Sensus est : Ista, nempe sentire quid sit quo caro secari potest, quæ sint animalia armata ad nocendum, etc. et mortifera pro inimicis habere, inter se conjuncta sunt; aliud ab alio necessario pendet.

7. *Conciliatur saluti suæ quodque, et, quæ juvant, illa petit.* Hæc ita ex facili conject. a nobis correcta sunt. Vulgo *quidque : et quæ juvant,* etc. edd. ex *R. Quodque juvat, illa petit* dabant Pal. 2, 3 et Col. Mendose *quid quæ et juvant* ms. *a.* et sic fere etiam *c.* et *A. Schw.*

Digitized by Google

ad utilia impetus[1], naturales a contrariis aspernationes sunt: sine ulla cogitatione, quæ hoc dictet[2], sine consilio fit, quidquid natura præcepit[3]. Non vides, quanta sit subtilitas apibus ad fingenda domicilia? quanta[4] dividui laboris obeundi concordia? Non vides, quam nulli mor- 22
talium imitabilis illa aranei textura[5]? quanti operis sit, fila disponere, alia in rectum immissa firmamenti loco, alia in orbem currentia ex denso rara? quam minora animalia[6], in quorum perniciem illa tenduntur, velut retibus implicata teneantur? Nascitur ars ista, non discitur. 23
Itaque nullum est animal altero doctius. Videbis araneorum pares telas, par in favis[7] angulorum omnium foramen. Incertum est et inæquale, quidquid ars tradit; ex æquo venit, quod natura distribuit. Hæc nihil magis, quam tutelam sui et ejus peritiam, tradidit; ideoque etiam

1. *Naturales ad utilia impetus, naturales a contrariis*, etc. Quatuor priora verba, quum deessent vulgo, dedit ms. *a. Schw.*

2. *Sine ulla cogitatione, quæ hoc dictet.* Quum deessent olim tria postrema verba, ex Gruterianis libris Ruhkopfius adjecit *quæ hoc dicit*, quod et habent *c. A. R.* sed rectius *dictet* dedit ms. *a. Schw.*

3. *Præcepit*, non *præcipit*, dedere vett. libri omnes. *Schw.*

4. *Dividui laboris.* Noli hoc ita intelligere, quasi quæque manus apum separato operi s. muneri destinetur: sed de labore omnibus operantibus imposito et eo diverso, tempore etiam diverso capias. Primum enim omnes operantes apes simul alveum propoli circumlinunt, tum favos faciunt, ut cellæ fiant, etc. Moneo, ne in eumdem errorem incidas, quem errasse Buffonum docuit Reimarus: *Vornehmste Wahrheiten der natürlichen Religion*, p. 350 sqq. ed. IV. *Ruhk.*

5. *Imitabilis illa aranei textura.* Vulgo *sit illa* ed. ex *R.* sed ignorant verbum *a. c. A. Aranei* vero, non *araneæ*, ut alibi, sic et h. l. dedit ms. *a.* rursusque infra *araneorum. Schw.*

6. *Quam minora animalia*, etc. *quibus* malebam, sc. filis; aut *qua*, scil. textura, quanquam hoc vocab. longius abest. Sed *quam* tenent libri, quod idem valebit ac *quo modo;* cum quo congruit quod deinde scribitur *teneantur*, ubi vulgo *quæ.... teneant*, commode quidem, sed ex Erasmi ingenio. *Schw.*

7. *Par in favis.* Sic recte et percommode edd. ante Ruhk. cum *a. c. R. A.* et Pal. 2, 3. *In filis* ex tribus aliis Gruterianis recepit Ruhk. quod nemo facile probaverit. *Schw.* — At contra Ruhkopfius: facile est, inquit, ad intelligendum præferendam esse lectionem, quam restituimus. Nam

Digitized by Google

simul incipiunt et discere et vivere : nec est mirum, cum
24 eo nasci illa, sine quo frustra nascerentur. Primum hoc instrumentum illis natura contulit ad permanendum in conciliatione et caritate sui. Non poterant salva esse, nisi vellent : nec hoc per se profuturum erat [1]; sed sine hoc nulla res profuisset. Sed in nullo deprehendes vilitatem sui [2], ne negligentiam quidem. Tacitis quoque et brutis, quamvis in cætera torpeant, ad vivendum solertia est. Videbis, quæ aliis inutilia sunt, sibi ipsa non [3] deesse. Vale.

de illo foramine favorum omnium silent rerum naturalium curiosi investigatores et veteres, et recentiores, quin alia omnia docent. Certa sunt, si ad araneas retuleris. *Ruhk.*

1. *Nec hoc per se profuturum erat.* Quia necesse erat accedere quamdam peritiam tutandi sui.

2. *Vilitatem sui.* I. e. vitæ contemptum, ut vilem se habeat. Sic Noster de Clementia lib. I, cap. 3: « Nec hæc vilitas sui est aut dementia pro uno capite tot millia excipere ferrum, etc. » *Ruhk.*

3. *Sibi ipsa non deesse.* Ipsa consulere vitæ.

EPISTOLA CXXII.

CONTRA EOS QUI NATURAM INVERTUNT.

Faceta lucifugarum et eorum, qui naturam in vita degenda relinquunt, descriptio, quæ tamen acerbitate non caret, docet amicum, hos pravos et sibi et omnibus aliis dissidere, propter vitæ communis fastidium. Tandem monet, ut teneat viam a natura præscriptam, nec ab illa declinet.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Detrimentum [1] jam dies sensit : resiluit aliquantulum; ita tamen [2], ut liberale adhuc spatium sit, si quis

1. *Detrimentum*, etc. Æstate in autumnum transeunte scripta esse videtur hæc epistola : inde *detrimentum* s. jacturam explices quam dies fecerint, quum minuti sint, et lux tardior facta sit. *Ruhk.*

2. *Ita tamen... exeat.* Dies quidem minuitur, tardior lux est : tamen vel

Digitized by Google

cum ipso, ut ita dicam, die surgat, officiosior meliorque, quam[1], si quis illum exspectet, ut luce prima [2]exeat. Turpis[3], qui alto sole semisomnus[4] jacet, cujus vigilia medio die incipit[5] : et adhuc multis hoc[6] antelucanum est. Sunt, qui officia lucis noctisque perverterint[7], nec ante diducant[8] oculos hesterna graves crapula, quam appetere nox cœpit. Qualis illorum conditio dicitur, quos 2
natura, ut ait Virgilius, sedibus nostris[9] subditos e contrario posuit,

> Nosque ubi primus equis Oriens afflavit anhelis,
> Illic sera rubens accendit lumina Vesper[10]:

talis horum contraria omnibus, non regio, sed vita est. Sunt quidam in eadem urbe antipodes, qui, ut [11]M. Cato ait, « nec orientem unquam solem viderunt, nec occidentem. » Hos tu existimas scire, quemadmodum viven- 3
dum sit, qui nesciunt quando? Et hi mortem timent, in quam se vivi condiderunt; tam infausti[12], quam noc-

sic satis longus est dies, si quis cum luce surgat, sed melioris officii causa, quam ut salutatum alios eat. Cujus? ut se curet, et salvum velit faciatque. *Lips.*

1. *Quam.* Quinque codd. pal. et editio antiqua non habent, et Turnebus advers. 26, 20, una cum Grut. damnat. Erasmus aliique tenent.

2. *Ut luce prima exeat;* Pinciano debetur conjectanti. Codd. et excusi omnes habent : *et lucem primam exuit. Ruhk.*

3. *Turpis... incipit.* Quoniam vita profecto vigilia est; judice Plinio in præfat. Hist. Nat. et revera plus vigilare, plus vivere est. *Ruhk.*

4. *Semisomnus, a. c. A.* Vulgo *semisomnis* ex *R. Schw.*

5. *Incipit. Incepit*, ms. *a. Schw.*

6. *Hoc antelucanum est.* Int. hoc tempus medii diei nondum lux est, sed quasi crepusculum.

7. *Perverterint, a. c. A. Pervertunt* edd. ex. *R. Schw.*

8. *Diducant;* ms. *a. Deducant, c. A. R.* Vulgo legitur *diducunt. Schw.*

9. *Sedibus nostris* tenent veteres omnes. *Pedibus nostris* ed. Mur. et Lips. *Schw.*

10. *Nosque...Vesper.* Ge. I, 250 sq. Si apud nos lucescit, illis, qui terras australes habitant, sol occidit. *R.*

11. *M. Cato.* Major s. censor, cujus vitam descripsit Plut. et Cornel. Nep. Ubi hæc dixerit ignoramus. Cicero de Fin. II, 8, de asotis : « .... Qui solem, ut aiunt, nec occidentem unquam viderint, nec orientem.» Conf. ibi intpp. in edit. Rathii, quæ hoc ipso anno Halis Sax. prodiit. *Ruhk.*

12. *Tam infausti.* Sic ms. *a. Tam*

Digitized by Google

turnæ aves sunt! Licet in vino unguentoque tenebras suas exigant; licet epulis, et quidem in multa fercula discretis[1] totum perversæ vigiliæ tempus educant; non convivantur, sed justa sibi[2] faciunt. Mortuis certe interdiu parentatur. At, mehercules, nullus agenti dies longus est. Extendamus vitam! hujus et officium, et argumentum, actus[3] est: circumscribatur nox, et aliquid ex illa in diem transferatur! Aves[4], quæ conviviis comparantur, ut immotæ facile pinguescant, in obscuro continentur; ita sine ulla exercitatione jacentibus tumor pigrum corpus invadit, et sub ipsa umbra[5] iners sagina succrescit. Ita istorum corpora, qui se tenebris dicave-

infausti homines, c. *A. R.* postremo vocab. ex scholio adjecto. Inde vulgo *tam infausti ominis* ex Mureti conject. *Schw.*

1. *In multa fercula discretis.* Perperam *pericula* dabant vett. libri, ex quo *fercula* fecit Mur. bene. Quod admisit Schweigh. nisi quod scripsit *fericula*, propius a veteris scripturæ vestigiis, et prisca nominis forma; quales amat Noster. — *Discretis* ed. Ruhk. ex Pal. 1, 2, 3 et Col. *Discoctis* ms. *a.* et ed. *R.* et *A. Distortis* c. et ora Col. *Districtis* cod. Pinc. *Distinctis* ed Mur. Lips. Gron. et Bipont. *Schw.*

2. *Sed justa sibi faciunt. Mortuis certe interdiu parentatur. Justa sibi faciunt* Erasmus et unus pal. Cæteri omnes pal. et Pinc., et editio antiqua: *sed busta s. f.* Muretus dedit *parentatur*, at Er. et quinque pal. una cum ed. antiqua *parentantur*. Fortasse erat: *mortui c. i. parentantur. Ruhk.* — Noctu quidem epulæ horum hominum fiebant, qui his conviviis se ipsi quasi efferebant, ut adeo luce exorta, sive *interdiu* parentatio eorum fieret, ad modum Pacuvii, de quo consulas Ep. XII, 8. Comparat itaque has epulas, quæ luce prima finem cepere, cum inferiis, s. parentalibus sacris, χοαῖς, quæ mortuis ferri solebant ab amicis cognatisve, quum apud Græcos, tum apud Romanos. Noctu quasi justa sibi faciunt: sequitur parentatio. *R.* — Forsitan minus est difficilis sensus, et *sibi justa faciunt* significat eos jam defunctos esse, quoniam se quasi sepultos condunt, quum sol orbem illustrat; eosque nocturnis conviviis nihil aliud facere quam funus suum celebrare. Eumdem sensum reperias infra § 11. « Isti vero mihi defunctorum loco sunt, etc. » Quod seq. *Mortuis c. i. parentatur*, vertit *Lagrange*: *Cependant c'est de jour que les funérailles devraient se célébrer.*

3. *Actus.* Nam Stoicorum præceptum fuit, quod imperabat in actu mori. Ep. VIII, 1. *Ruhk.*

4. *Aves.* E. c. pulli columbini, anseres, etc. *Ruhk.*

5. *Sub ipsa umbra.* Sic scripsi cum ms. Pal. 4. *Superbam umbram* ed. Ven. et Er. *Super membra* ed. Mur. et sqq. cum Pal. 3. *Superba membra* ed. Ruhk. cum Pinc. Palat. 2 et Col.

Digitized by Google

runt, fœda visuntur. Quippe suspectior[1] illis, quam 5
morbo pallentibus, color est : languidi et evanidi albent, et in vivis caro morticina est. Hoc tamen minimum in illis malorum dixerim. Quanto plus tenebrarum in animo est? ille in se stupet, ille caligat, invidet cæcis[2]. Quis unquam oculos tenebrarum causa habuit?

Interrogas, quomodo hæc animo pravitas fiat, aversandi diem, et totam vitam in noctem transferendi? — Omnia vitia contra naturam pugnant; omnia debitum 6
ordinem deserunt : hoc est luxuriæ propositum, gaudere perversis; nec tantum discedere a recto, sed quam longissime abire, deinde etiam e contrario stare. Isti non videntur tibi contra naturam vivere, qui jejuni[3] bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis, et ad cibum ebrii transeunt? Atqui frequens hoc adolescentium vitium est, qui vires excolunt, ut, in ipso pæne balnei limine, inter nudos bibant, immo potent; ut sudorem, quem moverunt potionibus crebris ac ferventibus, subinde[4] distringant. Post prandium aut cœnam bibere, vulgare est; hoc patres- 7

Ms. *a.* dat *superba umbra. Schw.*

1. *Quippe suspectior illis.* Cum Grut. et Gronov. e Pinciani exemplari, duobus palat. et edit. tarvisina dedi. Erasmus, editio antiqua et tres pal.: *Quippe non spèciosior ill. q. R.*

2. *Ille caligat, invidet cæcis.* Int. animus caligans non contentus est, invidet iis qui omnino cæci sunt : nisi forsan sensus sit : amat quæ obscura sunt.

3. *Qui jejuni bibunt.* Noster Epistol. LXXXVIII, 15, *jejunos vomitores* vocat, ubi cf. not. *Ruhk.* — Dignus adscribi Novatiani locus, qui et suo ævo durasse ostendit, in Epistola de cibis Judaicis : « Nec desunt, qui quum sibi christiani vocem induerint, exempla præbeant intemperantiæ et magisteria; quorum eo usque vitia venerunt, ut et jejuni matutino tempore bibant : non putantes christianum esse potare post cibum, nisi in vacuas et inanes adhuc venas infusa statim per (lego, *post*) vina descenderint. » Et addit elegantissime : « Videas ergo tales novo genere adhuc jejunos, et jam ebrios, non ad popinam currentes, sed popinam secum circumferentes : quorum si quisquis salutat, non osculum dat, sed popinat. » *Lips.*

4. *Distringant.* Strigilibus, quibus sordes et sudorem defricabant et linteis deinde tergebant. Græcis est ἀποξύεσθαι. *Lips.*

Digitized by Google

familiæ rustici faciunt, et veræ voluptatis ignari. Merum illud delectat, quod non innatat cibo, quod libere penetrat ad nervos; illa ebrietas juvat, quæ in vacuum venit. Non videntur tibi contra naturam vivere, qui commutant cum feminis vestem[1]? Non vivunt[2] contra naturam, qui spe-
8 ctant[3], ut pueritia splendeat tempore alieno? Quid fieri crudelius aut miserius potest? nunquam vir erit, ut diu virum pati possit? et, quum illum contumeliæ sexus eripuisse debuerat, ne ætas quidem eripiet[4]? Non vivunt contra naturam, qui hieme concupiscunt rosam? fomentoque aquarum calentium, et calorum apta[5] imitatione, bruma lilium, florem vernum, exprimunt? Non vivunt contra naturam, qui pomaria in summis turribus[6] serunt?
9 quorum silvæ in tectis domorum ac fastigiis nutant, inde ortis radicibus, quo improbe cacumina egissent? Non vivunt contra naturam, qui fundamenta thermarum[7] in

1. *Commutant cum feminis vestem.* Qui ad mollitiem et luxum in cœnis utuntur veste muliebri, Sericis Coisque. Cf. Lipsium ad Taciti An. III, 53. *Ruhk.*

2. *Non vivunt... alieno?* Intelligit, Lipsio interprete, divites, qui glabros suos ultra ætatem retinebant, et ita Epist. XLVII, 5, scripsit: « Vini minister... cum ætate luctatur. » Ita et locum interpretatur Is. Casaubon. ad Jul. Sueton. c. 47. *Ruhk.*

3. *Spectant ut*, etc. Sic *a. c. R. A.* Vulgo *exspectant. Schw.*—Lipsius et Casaub. ad Suet. Jul. 47, *expetunt. Ruhk.*

4. *Ne ætas quidem eripiet. Eripit* ms. *a.* Præterea *non ætas quidem c. R. A. None ætas quidem* ms. *a.* sub quo quid lateat non exputo; nisi forte *nunc ne ætas quidem. Schw.*

5. *Calorum apta imitatione, bruma lilium, florem vernum, exprimunt? Calorum apta mutatione a. R.* et dein ed. Mur. et seqq. Sed *apta imitatione* ed. Er. cum ms. *c.* et ed. *A. Brumalium* autem scribunt veteres omnes, quod in *bruma lilium* primus mutavit Mur. ex Pinciani conject. Nondum satis ad liquidum perductus videtur locus. *Schw.* — De re ipsa cf. Plin. XXI, 5. *Ruhk.*

6. *Pomaria in summis turribus... egissent?* Hic mos tum recens fuit, ut terra, super trabes sive fornices latericios aggesta, in tectis ædificiorum magnificorum summis et planis nemora suspenderentur. Cf. De Ira I, cap. ult. Plin. XV, 14. Jam Seneca pater Controvers. V, 5, ait: « Alunt in summis culminibus mentita nemora et navigabilium piscinarum freta. » *R.*

7. *Fundamenta thermarum.* Quod Baiis, aut illo tractu, fiebat crebro. *L.*

Digitized by Google

mari[1] jaciunt, nec delicate natare ipsi sibi videntur, nisi calentia stagna fluctu ac tempestate feriantur? Quum instituerunt omnia contra naturæ consuetudinem velle, novissime in totum ab illa desciscunt. Lucet[2]; somni 10
tempus est! Quies est; nunc exerceamur, nunc gestemur, nunc prandeamus! Jam lux propius accedit; tempus est cœnæ! Non oportet id facere, quod populus; res sordida est, trita ac vulgari via vivere. Dies publicus relinquatur; proprium[3] nobis, ac peculiare mane fiat.

Isti vero mihi defunctorum loco sunt: quantulum enim a funere absunt, et quidem acerbo, qui ad faces et cereos vivunt[4]? Hanc vitam agere eodem tempore multos 11
meminimus, inter quos et Atilium Butam, prætorium; cui post patrimonium ingens consumptum, Tiberius, paupertatem confitenti, « Sero, inquit, experrectus es! » Recitabat Montanus Julius[5] carmen, tolerabilis poeta,

1. *In mari*, non *in mare, a. c. R. A. Schw.*

2. *Lucet.* Plura exempla lucifugarum horum exstant. Horat. I Serm. 3, 18, de Tigellio ait: « Noctes vigilabat ad ipsum Mane, diem totum stertebat. » *Ruhk.* — Lampridius de Heliogabalo: « Trajecit et dierum actus noctibus, et nocturnos diebus, æstimans hoc inter instrumenta luxuriæ; ita ut sero de somno surgeret, et salutari inciperet, mane autem dormire inceptaret. » Tacitus de C. Petronio: « Illi dies per somnum, nox officiis et oblectamentis vitæ transigebatur. »

3. *Proprium.* Schw. *proprius* (sc. dies) nulla allata auctoritate.

4. *Qui ad faces et cereos vivunt?* Ad quos pueri, quum morerentur, solebant efferri. Vide de Brevit. vit. fin. et Lipsii Excurs. A. ad. Taciti Annal. III. *R.* — Servius in Æn. II, v. 143: « Moris Romani esse, ut impuberes noctu efferrentur, ne funere immaturo sobolis domus funestaretur; quod præcipue accidebat in eorum, qui in magistratu erant, filiis. Ideo Virgilius Pallantis corpus facit excipi facibus, quia *acerbum* funus. » Nempe notum est verbum illud *acerbum* dici de funere immaturo eorum, qui ætatis in flore pereunt, per metaphoram ductam e fructibus ante maturitatem decerptis, qui acerbi sunt. E notis *Lagrange.*

5. *Montanus Julius.* Seneca pater melius de illo sentit in Controvers. I, 7: « Montanus Julius, qui comis fuit, quique egregius poeta, paullo honestius sentit. Scripsit heroos et elegos. » Ideoque eum Ovidius lib. IV, de Ponto, 16, 11 sq. laudat. *L.* — Vides hic firmari judicium Quint. Inst. Orat. X, 1, 126: Senecam nun-

Digitized by Google

et amicitia Tiberii notus, et frigore[1]. *Ortus* et *occasus* libentissime inserebat[2] : itaque, quum indignaretur quidam, illum toto die recitasse, et negaret accedendum
12 ad recitationes ejus, Natta Pinarius[3] ait : « Nunquam possum liberalius agere; paratus sum illum audire ab ortu ad occasum. » Quum hos versus recitasset :

Incipit ardentes Phœbus producere flammas,
Spargere se rubicunda dies, jam tristis hirundo
Argutis[4] reditura cibos immittere nidis
Incipit, et molli partitos ore ministrat;

Varus, eques Romanus, M. Vinicii[5] comes, cœnarum bonarum assectator, quas improbitate linguæ merebatur,
13 exclamavit : « Incipit Buta dormire! » Deinde, quum subinde recitasset :

Jam sua pastores stabulis armenta locarunt,
Jam dare sopitis Nox nigra silentia terris
Incipit;

idem Varus inquit : « Quid dicit? jam nox est? ibo, et Butam salutabo[6]? » Nihil erat notius hac ejus[7] vita in

quam destitisse potiores incessere. *R.*

1. *Et frigore.* Quem et amavit valde Tiberius, et postea fastidivit. Calor enim, amor est : frigus, remissio et neglectus. *Lips.*

2. *Ortus.... inserebat.* Int. descriptiones ortus et occasus.

3. *Natta Pinar.* Occurrit inter Sejani clientes ap. Tacit. Ann. IV, 34. *R.*

4. *Argutis.... nidis.* Propter pullorum garrulitatem, matrem cibosque exspectantium. *Ruhk.*

5. *M. Vinicii. L. Vicini* ex uno Pinciani codice edd. a Mur. Sed cum L. Vinicii ingenio (qui *nec dicere ineptias, nec ferre potuisse* perhibetur) parum convenit, quod *Varus* iste hujus *comes* vocatur a Seneca. Itaque *M. Vinicii* scripsi cum ms. *a.* cui consentiunt *c. A.* et Gruteriani nonnulli; alii cum ed. *R.* prænomen omittunt, ac fortasse etiam in *a. c. A.* littera *m.* quæ ibi comparet, ad præcedentem vocem decurtatam *Rom.* pertinebat, non prænomen hominis significabat. *Schw.* — *L. Vinicii* summo loco nati, cujus fratri M. neptis Tiberii nupsit. Tacit. Ann. VI, 15. Seneca pater vocat eum virum exactissimi ingenii, qui nec dicere ineptias, nec ferre poterat, Excerpt. Controv. V, 7, p. 486 ed. Gron. Augustus eleganter de eo dixit : ingenium in numerato habere. *Ruhk.*

6. *Salutabo.* Spectat ad officia antelucana. Virgil. Ge. II : « Mane salutantum totis vomit ædibus undam. »

7. *Ejus.* Scil. Butæ.

Digitized by Google

contrarium circumacta; quam, ut dixi, multi eodem tempore egerunt.

Causa autem est ita vivendi quibusdam, non quia aliquid existiment noctem ipsam habere jucundius, sed quia nihil juvat obvium; et gravis malæ conscientiæ lux est; et omnia concupiscenti aut contemnenti, prout magno aut parvo empta sunt, fastidio est lumen gratuitum. Præterea luxuriosi vitam suam esse in sermonibus, dum vivunt, volunt: nam, si tacetur, perdere se putant operam. Itaque male habent[1], quoties faciunt quod excidat fama. Multi bona comedunt, multi amicas habent: ut inter istos nomen invenias, opus est non tantum luxuriosam rem, sed notabilem, facere. In tam[2] occupata civitate, fabulas vulgaris nequitia non invenit. Pedonem Albinovanum[3] narrantem audieramus (erat autem fabulator elegantissimus), habitasse se supra domum Sp. Papinii[4]: is erat ex hac turba lucifugarum. « Audio, inquit, circa horam tertiam noctis, flagellorum[5] sonos; quæro, quid faciat? dicitur *rationes accipere*[6]. Audio, circa horam sextam noctis, clamorem concitatum; quæro, quid sit? dicitur *vocem exercere*. Quæro circa octavam

14 15 16

1. *Itaque male habent, quoties faciunt, quod excidat fama.* Ita e duobus palat. restituit Gronov. rejecta Pinciani conjectura: *quoties non faciunt, quod excitet famam.* Excidere suis, vita, uxore, i. e. carere, non obtinere, solemni usu fuisse, constat e Lexicis. *Ruhk.*

2. *In tam... non invenit.* De re vulgari et ea turpi non fabulantur homines. *Ruhk.*

3. *Pedonem Albinovanum.* Poetam heroicum: consulas de eo Wernsdorf. Poet. Lat. min. To. III, p. 121 sq. IV, 1, p. 34 sq. *Ruhk.*

4. *Papinii.* Sic primus edidit Lips. ex conjectura Pinciani, cujus cod. partim *Spapinii* dabant, partim *Spanii* (ut ms. *a.*) partim *Spa. Panii.* Prorsus vitiose *spatiis* ed. *R. Spurii Papirii* ms. *c.* et ed. *A. Schw.*

5. *Flagellorum sonos.* Nam diurna ante balneum videntur accepisse: et tum servi, qui aliquid deliquissent interdiu, vapulabant. Laudat Lipsius Juvenalem Sat. VI, 483 sq: « Longi relegit transversa diurni, Et cædit, donec lassis cædentibus, Exi, Intonat horrendum. » *Ruhk.*

6. *Rationes accipere.* A servis: eo-

Digitized by Google

horam noctis, quid sibi ille[1] sonus rotarum vellet?[2] *gestari* dicitur. Circa lucem discurritur, pueri vocantur, cellarii, coqui tumultuantur. Quæro quid sit? dicitur mul-
17 sum et alicam[3] poposcisse, a balneo exisse. »—[4]Excedebat, inquit, cœna ejus diem?—Minime! valde enim frugaliter vivebat; nihil consumebat, nisi noctem. Itaque, crebro dicentibus illum quibusdam avarum et sordidum : « Vos, inquit, illum et *lychnobium*[5] dicetis! »

Non debes admirari, si tantas invenis vitiorum proprietates : varia sunt, et innumerabiles habent facies; comprehendi eorum genera non possunt. Simplex recti cura est, multiplex pravi; et quantumvis novas declinationes capit.
18 Idem moribus evenit : naturam sequentium faciles sunt, soluti sunt[6], exiguas differentias habent; hi distorti plurimum cum omnibus, et inter se, dissident[7]. Causa tamen

rum agendi rationem judicare, ut sæviat contra negligentes.

1. *Quid sibi ille... vellet? gestari dicitur.* Sic recte *a. c. A.* Vulgo, *quis sit ille sonus rotarum? velle gestari dicitur. Schw.*

2. *Gestari.* Essedo, sive rheda. Cf. Epist. XV, 6 et Lipsium in Epist. ad Ortel. III, XI. *Ruhk.*

3. *Mulsum et alicam :* hæc promulsis sive gustus erat, et sumebant sub ipsam cœnam. *Ruhk.* — Jungit et Martialis hæc duo : « Nos alicam, mulsum poterit tibi mittere dives. » « Alica autem (ait Plin. XXII, 25) res Romana est, nec pridem excogitata; alioqui non ptisanæ potius laudes scripsissent Græci.... Esse autem eximie utilem nemo dubitat, sive eluta detur ex aqua mulsa, sive in sorbitiones decocta, sive in pultem. » Triplicem modum sumendi notes : fuit autem optimi tritici pollen, et flos ipse. *Lips.* — *Lagrange* vertit, mulsum : *du vin mêlé de miel;* alicam : *du gruau.* Vide ampliora in Excursu ad calcem hujus Epistolæ.

4. *Excedebat.... diem?* Num tam laute et opipare cœnavit, ut diem suum, i. e. noctem, ultra lucis exortum protraheret?—*Inquit*, sc. Pedo Albin. *Ruhk.*

5. *Lychnobium*, qui ad lucernam vivit. Lipsius assentitur Pinciano, allusum esse simul ad lichnobium (λιχνόβιον) quasi cupediarium et catillonem. *Ruhk.*

6. *Soluti sunt.* Int. liberi sunt omni sollicitudine, quippe qui vacui sunt hoc labore novas quotidie delicias inveniendi, et naturæ cursum transvertendi. *Lagrange* bene : *Sans embarras.*—*Exiguas differentias habent*, nempe in eorum vitæ genere; nam sibi constant.

7. *Hi distorti plurimum cum omnibus, et inter se, dissident. Hi distorti* dedit solus ms. Col. *His* (puto,

Digitized by Google

præcipua mihi videtur hujus morbi, vitæ communis fastidium. Quomodo cultu se a cæteris distinguunt, quomodo elegantia cœnarum, munditiis vehiculorum; sic volunt separare etiam temporum dispositione. Nolunt solita peccare, quibus peccandi[1] præmium infamia est. Hanc petunt omnes isti, qui, ut ita dicam, retro[2] vivunt. Ideo, Lucili, tenenda nobis via est, quam natura præscripsit, nec ab illa declinandum. Illam sequentibus, omnia facilia et expedita sunt; contra illam nitentibus, non alia vita est, quam contra aquam remigantibus[3]. Vale. 19

moribus) *distorti*, *a R. A. His districti* ms. *c. Ab his distorti* ed. Mur. et sqq. ex uno cod. Pinc. Gronovius probat *his distortis*. Dein *plurimum et omnibus inter se dissident* ed. *R. Plurimum, et omnibus et inter se* ed. Er. et sqq. cum ms. *a. Plurimum cum omnibus et inter se* ms. *c.* et ed. *A.* Rectius forsan erat *et cum omnibus et inter se. Schw.*

1. *Quibus peccandi... est.* Qui nequitiæ suæ præmium in turpitudine collocant, et metam assecutos esse putant, quod sua peccata in ore hominum sunt: gaudent ipsa infamia et jactant. Sic Tacitus Ann. XI, 26 de Messalina, apud infamiæ prodigos hanc ipsam novissimam esse voluptatem. *Ruhk.*

2. *Retro v.* Egregia Pinciani conjectura: codd. habent *recto*, sive *tetto*, s. *conversim*, s. *rapto*: editio ant. *non v. Ruhk.* — Vertit *Lagrange*: *Ceux qui vivent à rebours.*

3. *Non alia... remigantibus.* Int. idem faciunt in vita, quam quod faciunt in flumine qui remis cymbam agunt contra cursum fluminis. Virg. Ge. I, 201: « Non aliter quam qui adverso vix flumine lembum *Remigiis* subigit; si brachia forte remisit, Atque illum in præceps prono rapit alveus amne. » Conf. tom. I, p. 280, edit. nost. Ed.

Digitized by Google

EXCURSUS

AD L. A. SENECÆ EPISTOLAM CXXII, § 16, FIN.

DE ALICA.

De vera *alicæ* natura inter doctos dubitatur. Gallicus interpres *Lagrange*, postquam in versione sua vocem hanc interpretatus est *gruau*, in fusa nota exponit varias de hac re opiniones. Quam notam ipsius verbis hic inseremus.

L'*Alica* est chez les Latins un terme générique qui signifie tantôt une espèce particulière de blé (Voy. Pline, *lib. XVIII, cap.* 7), tantôt la première fleur de la farine du froment, qu'on employait à différens usages, *optimi tritici pollen et flos ipse;* et tantôt la chose même qui résultait de ces différentes préparations. Pline distingue trois espèces d'*alica : Ita fiunt alicæ tria genera* (*lib. XVIII, cap.* 11). Celse, en parlant des alimens qui nourrissent le plus, met dans la dernière classe certaines préparations de froment lavé, comme la fromentée (*alica*), le riz, l'orge mondé, la bouillie, et les breuvages faits avec ces mêmes choses, ainsi que le pain trempé dans l'eau : *Quum panificia omnia firmissima sint, eluta tamen quædam genera frumenti, ut alica, oryza, ptisana, vel ex iisdem facta sorbitio, vel pulticula, et aqua quoque madens panis, imbecillimis annumerari potest.* (De Medicin. *l. II, cap.* 18). Un commentateur de Martial dit que l'espèce de boisson appelée par les Latins *alica* ne diffère pas beaucoup de notre bière ; mais c'est une conjecture, ou plutôt une assertion qui n'est fondée sur rien. D'ailleurs, comme Pline nous apprend qu'il y avait plusieurs manières de préparer l'*alica*, et de la donner ou passée à l'eau de miel, ou cuite sous forme de bouillon, ou en potage semblable à notre gruau, à notre bouillie, à notre semoule, ou, si l'on veut, à notre crême de riz; il est assez diffi-

Digitized by Google

cile de déterminer le sens de ce mot dans le passage de Sénèque, puisqu'il peut signifier l'une de ces trois choses. Voici les paroles de Pline, qui paraît d'ailleurs s'être trompé, en assurant que les Grecs n'avaient pas parlé de l'*alica*, dont les Romains doivent, selon lui, passer pour les premiers inventeurs. *Alica*, dit-il, *res Romana est, et non pridem excogitata : alioquin non ptisanæ potius laudes scripsissent Græci... Esse quidem eximie utilem nemo dubitat, sive eluta detur ex aqua mulsa, sive in sorbitiones decocta, sive in pultem.* (Nat. Hist. *lib. XXII*, *cap.* 25, *pag.* 796, *tom.* 2, *edit. Varior.*) Martial joint, de même que Sénèque, *mulsum et alicam*, dans l'Épigramme VI du livre XIII :

Nos alicam, mulsum poterit tibi mittere dives :
Si tibi noluerit mittere dives, eme.

Lister (*In Apic. lib. V, cap.* 5, *not.* 2) dit qu'en Afrique les Maures font encore un usage continuel de l'*alica* : il prétend, avec Galien, que l'invention n'en doit point être attribuée aux Romains, comme Pline l'assure ; mais plutôt aux Égyptiens, chez lesquels les Romains en prirent le goût et l'habitude, lorsque l'Égypte fut devenue, par l'immense commerce de blé qu'elle faisait avec Rome, un des principaux greniers de l'Italie. Pline convient que les Égyptiens savent aussi préparer l'*alica*, mais il trouve leur méthode très-mauvaise, et donne la préférence à celle qu'on suivait dans les différentes villes de l'Italie, et surtout dans la Campanie : *Sed inter prima dicatur et alicæ ratio præstantissimæ saluberrimæque : quæ palma frugum indubitanter Italiam contingit. Fit sine dubio et in Ægypto, sed admodum spernenda. In Italia vero pluribus locis, sicut Veronensi Pisanoque agro : in Campania tamen laudatissima... Alica fit e zea, quam semen appellavimus... Ex zea pulchrius, quam ex tritico, fit granum, quamois id alicæ vitium sit.* (Nat. Hist. *lib. XVIII*, *cap.* 11.) Voyez tout ce chapitre, dans lequel Pline nous apprend beaucoup de choses curieuses touchant l'*alica* et ses différentes espèces.

Digitized by Google

EPISTOLA CXXIII.

SIMPLICI VICTUI ASSUESCENDUM : SPERNENDOS VOLUPTATIS LAUDATORES.

Exponit amico, multa nocte se pervenisse lassum in villam suam, Albanum, ibique quam frugalissime degisse. Nam necessarium esse addit parvo assuescere, et rebus oblatis hilariter uti, et maximam voluptatem præbere, si subtrahi tibi patiaris, sive consuetudini tuæ subito, ut experimentum animi sumas. Sic multa esse supervacua intelligimus, quæ æstimare magni solemus, consuetudine exemplisve abducti, non ratione compositi. Sed enim vitandi sunt, qui exempla talia nobis ingerere possint, et philosophia mala persuadere soleant, et in turpem vitam illidant. Multo satius est ea jucunda habere, quæ honesta sunt.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Itinere confectus, incommodo magis quam longo, in Albanum [1] meum multa nocte perveni. Nihil habeo paratum, nisi me. Itaque in lectulo [2] lassitudinem pono; hanc coqui ac pistoris moram boni consulo. Mecum enim de hoc ipso loquor, quam nihil sit grave, quod leviter excipias; quam indignandum nihil, nisi quod ipse [3] indignando adstruas [4]. Non habet panem meus pistor : sed habet villicus, sed habet atriensis, sed habet colonus.
2 — Malum panem, inquis. — Exspecta; bonus fiet! etiam illum tenerum tibi et siligineum fames reddet. Ideo non est ante edendum, quam illa imperet. Exspectabo ergo; nec ante edam, quam aut bonum panem habere cœpero,

1. *In Albanum.* Villam, haud longe dissitam a Roma : in qua regione Pompeius et alii villas habuere, eoque interdum secessere. Noster multas villas habuit, e. c. Nomentanum, Ep. CIV init. *Ruhk.*

2. *In lectulo* ms. *a.* Vulgo *in lecto. S.*

3. *Nisi quod ipse.* Sic. *c. A.* Abest *quod* edd. Perperam duæ voces *nisi* et *quod* desunt ms. *a. Schw.*

4. *Adstruas*, augeas et indignatione dignum reddas. *Ruhk.*

Digitized by Google

aut malum fastidire desiero. Necessarium est, parvo assuescere. Multæ difficultates locorum, multæ temporum, etiam locupletibus et instructis [a nobis optatum prohibentes[1]] occurrent. Quidquid vult, habere nemo potest: 3
illud potest, nolle, quod non habet; rebus oblatis hilaris uti. Magna pars libertatis est bene moratus venter et contumeliæ patiens. Æstimari non potest, quantam voluptatem capiam ex eo, quod lassitudo mea sibi ipsa assuescit[2]. Non unctiones[3], non balneum, non ullum aliud remedium, quam temporis, quæro. Nam, quod labor contraxit, quies tollit.

Hæc qualiscumque cœna aditiali jucundior erit[4]. Ali- 4

1. *A nobis optatum prohibentes occurrent.* Nostra de conjectura emendata verba: de quo monere volui lectorem uncinis circumdatis, quos fidenter fortasse omittere potueram. Vulgo *a Diis optantem prohibent et occurrunt* ed. Lips. et seqq. ex ed. Er. Nam mire extra oleas vagatus erat Mur. *A nobis optantem prohibent et occurrunt* ed. *R. A duobus optantem prohibent et occurrent* ms. *a. A diebus optantem*, etc. *c. A.* Pincianus e privato suo exemplo corrigendum cenuerat *instructis aciebus optatum prohibentes occurrent. Schw.* — Corrupta sunt. Libri variant: meus, *locupletibus cum instructis duobus optantem:* occurrebat mihi, *a diu optatis:* si quis sagacior, promat. Nam Muretus hic obtenebrat: *instructis ac regibus octavam prohibent:* videturque ad horam cœnæ referre, de qua non est sermo. *Lips.* — *Multæ.... occurrent.* Sensus hujus loci impediti esse debet: tot tantasque difficultates occurrere etiam locupletibus, ut omnibus potiri nequeant, quæ optent. Annectit more suo Seneca enuntiationem universalem, neminem, quidquid velit, habere posse. *Ruhk.*

2. *Assuescit* revocavi ex *a. c. R. A. Acquiescit* ed. Er. et seqq. *Schw.*

3. *Unctiones.* Commode *unctores* ms. *a.* et Pal. 2, 3. *Schw.*

4. *Hæc qualiscumque cœna aditiali jucundior erit.* Sic recte edd. ante Ruhk. consentientibus *a. c. R. A.* nisi quod pro *aditiali* vitiose *adiali* habent *a.* et *R. Attali* vero *c.* et *A.* Mire vero ed. Ruhk. *hoc qualiscumque cœna dissolvit, quæ aditiali jucundior erit.* Nempe verbum *dissolvit* ex scholio, ad præcedens *tollit* spectante, alieno loco in contextu posuerant scribæ codicum nonnullorum Gruterianorum. *S.* — At Ruhkopfius: Sic, inquit, plerique codd. legendum esse indicant: differunt nonnisi in eo, quod legunt: *dissolvit quæ s. quam Attuli*, sive, *quæ tuli.* Etiam *cena Attali* habet editio ant., et unus cod. Pinciani, cui placebat. Τὸ *dissolvit* omittit unus pal.: deest quoque tum ap. Muret. qui habet: *hæc qualiscunque cœna adjiciali jucundior erit*, tum ap. Erasmum,

Digitized by Google

quod enim experimentum[1] animi sumpsi subito : hoc enim est simplicius et verius. Nam ubi se præparavit, et indixit sibi patientiam; non æque apparet, quantum habeat veræ firmitatis : illa sunt certissima argumenta, quæ ex tempore[2] dedit; si non tantum æquus molesta, sed placidus, aspexit; si non excanduit, non litigavit; si, quod dari deberet, ipse sibi, non desiderando, supplevit; et cogitavit, aliquid consuetudini suæ, sibi nihil deesse.
5 Multa, quam supervacua essent, non intelleximus, nisi quum deesse cœperunt. Utebamur enim illis, non quia debebamus, sed quia habebamus. Quam multa autem paramus, quia alii paraverunt, quia apud plerosque sunt! Inter causas malorum nostrorum est, quod vivimus ad exempla; nec ratione componimur, sed consuetudine
6 abducimur. Quod, si pauci facerent, nollemus imitari, quum plures facere cœperunt (quasi honestius sit, quia frequentius), sequimur; et recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus est. Omnes jam sic peregrinantur, ut illos Numidarum[3] præcurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat : turpe est, nullos esse, qui

qui habet : *cœna Diali*, probante Lipsio, qui cepit de Jovis epulo in Capitolio §. 6. — *Cœna.... aditiali.* Cf. ad Ep. XCXV, 41. *Ruhk.*

1. *Aliquod enim experimentum... sumpsi subito.* Perperam *Aliquando enim* vulgo : tum *subitum* edd. commode quidem, sed refragantibus *a. c. R. A.* qui in *subito* consentiunt. Mox *hoc enim est simpl.* dedere iidem libri cum Grut. Abest vulgo *enim*, nec id male. *Schw.* — Int. potui experiri animum meum subito, quum non se præparavisset ad patiendum; atqui hoc experimentum ad quod subito et imparati accedimus multo verius est, quam illud ad quos venimus præcedenti cogitatione muniti. Inexspectata enim nos quales vere simus probant.

2. *Ex tempore*, i. e. illico, statim ac tempus, occasio, postulavit.

3. *Numidarum.* Nam prava ambitione, scilicet, ob famam veterem Numidici equitatus, tales in itinere adesse sibi divites isti volebant, et agmen ducebant. Notavi et firmavi exemplis ad II Tacit. Hist. *Lips.* — *Numidarum.* Cf. ad Epist. LXXXVII, 8. Eamdem aut similem luxuriam hodiedum observare licet apud homines divitiis affluentes Angliæ, etc. *R.*

Digitized by Google

occurrentes via dejiciant[1], ut qui[2], honestum hominem venire, magno pulvere ostendant. Omnes jam mulos[3] habent, qui crystallina et murrhina[4], et cælata[5] magnorum artificum manu, portent: turpe est, videri eas te habere 7
sarcinas totas[6], quæ tuto concuti possint. Omnium pædagogia[7] oblita facie[8] vehuntur, ne sol, neve frigus, teneram cutem lædat; turpe[9] est, neminem esse in comitatu puerorum, cujus sana facies medicamentum desideret[10].

Horum omnium sermo vitandus est: hi sunt, qui vitia 8
tradunt, et alio aliunde transferunt. Pessimum genus horum hominum[11] videbatur, qui verba gestarent[12]: sunt

1. *Turpe est... dejiciant.* Sibi dedecori esse putant nobilissimi illi qui se solos *honestos* dicunt, nullos tales præcursores habere. *Ruhk.*

2. *Ut qui*, ms. *a.* Pinc. et ed. Er. Abest vulgo *ut*, abjectum a Mureto, Pinciani suasu. *Et qui* dabant *c. A. Ut quam* ed. *R. Schw.*

3. *Mulos*, bene habet. Pincianus tamen *famulos* prætulit, forsan memor Horat. I, Serm. 6, 109.

4. *Qui crystallina et murrhina.* Cf. ad Ep. CXIX, 4. *Ruhk.*

5. *Cælata* vasa, aurea, argentea, fortasse quoque vitrea, ut h. l..nam τὸ *cælare* propr. syn. est τοῦ· τορεύω, de anaglyphis, quæ formantur et funduntur. Cf. Schneideri Lexic. græc. voc. τορεύω. *Ruhk.*

6. *Sarcinas totas.* Posterior vox aberat editis, præter rationem et invitis libris abjecta a Mur. Multa utique inter istorum hominum sarcinas erant, quæ tuto concuti potuerant, sed non omnia ejus erant generis. *S.*

7. *Pædagogia.* Sunt pueri, qui in deliciis habebantur. Cf. ad Vit. Beat. c. XVII, 2. *Ruhk.*

8. *Oblita facie*, succo aut offa, sive alio contra solem medicamento, ne tenera cutis scilicet læderetur, aut nigresceret. *Lips.*—Othonem pane madido se linere quotidie consuevisse, narrat Sueton. c. 12. Cf. Juvenal. II, 107, VI, 461 sqq. cum notis Casaub. ad Sueton. et Ruperti ad Juvenal. *R.*

9. *Turpe.... desideret*, i. turpe iis videtur, si quisquam sit inter pueros, cui non ita delicata facies, ut oblini necesse habeat. *Ruhk.*

10. *Medicamentum desideret.* Ita Erasmus et boni codd. ap. Grut. et Pinc. tres palat. *m. non d. Ruhk.* — *Medicamentum.* Sic appellat Juven. de feminis, VI, 472: « Tot medicaminibus, coctæque siliginis offas Accipit et madidæ, facies dicetur an ulcus? » Tertullianus de Virgin. velandis: « Et faciem morosiorem lavacro macerant, forsitan et aliquo eam medicamento interpolant. » *Lips.*

11. *Genus horum hominum.* Abest *horum* edd. et abesse poterat; sed adjectum voluere libri vett. omnes. *S.*

12. *Qui verba gestarent.* Calumniatores, susurrones, linguaces delato-

Digitized by Google

quidam, qui vitia gestant. Horum sermo multum nocet: nam, etiam si non statim officit[1], semina in animo relinquit; sequiturque nos, etiam quum ab illis[2] discessimus, resurrecturum postea malum. Quemadmodum[3], qui audierunt symphoniam, ferunt secum in auribus modulationem illam ac dulcedinem cantuum[4], quæ cogitationes impedit, nec ad seria patitur intendi: sic adulatorum et prava laudantium sermo diutius hæret, quam auditur;
9 nec facile est, animo dulcem sonum excutere: prosequitur, et durat, et ex intervallo recurrit. Ideo cludendæ[5] sunt aures malis vocibus, et quidem primis: nam, quum initium fecerunt admissæque sunt, plus audent. Inde ad hæc pervenitur verba: « Virtus[6], et philosophia, et justitia, verborum inanium crepitus est: una felicitas est[7], bene vitæ facere, esse, bibere, libere frui patrimonio: hoc est vivere; hoc est, se mortalem esse me-

res, qui verba perire non patiuntur, sed ab altero ad alterum gestant, ut odia perpetuent. *Ruhk.*

1. *Officit.* Muretus dedit ex uno Pinc. cod., cui accedit unus pal. At Erasmus, et tres pal. habent: *proficit.* cod. Col. *perficit*, cui assentitur ed. antiqua. *Ruhk.*

2. *Discessimus.* Sic recte libri veteres; non *discesserimus. Schw.*

3. *Quemadmodum... intendi.* Notus est Platonis in Menexeno c. 2 similis et Nostro fortasse obversatus locus de mortuorum laudibus, quibus Socrates ait, aures suas ita personare, ut vix, quarto aut quinto die sui recordetur. Conf. Ruhnken. ad Timæi Lexic. v. ἴναυλος λόγος, p. 100 ed. II. *R.*

4. *Cantuum* ms. *a.* Perperam *cantum* alii. *Cantus* edd. *Schw.*

5. *Cludendæ*, *a. A.* Vulgo *claudendæ. Schw.*

6. *Virtus.... malle.* Oratio Epicureis personatis digna contra Stoicos, rigidos philosophiæ et virtutis defensores! *Ruhk.*

7. *Una felicitas est, bene vitæ facere, esse, bibere.* Sic ms. *a.* cui consentiunt *c. A.* nisi quod in his est *edere*, pro *esse.* Tum *libere frui patrimonio* dedere *c. A.* sed *libere* ignorat ms. *a.* et *libere* pro *bibere* habet ed. *R.* Quare rectius abjicietur vox *libere.* Languide vulgo: *una felicitas est, bona vita* (sive, ut ed. Ruhk. *est bonæ vitæ*), *facere omnia libere, frui patrimonio. Schw.* — At Ruhk. defendit lectionem suam: Sic, inquit, Erasm. et plurimi codd. Alii tamen ap. Pinc. habebant: *una felicitas est bonæ vitæ, facere, esse, bibere, frui p.* quibus assentitur ed. antiqua. Muretus dederat: *Una felicitas est, bona vita*, etc., ex ingenio. Illa Sardana-

Digitized by Google

minisse. Fluunt dies [1], et irreparabilis vita decurrit : 10
dubitamus? Quid juvat sapere [2]; et ætati [3], non semper voluptates recepturæ [4], interim, dum potest, dum [5] poscit, ingerere frugalitatem [6]? ultro mortem præcurrere, et, quidquid illa ablatura est, jam sibi interdicere [7]? Non amicam habes, non puerum, qui amicæ moveat invidiam; quotidie sobrius prodis; sic cœnas, tanquam ephemeridem [8] patri approbaturus. Non est istud vivere, sed alienæ vitæ interesse. Quanta dementia est, hæredis sui res pro- 11
curare [9], et sibi negare omnia, ut tibi ex amico inimicum magna faciat hereditas! plus enim gaudebit tua morte, quo plus acceperit. Istos tristes et superciliosos, alienæ vitæ censores, suæ hostes, publicos pædagogos, assis ne feceris! nec dubitaveris, bonam vitam, quam opinionem bonam, malle! »

pali verba doctus, opinor, margini alleverat, unde in textum migrarunt.

1. *Fluunt dies.... dubitamus.* Sic Horatius ad Leuconoen, Od. I, XI: « Sapias: vina liques, et spatio brevi Spem longam reseces: Dum loquimur, fugerit invida Ætas: carpe diem, quam minimum credula postero. » Idem Od. II, VIII: «Fugit retro Levis juventas, et decor, arida Pellente lascivos amores Canitie, facilemque somnum. Non semper idem floribus est honos Vernis, etc.»

2. *Quid juvat sapere?* Olim, *Dubitamus quod juvat sapere* edd. cum *a.* et *c.* Unde Muret. cum nonnullis Pinciani codd. ediderat, *Dubitamus quod juvat facere.* Sed Erasmum vide et Gruterum. *Schw.*

3. *Ætati.* I. juventuti. Sic Afranius Vopisco ap. Nonium c. 1. p. 482: « Ætas et corpus tenerum et morigeratio. Hæc sunt venena formosarum mulierum. » Alia exempla dabit Broukhusius ad Propert. I, 6, 21. *Ruhk.*

4. *Recepturæ.* Ms. *a.* et Pinc. Vulgo *decerpturæ. Schw.*

5. *Dum potest*, i. e dum nostra ætas potest recipere voluptates. — *Dum poscit*, supple *voluptates.*

6. *Ingerere frugalitatem? ultro mortem præcurrere.* Sic ms. *a.* et ed. *R.* nisi quod pro *ultro* quod ex Erasmi conject. est, *eo* scribitur in *a.* et *ut eo* in *R. Schw.*

7. *Interdicere.* Item Erasmo debetur; nam vitiose *interere* scribitur in *a.* in aliis *interire.* Totus locus vulgo, ex Mureti maxime ingenio; sic constitutus erat: *Dubitamus quod juvat facere*, [*sapere*, reposuit Ruhk.] *et ætati, non semper voluptates decerpturæ,... ingerere? Quid juvat frugalitate ultro mortem præcur.* etc. *S.*

8. *Ephemeridem.* Diarium tuum et rationes. *Lips.*

9. *Hæredis sui res procurare.* Sic libri vett. Vulgo *hæredi suo proc. S.*

Digitized by Google

Hæ voces non aliter fugiendæ sunt, quam illæ[1], quas
12 Ulysses, nisi alligatus[2], prætervehi noluit. Idem possunt : abducunt a patria, a parentibus, ab amicis, a virtutibus, et in turpem vitam miseros turpius illidunt. Quanto satius est, rectum sequi limitem, et eo se perducere, ut ea demum sint tibi jucunda, quæ honesta! quod assequi[3] poterimus, si scierimus[4] duo esse genera rerum, quæ nos aut invitent, aut fugent. Invitant divitiæ[5], voluptates, forma, ambitio, cætera blanda et arridentia : fugat labor, mors, dolor, ignominia, victus
13 adstrictior. Debemus itaque exerceri, ne hæc timeamus, ne illa cupiamus. In contrarium pugnemus, et ab invitantibus recedamus, adversus petentia[6] concitemur! Non vides, quam diversus sit descendentium habitus et ascendentium? qui per pronum eunt, resupinant corpora; qui in arduum, incumbunt. Nam, si[7] descendas, pondus suum in priorem partem dare; si ascendas, retro abducere;
14 cum vitio, Lucili, consentire est. In voluptates descen-

1. *Quam illæ*. Sirenum voces. *R.*

2. *Quas... alligatus*. Malo navis, ἱστοπέδῃ. Homer. Odyss. 12, 178 sq. totam rem narrat. Amicis scilicet aures cera obduraverat, seque manibus pedibusque malo alligari jusserat, ne illecebris Sirenum abducerentur in perniciem. *Ruhk.*

3. *Quod assequi...fugent*. Sunt hæ res mediæ, quæ neque bona neque mala sunt, ideoque adiaphora, externa : de quibus sæpe monuimus, e. e. Ep. LXVI, Argum. *Ruhk.*

4. *Si scierimus*. Sic recte Pal. 3, 4. Alii vulgo *si fecerimus*. *Schw.*

5. *Invitant divitiæ*, et infra *fugat labor*. Vulgo, *Invitent*, *ut divitiæ,... fugent; labor*, etc. *Invitant*, et *fugat* commode dedit ms. *a.* sed idem cum aliis tenet *ut* ante *divitiæ* : nos nostra de conject. abjecimus illam particulam, tanquam ex scholio invectam. Eadem particula etiam post *fugent* inserta erat in uno ex Gruterianis. *Schw.*

6. *Petentia*. Sic Erasmus dedit, probavit Gronovius, qui monuit, nihil vulgarius esse significatione, qua sumitur pro impetere, invadere. Codd. plurimi : *potentia* : unde Pinc. fecit, *prementia*, Gruterus *impetentia*, Lipsius *impotentia*. Editio antiqua clare præstat : *petentia*. *Ruhk.*

7. *Nam si... est*. Sicut vitiosum est in ascensu tuum corpus retrotrahere, et in descensu incumbere, quandoquidem in utroque casu proruas necesse erit; ita cum vitio consentiens,

Digitized by Google

ditur; in aspera et dura[1] subeundum est : hic impellamus corpora, illic refrænemus.

Hoc nunc me existimas dicere, eos tantum perniciosos esse auribus nostris, qui voluptatem laudant; qui dolores[2], metus, per se formidabiles res [*sive*, qui doloris metum, per se formidabilis rei], incutiunt? Illos[3] quoque nocere nobis existimo, qui nos sub specie Stoicæ sectæ hortantur ad vitia. Hoc enim jactant : « Solum Sapientem et doctum[4] esse amatorem. Solus aptus ad hanc artem, 15
æque combibendi[5] et convivandi, Sapiens est peritissimus. Quæramus, ad quam usque ætatem juvenes amandi sint. » — Hæc Græcæ consuetudini[6] data sint; nos ad illa potius aures dirigamus : « Nemo[7] est casu bonus; discenda virtus est. Voluptas humilis res et pusilla est, et in nullo habenda pretio[8], communis cum mutis animalibus, ad quam minima et contemptissima advolant. Gloria vanum et volubile[9] quiddam est, auraque mobi-

si in voluptatem descendens te impuleris, etc. Moneo hoc, ne cum Gronovio locum putes corruptum, qui est sanus. *Ruhk.*

1. *In aspera et dura.* Sic ms. *c.* Pal. 2, 3 et Pinc. Perperam *in asperas et duras*, *a. R.* et *A.* Tum *in res asperas et duras* vulgo edd. *Schw.*

2. *Qui dolores, metus, per se formidabiles res.* Sic *a. c. R. A.* et al. Altera scriptura, quam uncis inclusi, vulgata erat a Mur. ex Pinciani conject. *Schw.* — *Qui dolores, metus, per se formidabiles res, incutiunt.* Epicureos dicit, qui docent, dolores metusque per se esse formidabiles res, quas Stoici externis annumerabant. *Ruhk.*

3. *Illos... vitia.* Hinc vides, exstitisse ut falsos Epicureos, ita personatos Stoicos : quos utrosque Lucianum tam acerbe exagitasse constat. *R.*

4. *Sapientem et doctum.* Sic distinxi, et jungi illa duo velim : nam *doctus* stoica lingua est sapiens, ut monui Manuduct. II, Dissert. I. Neque enim audio, qui *doctum* ad *amatorem* referunt, et conjungunt. *Lips.*

5. *Æque*, etc. Schweigh. *æque* [*atque*] *combibendi*, mediam particulam ex conject. sua adjiciens. Ruhk. *solus apte ad h. a. æque comb.*

6. *Hæc græcæ consuetudini.* Juvenes amandi. Res nota. *Ruhk.*

7. *Nemo est.* Cf. ad. Epist. CXX, 3.

8. *In nullo habenda pretio.* Perperam, et invitis vett. libris omnibus, *in medio hab. pret.* ed. Lips. et sqq. *S.*

9. *Volubile, c. A.* Pal. 2, 3. Pinc.

Digitized by Google

16 lius. Paupertas nulli malum est, nisi repugnanti. Mors malum non est. Quid sit? quæris [1]. Sola jus æquum [2] generis humani. Superstitio error insanus [3] est : amandos timet; quos colit, violat [4]. Quid enim interest, utrum Deos neges, an infames? » Hæc discenda, imo ediscenda sunt : non debet excusationes vitio Philosophia suggerere. Nullam habet spem salutis æger, quem ad intemperantiam medicus hortatur. Vale.

Vitiose *volue* ms. *a.* cujus scriba ad finem properans plurima præsertim in extremis Epistolis erravit : videndum vero, ne h. l. *volucre* debuerit. *Volatile* edd. ex *R. Schw.*

1. *Quid sit, quæris.* Sic ed. *R.* Tarv. et Ven. cum Pal 2, 3 et Pinc. *Quid quæris?* ed. Er. cum *a. c. A.* et aliis. *Quid quereris?* vulgo edd. a Mur. *Schw.*

2. *Jus æquum.* Adjiciebant *est* vulgatæ edd. ex ms. *R.* Sed verbum istud commode ignorant mss. *a. c. A. S.*

3. *Error insan.* Schweigh. in textum admiserat *insanientis*, quod in notis sic corrigit : *infantis* scriptum volueram, quod ex probo cod. ms. commendaverat Pincianus; non *insanientis. Insanus* dabant cum editis alii mssti omnes, uno cod. *a.* excepto, in quo *insanandus.*

4. *Quos colit, violat.* De Clement. II, 5 : « Religio deos colit, superstitio violat. » *Ruhk.*

EPISTOLA CXXIV.

UTRUM SENSU, AN INTELLECTU, COMPREHENDATUR BONUM.

Laudat amicum, quod in disquisitionibus philosophicis nec subtilia contemnat, sed omnia ad profectum aliquem redigens ibi tantum offendatur, ubi vel summa subtilitate, nihil quod eo pertinet, agatur. Cavet itaque, ne timeat tale quid in quæstione, quam tractandam sibi sumpsit, utrum sensu, an intellectu comprehendatur bonum. Ibi statim Epicurei dissentiunt sensibile judicantes bonum, quum Stoici illud animo dent, ideoque intelligibile judicent. In quo illi sibi ipsi adversantur gulæ ac libidini addictos reprehendentes, atque nihil virile ausuros doloris metu, qui altera ex parte sensus, obtusas illas res et hebetes, pro judicibus boni ac mali habent, omnem quippe scientiam atque artem putantes, ideoque et vitam beatam, a manifestis et eo quod sub sensum cadit, fundamentum et initium capere debere

Digitized by Google

æque ac Stoici statuunt. Enimvero in eo errare Epicureos contendit Seneca: beata enim, stoico sensu, sunt secundum naturam, et statim integra apparent. Bonum itaque, quum sine ratione perfecta esse non possit, neque in infante, neque in arbore mutove aliquo animali esse potest: continetur enim verum bonum libero animo ac recto, alia subjiciente sibi, se nulli. Cætera bona precario sic vocantur, quæ tamen, quippe ratione carentia, non vere perfecta sunt. Exemplo sunt muta animalia, quæ sensu tantum præsentia comprehendunt: perfecti temporis nullus iis usus est; ergo nec perfecta natura. Eorum natura imperfecta est et ordinem non capit, quum sine ratione sint. Hæc disputatio animo profutura est, quatenus et acuit eum, et honesta occupatione tenet, qua moratur ad prava properantem. Accedit, quod hæc descriptio boni exemplar est, ad quod se componere possit, ut emendatus ac purus fiat, æmuletur Deum, super humana se extollat et nihil extra se sui ponat, et infelicissimos esse intelligat felices.

Cf. Epist. XX et Tiedemanni *System der stoischen Philosophie* III p. 51 sq. ubi tamen caveas judicio Viri præstantissimi accedas, qui nescio quibus rationibus abductus statuit, sensus omni in sententiam de bono malove ferendam vi atque efficacia exclusos esse a Stoicis. At consulas Epist. LXXIV, 16 sqq. Cæterum egregie, ut solet, de hac re, et deinceps de disputatione hac Stoicorum et Epicureorum egit Im. *Kant in Critik der praktischen Vernunft*, p. 159 sqq. 198 sqq.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Possum multa tibi veterum præcepta referre,
Ni refugis, tenuesque piget cognoscere curas [1].

Non refugis autem, nec ulla te subtilitas abigit: non est elegantiæ [2] tuæ, tantum magna sectari [3]. Sicut [hoc, sic et] illud probo [4], quod omnia ad aliquem profectum redigis, et tunc tantum offenderis, ubi summa subtilitate nihil agitur: quod ne nunc quidem fieri laborabo. Quæritur, « Utrum sensu [5], an intellectu, comprehendatur Bonum? » 2

1. *Possum.... curas.* Versus sunt Virgilii Georg. I, 176 sqq. *Ruhk.*

2. *Elegantiæ.* Doctrinæ, i. philosophiæ, cum ceteris artibus, in quibus subtilitas et acumen est, ut Ernesti verbis utar in Clave Cic. voce *Elegantia. Ruhk.*

3. *Tantum magna sectari.* Sic edd. a Mur. ex Pinciani conject. Olim *tam magna sectari* edd. ex *R.* cum aliis. *Tam multa sectari*, c. *A.* et Palat. 2. *Schw.*

4. *Sicut* [*hoc, sic et*] *illud probo.* Verba uncis inclusa inserui ex conject. Vulgo omnes nude, *Sicut illud probo.* An debuere *Sed et illud probo*, etc. *Schw.* — Cf. Ep. CXXI, 1.

5. *Quæritur, utrum sensu.* Est hæc

Huic[1] adjunctum est, « in mutis animalibus et infantibus non esse. »

Quicumque voluptatem in summo ponunt, *sensibile* judicant Bonum : nos contra *intelligibile*, qui illud animo damus[2]. Si de bono sensus judicarent, nullam voluptatem rejiceremus; nulla enim non invitat, nulla non delectat : et, e contrario, nullum dolorem volentes subi-
3 remus; nullus enim non offendit sensum. Præterea non essent digni reprehensione, quibus nimium voluptas placet, quibusque summus est doloris timor. Atqui improbamus gulæ ac libidini addictos; et contemnimus illos, qui nihil viriliter ausuri sunt doloris metu. Quid autem peccant, si sensibus, id est, judicibus boni ac mali, parent? his enim tradidistis appetitionis et fugæ arbi-
4 trium. Sed videlicet[3] *Ratio* isti rei præposita est, quemadmodum debeat de vita, quemadmodum de Virtute, de Honesto, sic et de Bono maloque, constitui. Nam apud istos vilissimæ parti datur de meliore sententia; ut de bono pronuntiet *sensus*, obtusa res et hebes, et in ho-
5 mine quam in aliis animalibus tardior. Quid? si quis vellet[4], non oculis, sed tactu[5], minuta discernere? Subtilior ad hoc nulla acies, quam oculorum, et intentior,

quæstio inter Stoicos et Epicureos semper agitata, quandoquidem hi summum bonum voluptate, sive felicitate, atque adeo sensibus, illi una virtute ac proinde ratione, sensuum dominatione exclusa, contineri putabant. De Epicureis cf. Lucret. IV, 480. Diog. Laert. XI, 31 sqq. *Ruhk.*

1. *Huic... non esse.* A Seneca non esse profecta, sed addita a viro docto, qui hæc margini codicis sui adscripserat, putaverim. *Ruhk.*—*Non esse,* supple : bonum.

2. *Qui illud animo damus.* Int. qui illud bonum in animo situm esse contendimus.

3. *Sed videlicet.* I. manifesto curam hujus rei, i. judicii de bono ac malo, gerit ratio, non sensus. Continent hæc confutationem Epicureismi. *Ruhk.*

4. *Si quis vellet*, non *velit*, *a. c. R. A. Schw.*

5. *Non oculis*, *sed tactu min. d.* Æque absurde ageret, qui ad minuta discernenda tactu præ oculis uti malit,

Digitized by Google

daret[1] bonum malumque dignoscere. Vides in quanta ignorantia veritatis versetur, et quam humi sublimia ac divina projecerit, apud quem de summo bono maloque judicat tactus.

« Quemadmodum[2], inquit, omnis scientia atque ars aliquid debet habere manifestum, sensuque comprehensum, ex quo oriatur et crescat; sic beata vita fundamentum et initium a manifestis ducit, et ab eo[3] quod sub sensum cadit. Nam [et] vos[4] a manifestis beatam vitam initium sui capere dicitis. » — Dicimus beata esse, quæ secundum naturam sunt: quid autem secundum naturam sit, palam et protinus apparet, sicut, quid sit integrum. Sed, quod secundum naturam est[5], quod contigit protinus nato, non dico bonum, sed initium boni. Tu summum bonum, 6 7

ac isti, qui sensus rationi præferunt in bono maloque dignoscendo. *R.*

1. *Daret.* Recte *a. R.* Pinc. Grut. *Deberet c. A. Daretur* edd. ex Erasmi ingenio. *S.*—Sensus est: Nulla sensuum acies, etiamsi subtilior et intentior ad hoc (i. e. minuta discernere) quam oculorum acies esset, daret bonum malumq. dign.

2. *Quemadmodum... capere dicitis.* Continent hæc argumentationem Epicureorum contra Stoicos, quibuscum idem principium originarium Ethices sese commune habere dicunt, hoc est, sensus, et quæ inde afferuntur, i. e. *manifesta.* Hæc Epicureorum objectio e diversa vocis naturæ significatione apud Stoæ auctores manasse videtur. Cf. Tiedemanni *System* III, p. 79 sqq. Propterea explicat Noster, quid sit secundum naturam. Epistol. LXXIII, 8, ait: « magna et vera bona ad unumquemque tota perveniunt. » Cf. Epist. LXXIV. *Ruhk.*

3. *Et ab eo.* Aberat vulgo *ab*, male, et contra Senecæ morem in tali constructione. Adjeci cum Pal. 3. *S.*

4. *Nam et vos. Nempe vos*, vulgo edd. cum *a.* et *R. Nam vos, c. A.* Voc. *et* ex conj. interserendam putavi. *S.*

5. *Sed, quod secundum naturam est, quod contigit protinus nato*, etc. Sic ms. *a.* item ms. *c.* (nisi quod in ms. *c. contingit* scribitur) excepta voce *Sed*, quam ignorant *a.* et *c.* Adjeci *Sed*, ex ms. Pal. 4, quam quidem particulam abesse etiam nullo incommodo potuisse intelligo. Priora ista verba *Quod secundum naturam est*, temere omissa sunt in ed. *R.* Plura etiam desunt in ed. *A.* in qua verbis superioribus *palam et protinus* ad ista statim transcurritur *protinus nato*, etc. Vulgo sic edebatur: *Quid est secundum naturam? quod contingit et protinus nato:* quam lectionem ab Erasmo ex scriptis suis restitutam esse Gruterus ait: at Erasmus defectam editionis *R.* scripturam tenuit, neque aliud quidquam ad hunc locum

Digitized by Google

voluptatem, infantiæ donas; ut inde[1] incipiat nascens,
8 quo consummatus homo[2] pervenit. Cacumen radicis loco ponis. Si quis diceret, illum in materno utero latentem, sexus quoque incerti[3], tenerum, et imperfectum, et informem, jam in aliquo bono esse; aperte videretur errare. Atqui quantulum interest inter eum, qui quum maxime vitam accipit, et illum, qui maternorum viscerum latens onus est[4]? Uterque, quantum ad intellectum boni ac mali, æque maturus est; et non magis infans adhuc boni capax est, quam arbor, aut mutum aliquod animal.
9 Quare autem bonum in arbore animalique muto non est? quia nec ratio. Ob hoc in infante quoque non est; nam et huic deest[5]. Tunc ad bonum perveniet, quum ad rationem pervenerit.

Est aliquod irrationale animal; est aliquod nondum rationale, est rationale; sed imperfectum. In nullo horum

adnotavit. Scripturam istam primus commendaverat Pincianus, et post Erasmi obitum demum in contextum recepta est. *Schw.*

1. *Ut inde*, sc. a summo bono. *R.*

2. *Consummatus homo*, i. sapiens, beatus. *Ruhk.*

3. *Incerti.* Sic Erasmi ed. III, una cum editione antiqua: probat Gron. qui et *latentem* ex omnibus codd. prætulit τῷ *jacentem* Erasmi. Vacillant codd. inter *inceptum* et *incepti*. Muretus ex Erasmicæ editionis ora: *inceptum*. *Ruhk.*

4. *Maternorum viscerum latens onus est.* Sic percommode, et ex certa (ut mihi videtur) conjectura edidit Erasmus. Mendose *unus* ms. *a. Minus* ed. *R. Ymis al. cavernis* ms. *c. Imis alias vermis* ed. *A.* Et *vermis*, quod in suorum nonnullis repererat, unice probavit Gruterus, et sic etiam in ms. *c.* scriptum fuisse olim videtur, ubi nunc *cavernis* legitur. *Humor*, quod ex levi conjectura projecerat Gronovius, arripuit Ruhk. et Senecæ obtrusit. *S.* — Palatini codd. *unum est*, *imum est*, *vermis est.*—Lectionem suam *latens humor est* Gronovius a Ruhkopfio citatus sic explicat: Hoc enim (humor) principium humani corporis. Hippocrates περὶ φύσιος ἀνθρώπου· Τὸ δὲ σῶμα τοῦ ἀνθρώπου ἔχει ἐν ἑωυτῷ αἷμα καὶ φλέγμα, καὶ χολὴν διττὴν, ἥγουν ξανθήν τε καὶ μέλαιναν· καὶ ταῦτ' ἔστιν αὐτέων ἡ φύσις τοῦ σώματος. Tertullianus de carne Christi: « Perora, age, jam spurcitias genitalium in utero elementorum humoris et sanguinis, fœda coagula carnis ex eodem cœno alendæ per novem menses. » *Gronov.*

5. *Nam et huic deest*, i. e. imperfecta est: ut sequentia docent. *R.*

Digitized by Google

bonum : ratio illud secum affert. Quid ergo inter ista, quæ retuli, distat? In eo, quod irrationale est[1], nunquam erit bonum : in eo quod nondum rationale est, 10
tunc esse bonum non potest : in eo, quod rationale[2] est, sed imperfectum, jam potest esse bonum, sed non est. Ita dico, Lucili : Bonum non in quolibet corpore, non in qualibet ætate invenitur; et tantum abest ab infantia, quantum a primo ultimum, quantum ab initio perfectum: ergo nec in tenero, modo coalescente, corpusculo est. Quidni non sit? non magis quam in semine. Hoc si di- 11
cas[3] : « aliquod arboris ac sati bonum novimus : » hoc non est in prima fronde, quæ emissa quum maxime solum rumpit. Est aliquod bonum tritici : hoc nondum est in herba lactente[4], nec quum folliculo se exserit spica mollis; sed quum frumentum æstas et debita maturitas coxit. Quemadmodum omnis natura bonum suum, nisi consum- 12
mata, non profert : ita hominis bonum non est in homine, nisi quum illi ratio perfecta est[5]. Quod autem hoc bonum[6]? Dicam : liber animus et erectus[7], alia subjiciens

1. *In eo quod irrationale est*, etc. Sic *a. c. A.* Vulgo inverse, *Nunquam erit bonum in eo*, etc. Perperam ed. *R. Non quod erit bonum.*

2. *In eo quod rationale est, sed imperfectum.* Vulgo nude, *in imperfecto*, inde a Mureto cum *c. A.* et Pinc. nude, *sed inperfectum* dabat ms. *a.* et. *R.* Nempe in his temere omissa erant priora verba, *in eo quod rationale est*, quæ integra servavit cod. Pal. tert. in quo etiam commodius transposita verba in hunc modum, *in eo quod est rationale. S.*

3. *Hoc si dicas, aliquod arboris ac sati bonum novimus.* Sic libri nostri cum Pinc. et Grut. Vulgo edd. *Ut, si dicas aliquod arboris aut sati bonum, hoc non est*, etc. ex Mureti ing. *Schw.* — Sensus : si aliquid boni arbos habet, non illud bonum continetur in prima fronde.

4. *In herba lactente* est a conjectura Pinciani, ut eodem modo hic dicatur *herba lactens*, quo Virgilio lactentia frumenta Georg. I, 315. Mss. codd. et edd. ant. habent *latente* : unus pal. *in terra lactante. R.*

5. *Quum illi ratio perfecta est. Illi* dedit ms. *c.* cum ed. *R.* Perperam *illa* ms. *a.* et ed. *A.* Vulgo *in illo. S.*

6. *Quod autem hoc bonum?* Sic *a. c. R. A.* Vulgo *sit* inserunt, scribuntque *Quod autem hoc sit bonum, dicam. Schw.*

7. *Liber animus et erectus* scripsi

sibi, se nulli. Hoc bonum[1] adeo non recipit infantia,
13 ut pueritia non speret, adolescentia improbe speret. Bene agitur[2] cum senectute, si ad illud[3] longo studio intentoque pervenit. Si hoc[4], et bonum *intelligibile* est.

« Dixisti, inquit[5], aliquod bonum esse arboris, aliquod herbæ : potest ergo aliquod esse et infantis. » — Verum bonum nec in arboribus, nec in mutis animalibus est : hoc, quod in illis bonum est, precario[6] bonum dicitur. — Quod est? inquis. — Hoc, quod secundum naturam
14 cujusque est. Bonum quidem cadere in mutum animal nullo modo potest ; felicioris meliorisque naturæ est. Nisi ubi rationi locus est, bonum non est. Quatuor hæ naturæ sunt, arboris, animalis, hominis, Dei. Hæc duo, quæ rationalia sunt, eamdem naturam habent ; illo diversa sunt[7], quod alterum immortale, alterum mortale
15 est. Ex his ergo, unius bonum natura perficit, Dei sci-

cum *c. A.* Malim vero nude *erectus*, absque *et*, cum ms. *a.* Vulgo, *Liber animus est ac rectus. Schw.* — — *Liber animus.... nulli.* Cf. Epist. LXXIV, ubi de hac re multus est. *R.*

1. *Hoc bonum... speret :* neque infans sibi adjudicat, neque puer : adolescens vero temere potitum eo se esse sperat. *R.* — Nescimus an perfecte Ruhk. sensum intellexerit ; *pueritia non speret* nobis valet : sperare non possit, non debeat ; *adolescentia improbe speret* valet : nondum merito sperare possit : si sperat, spes illius est improba, temeraria. Cf. not. sq.

2. *Bene agitur c. s.* Int. felix est, sibi gratulari debet, senectus : totum hunc locum bene vertit *Lagrange : Bien loin que l'enfance soit susceptible de recevoir ce bien, l'adolescence ne peut l'espérer ; l'âge viril peut à peine se flatter de le posséder ; et la vieillesse se trouve fort heureuse, quand, par une longue et pénible étude, elle est parvenue à se le procurer.*

3. *Ad illud. Illuc* edd. ab. Er. non male, sed ex conject. quum nude *illud* dedisset ed. *R.* Sed *ad illud* dedere *a. c. A. Schw.*

4. *Si hoc, et bonum intelligibile est.* Vulgo *ubi hoc et bonum, et intelligibile est*, ex Pinciani libris. *Ubi bonum* ms. *c Ubi hoc bonum* ed. *A. Si hoc et bonum* ms. *a.* cum ed. *R.* Dein omnes quidem *et intelligibile* ; ubi *et* ex conject. delendum putavi.

5. *Dixisti, inquit.* Epicureus. — *Herbæ :* cf. § 11. *Ruhk.*

6. *Precario bonum dicitur :* Epist. LXXIV, 16 : « cætera opinione bona sunt, et nomen quidem habent commune cum veris, etc. » *Ruhk.*

7. *Illo diversa sunt.* Ex conject.

Digitized by Google

licet; alterius, cura hominis. Cætera tantum in sua natura perfecta sunt[1], non vere perfecta; a quibus abest ratio. Hoc enim demum perfectum est, quod secundum universam naturam est perfectum; universa autem natura rationalis est: cætera possunt in suo genere esse perfecta. In quo non potest beata vita esse, nec id potest, 16
quo beata vita efficitur: beata autem vita bonis efficitur; in muto animali non est[2], quo beata vita efficitur: [[3]ergo] in muto animali bonum non est.

Mutum animal[4] sensu comprehendit[5] præsentia; præteritorum reminiscitur[6], quum id incidit, quo sensus admonetur: tanquam equus reminiscitur viæ, quum ad initium ejus admotus est; in stabulo quidem nulla illi[7] viæ, quamvis sæpe calcatæ, memoria est. Tertium vero tem- 17
pus, id est, futurum, ad muta non pertinet. Quomodo ergo potest eorum videri perfecta natura, quibus usus perfecti temporis non est? Tempus enim tribus partibus

nostra sic scripsi; *illo* intelligens *illa re*. Vulgo omnes *illa diversa sunt*; ubi videndum, an eodem significatu teneri *illa* (scil. parte) potuerit; quod mihi quidem secus videtur. *Schw.*

1. *Cætera tantum in sua natura perfecta sunt.* Abest *tantum* editis, ex conject. positum a nobis pro *tam*, quod dabat ms. *a.* et ed. *R.* aut pro *tamen*, quod habebat ed. Er. cum *c.* et *A. Schw.* — Cætera relative sed non absolute perfecta sunt, sive secundum universam naturam quæ rationalis est: ita et muta animalia neque beata esse, neque beata vita, sensu absoluto, frui possunt, quia bono carent. *Ruhk.*

2. *In muto animali non est, quo beata vita efficitur.* Sic edd. a Mur. ex uno codice Pinciani cui suffragatur Noster *c.* Abest *quo* ms. *a.* et ed. *A. In muto animali beata vita non efficitur* ed. *R.* Ven. et Er. *S.*

3. *Ergo* abest *a.c. R. A.* Adjectum a Mur. ex uno cod. Pinc. *Schw.*

4. *Mutum animal*, etenim ratione, ideoque bono orbatum est, et omnia sensu comprehendit, etc. *Ruhk.*

5. *Comprehendit.* Ms. *a.* pro more: *comprendit. Schw.*

6. *Præteritorum reminiscitur, quum id incidit, quo sensus admonetur: tanquam equus reminiscitur viæ, quum ad initium ejus admotus est.* Sic Erasm. Muretus, etc. Codd. turbant, vel exemplum omittunt, vel ponunt: *tanquam quos, tanquam quoque.* Sed inde cuilibet patet τὸ *equus* a manu auctoris esse. *R.*

7. *Nulla illi.* Hanc lectionem *viæ*, e codd. plurimis reduxi, quum in edd. deficiat *illi. Ruhk.*

Digitized by Google

constat : præterito, præsente, venturo [1]. Animalibus tantum, quod brevissimum est in transcursu, datum, præsens; præteriti rara memoria est, nec unquam revocatur,
18 nisi præsentium occursu. Non potest ergo perfectæ naturæ bonum in imperfecta esse natura : aut, si [2] natura alia habet hoc, habent et sata. Nec illud nego, ad ea, quæ videntur secundum naturam, magnos esse mutis animalibus impetus et concitatos, sed inordinatos ac turbidos. Nunquam autem aut inordinatum est bonum, aut
19 turbidum.—« Quid ergo? inquis : muta animalia perturbate et indisposite moventur?»—Dicerem illa [3] perturbate et indisposite moveri, si natura illorum ordinem caperet; nunc moventur secundum naturam suam. Perturbatum enim id est, quod esse aliquando et non perturbatum potest. Sollicitum est, quòd potest esse securum.
20 Nulli vitium est, nisi cui virtus potest esse. Mutis animalibus talis ex natura sua motus est. Sed, ne te diu teneam, erit aliquod bonum [4] in muto animali, erit aliqua virtus, erit aliquid perfectum; sed nec [5] bonum absolute, nec virtus, nec perfectum. Hæc enim rationa-

1. *Venturo* ms. *a*. Alii vulgo, *et futuro*. *Schw*.

2. *Aut, si natura alia habet hoc, habent et sata*. Ruhkopfius dat cum Lips. *aut si natura habet, hoc habet, quod habent et sata*. Nec ipse, nec Schw. notam addidit ullam de contextu. Ruhk. tantum monet supplendum *talis* post *natura*, sine quo enim ejus lectio intelligi difficile posset. Profecto meliorem sensum offert lectio Schw. et probari debet, etiamsi libri, quibus innititur, non proferantur.

3. *Dicerem... potest*. Int. si consideres meliorem naturam, quæ ordinem recipiat; indisposite moventur: sed, quum natura eorum ordinem non recipiat, non indisposite moventur, quæ sequuntur naturam suam: quod natura vetat, ne in optimo sit ordine, non dici debet perturbatum: nam illud solum perturbatum est, quod aliquando in ordine esse possit.

4. *Aliquod bon*. quod est in vulgg. ed. ex Erasm. conject. puto. Equidem *aliquale* conjectabam: quod in parenthesi apposui. *Erit aliquando bonum*, *a.c. A*. Pal. 1 et Col. *Aliquando erit bon*. ed. *R*. (Negativam particulam, quam habent nonnulli Palatini, nullus nostrorum librorum agnoscit.)

5. *Sed nec bonum absol*. Sic libri

Digitized by Google

bilibus[1] solis contingunt, quibus datum est scire, quare, quatenus, quemadmodum. Ita Bonum in nullo est, nisi in quo Ratio.

Quo nunc pertineat ista disputatio, quæris, et quid 21
animo tuo profutura sit? Dico : et exercet illum, et acuit; et, utique aliquid acturum, occupatione honesta tenet. Prodest autem etiam quod moratur[2] ad prava properantem. Sed [et] illud[3] dico : nullo modo prodesse[4] possum magis, quam si tibi bonum tuum ostendo, si te a mutis animalibus separo, si cum Deo pono. Quid, inquam, vires 22
corporis alis et exerces? pecudibus istas majores ferisque natura concessit. Quid excolis formam? quum omnia feceris, a multis animalibus decore vinceris. Quid capillum ingenti diligentia comis? Quum illum vel effuderis more Parthorum, vel Germanorum nodo[5] vinxeris, vel, ut Scythæ solent, sparseris; in quolibet equo densior jactabitur juba, horrebit in leonum cervice formosior. Quum te ad velocitatem paraveris, par lepusculo non 23
eris. Vis tu, relictis in quibus vinci te necesse est, dum in aliena niteris, ad Bonum reverti tuum? Quod est hoc? animus scilicet emendatus ac purus, æmulator Dei, super

nostri omnes, cum Pinc. et Grut. Vulgo *sed quale? nec bonum*, etc. ab Erasmo, nescio unde. *Schw.*

1. *Rationabilibus* h. l. dedere *a. R. A. Rationalibus* ed. Lips. et sqq. cum nostro ms. *c.* et quinque Gruterianis. *Schw.*

2. *Prodest autem etiam quod moratur.* Vulgo *et quod* edd. *Quod* (absque *et*) ed. *R. Etiam quo a. c. A.* et Pal. 1, 2, *etiam quod* dedere Pal. 3, 4. et Col. *Schw.*

3. *Sed et illud dico.* Voculam *et*, quum abesset vulgo, necessariam h. l. putavi, et vel reclamantibus libris adjiciendam. *Schw.* — *Sed et illud... pono.* Sic Ep. LXXIII, 11, ait : « Solebat Sextius dicere, Jovem plus non posse, quam bonum virum. — Inter duos bonos non est melior. Jupiter quo antecedit virum bonum? diutius bonus est. » Cf. ibi notam. *Ruhk.*

4. *Prodesse possum*, *a. R. Prodesse tibi possum* edd. cum *c. A.*

5. *Vel Germanorum nodo.* Sic Schw. nisi quod sic interpungit : *vel Germanorum, nodo*, quasi supplendum esset *more* post *Germanorum.* Vulgo *vel ut Germ.* — Conf. ad III de Ira 26, 3 : add. Herodian. IV, 7.

Digitized by Google

humana se extollens, nihil extra se sui ponens. Rationale animal es! Quod ergo in te bonum est? perfecta Ratio.
24 Hanc tu ad suum finem [1] evoca, in quantum potest plurimum crescere. Tunc beatum esse te judica, quum tibi ex te gaudium omne nascetur, quum in his, quæ homines eripiunt, optant, custodiunt, nihil inveneris, non dico, quod malis, sed quod velis. Brevem tibi formulam dabo, qua te metiaris, qua perfectum esse jam sentias. Bonum tunc habebis tuum [2], quum intelliges, infelicissimos esse felices [3]. Vale [4].

Capitolini Verum c. 10. Tacit. Hist. 4, 61. *R.*—Quod de omnibus Germanis generaliter dicit Seneca, Tacitus Suevis privatim tribuit. « Insigne gentis (Suevorum) obligare crinem, nodoque substringere. Sic Suevi a cæteris Germanis; sic Suevorum ingenui a servis separantur. In aliis gentibus seu cognatione aliqua Suevorum, seu (quod sæpe accidit) imitatione, rarum et intra juventæ spatium; apud Suevos, usque ad canitiem, horrentem capillum retro sequuntur, ac sæpe in ipso solo vertice religant: principes et ornatiorem habent: ea cura formæ, sed innoxiæ. » Germania, cap. 38.

1. *Ad suum finem* recte *a. c. A. Ad summum finem* edd. ex *R. S.*

2. *Bonum tunc habebis tuum.* Schweigh. delet *bonum*. Adjiciunt *Bonum*, inquit, alii initio, ut edd. vulgo, alii post *tuum*, ut *c. A.* Sed nomen ex scholio invectum ignorat ed. *R.* cum ms. *a.* Pal. 1, et probato Pinciani codice. — *Intelliges*, sed *intelleges* suo more scribit *a.*

3. *Felices.* I. e. qui felices vulgo habentur. Spectant hæc ad Epicureos, quibus felicitatem summum bonum esse constat. *Ruhk.*

4. *Vale.* Ms. *a.* in hæc verba desinit: L. Annæi Senecæ Epistularum explicit liber XX. *Schw.*

Digitized by Google

CLARISSIMI VIRI D. DIDEROT

TESTIMONIUM

DE L. ANNÆI SENECÆ

EPISTOLIS LXXXIX-CXXIV.

Dans la LXXXIXe Lettre, Sénèque expose les divisions de la philosophie ; puis, se repliant, selon son usage, sur la morale, il gourmande avec beaucoup d'éloquence l'avarice, l'abus de la richesse, et l'extravagance du luxe.

« Eh quoi ! toujours les mêmes réprimandes ? » Et vous, toujours les mêmes fautes ?

« *On ne peut*, dit-il, *avoir la vertu sans l'aimer.* » Cela est vrai. « *On ne peut l'aimer*, ajoute-t-il, *sans l'avoir.* » Cela ne me le paraît pas.

Il a consacré la XCe à l'éloge de la philosophie, et à la réfutation de Posidonius.

« Nous devons aux dieux de vivre, à la philosophie de bien vivre. »

C'est à cette Lettre que je renverrai celui qui sera curieux de connaître la délicatesse et la vigueur du pinceau de Sénèque. Ici le philosophe s'est complu à nous peindre d'une manière belle et touchante les premiers âges du monde. Mais ce bonheur des hommes anciens n'est-il pas chimérique? La félicité serait-elle le lot de la barbarie, et la misère celui des tems policés? Le bonheur de mon espèce m'est si cher, que je suis toujours tenté de croire aux romans qu'on m'en fait : cela me laisse l'espoir d'un âge, où le plus vertueux serait le plus puissant.

Posidonius pensait que, dans les siècles de l'homme inno-

Digitized by Google

cent, le commandement était déposé dans la main des sages; que les sages contenaient le bras de l'homme violent, et protégeaient le faible contre le fort; qu'ils conseillaient, qu'ils dissuadaient; qu'ils indiquaient ce qui était utile ou nuisible; que leur prudence pourvoyait aux besoins des peuples; que leur courage écartait les périls dont ils étaient menacés; que leur bienfaisance accroissait la félicité générale; que la souveraineté était un fardeau, et non une distinction; que ce n'était point un riche héritage, mais une charge onéreuse; qu'une puissance accordée pour protéger n'était pas tentée de vexer; qu'on obéissait sans murmure, parce qu'on commandait sans tyrannie; et que la plus grande menace d'un roi était d'abdiquer.

Jusque-là Sénèque est assez d'accord avec Posidonius; mais lorsque celui-ci fait honneur aux sages de l'invention des sciences et des arts, enfans de l'oisiveté, de la curiosité, de l'ennui, du besoin, des plaisirs et du tems, Sénèque s'oppose à toutes ces prétentions exagérées; et je crois qu'il a raison.

Vous trouverez, dans la Lettre XCI, le récit de l'incendie de Lyon, avec des réflexions sur ce terrible événement.

Dans la XCII^e, qui est fort belle, la réfutation du principe fondamental des épicuriens, qui plaçaient le souverain bien dans la volupté.

Dans la XCIII^e, la mort de Métronax; et que la vie ne se doit pas mesurer par sa durée, mais par son activité.

« Est-ce à vous d'obéir à la nature, ou à la nature de vous » obéir? »

« La vie courte de l'homme utile ressemble au plus précieux » des métaux, qui a beaucoup de poids sous un petit volume. »

« Celui qui a fait de grandes choses, vit après sa mort; celui » qui n'a rien fait, est mort de son vivant. »

« Combien d'années Caton a-t-il vécu? Caton vit encore; il » s'adresse à nous, il s'adresse à nos neveux. Il a laissé sur la » terre le modèle impérissable de l'homme vertueux. »

Là, Sénèque assure que rien n'est plus commun que des hommes équitables envers les hommes; et rien de plus rare que

Digitized by Google

des hommes équitables envers les dieux. Je crois les uns et les autres fort rares, et les premiers peut-être plus encore que les seconds.

Dans la XCIV^e, l'union de la philosophie parénétique ou de préceptes, avec la philosophie dogmatique. Cette Lettre est pleine de sens; il y a plus de substance dans une de ses pages, que dans tous les volumes des détracteurs de Sénèque. Il y compare le courtisan à ces insectes dont la piqûre imperceptible, accompagnée d'une démangeaison agréable, est suivie d'une enflure douloureuse; et il la termine par la sortie la plus violente contre Alexandre et les conquérans.

Ce serait à tort que les philosophes modernes se glorifieraient du mépris qu'ils ont jeté sur ces fameux assassins : il y a près de deux mille ans que Sénèque en avait fait justice.

Chaque individu participe plus ou moins aux vices de sa nation. Sénèque, Galien et Tacite en sont les exemples frappans. Sénèque s'est laissé éblouir des victoires du peuple romain; son indignation s'exhale contre les conquêtes d'Alexandre, et il ne s'aperçoit pas, ou se dissimule, que celles des Romains ont été plus longues, plus sanglantes et plus injustes. Galien, qui certes n'était pas un homme ordinaire, croyait aux rêves, aux amulettes et aux maléfices; et Tacite paraît avoir donné dans les prestiges de l'astrologie judiciaire et les miracles de son tems.

Voici comment il raconte ceux de Vespasien, parag. 81, liv. IV de ses *Histoires* : « César attendait, dans Alexandrie, le retour des vents d'été et une mer navigable, lorsque le ciel manifesta, par des prodiges, de la prédilection pour ce prince. Un Alexandrin de la lie du peuple, mais connu par son infirmité, se jeta à ses genoux, et le supplia, avec gémissement, au nom de Sérapis, le plus révéré des dieux chez cette nation superstitieuse, de le guérir de la cécité, en daignant humecter de sa salive les orbites de ses yeux. Un autre, paralysé d'une main, également inspiré par le dieu, lui demandait de la presser de son pied. D'abord l'empereur ne leur accorda que de la plaisanterie et du mépris. Balançant ensuite entre les instances réi-

Digitized by Google

térées de ces malades, les flatteries de ses courtisans et la crainte d'un reproche de vanité, il ordonna aux médecins d'examiner si leurs maladies étaient de nature à céder à des secours humains. Quelques-uns prononcèrent que la faculté de voir n'était pas entièrement détruite dans l'un, qu'on la lui rendrait en dissipant les obstacles, et que, par des moyens énergiques et salutaires, l'art restituerait à l'autre l'usage de ses membres; mais que peut-être il était dans les décrets des dieux que la cure s'opérât merveilleusement par l'entremise de César; qu'au reste, si le remède sollicité produisait un heureux effet, l'honneur en serait pour l'empereur, et le ridicule pour ces affligés, s'il n'en produisait aucun. Vespasien, persuadé que rien n'était au-dessus de sa fortune, et que l'incroyable même était au-dessous de sa puissance, prend un visage serein, satisfait aux vœux des deux malades, au milieu d'une multitude attentive à l'événement, et aussitôt l'aveugle voit, et le paralysé se sert de sa main. Ces deux faits sont attestés aujourd'hui par des témoins oculaires qui n'ont à se promettre de leurs mensonges aucune sorte de récompense.» D'après ce récit, je me demande si ces miracles sont vrais, ou s'ils sont faux; et j'avoue qu'après y avoir bien réfléchi, je vois presque autant d'inconvénient à les rejeter qu'à les admettre.

L'homme peuple est le plus sot et le plus méchant des hommes: se dépopulariser, ou se rendre meilleur, c'est la même chose.

La voix du philosophe qui contrarie celle du peuple, est la voix de la raison.

La voix du souverain qui contrarie celle du peuple, est la voix de la folie.

C'est avec une espèce d'indignation que je l'entends avancer, dans la même Lettre, qu'il ne trouve rien de plus froid, de plus déplacé à la tête d'un édit ou d'une loi, qu'un préambule qui les motive. « Prescrivez-moi, ajoute-t-il, ce que vous voulez que » je fasse; je ne veux pas m'instruire, mais obéir [1]. »

[1] Ce passage a été mal compris par Diderot. Voy. Let. XCIV, § 38. Il n'a pas mieux reussi dans la traduction du chap. de Tacite, qu'il vient de citer. Ed.

Digitized by Google

J'en demande pardon à Sénèque, mais ce propos est celui d'un vil esclave qui n'a besoin que d'un tyran. J'obéis plus volontiers, quand la raison des ordres que je reçois m'est connue. Lorsque notre philosophe dit ailleurs que les lois contribuent au bonheur, quand elles sont autant des enseignemens que des ordres, ne se réfute-t-il pas lui-même ?

Quoique nous ayons vu de nos jours des souverains vendre leurs sujets, et s'entre-échanger des contrées, une société d'hommes n'est pas un troupeau de bêtes : les traiter de la même manière, c'est insulter à l'espèce humaine. Les peuples et leurs chefs se doivent un respect mutuel ; et, *faites ce que je vous dis, car tel est mon bon plaisir*, serait la phrase la plus méprisante qu'un monarque pût adresser à ses sujets, si ce n'était pas une vieille formule de l'aristocratie, transmise d'âge en âge, depuis les tems barbares de la monarchie, jusqu'à ses tems policés. Je décerne un autel au ministre qui daigna le premier nous rendre raison de la volonté de notre maître. Quant au souverain qui croira pouvoir, sans descendre de son rang, substituer à la phrase usuelle celle qui suit : « Faites ce que je vous dis, parce qu'il y va de votre sûreté, de votre liberté et de votre bonheur ; » je lui décerne une statue d'or, avec cette inscription : *Des hommes l'élevèrent à un de leurs semblables.*

« Il arrive quelquefois à la crainte de philosopher, et à l'en-» nui de raisonner sagement. »

« On serait tenté de croire que la bonne fortune est incompa-» tible avec le bon jugement. »

« On honore assez l'Être suprême en l'imitant. »

« On continue de vivre par faiblesse et par courage. »

« L'homme sage vivra, non pas autant qu'il lui convient, mais » autant que la nécessité l'exigera. Il se commandera la vie, » quand la sécurité des siens en dépendra : il y a de la gran-» deur à rester pour les autres... » C'est d'après ces sages principes que Sénèque et Burrhus gardèrent leur poste après la mort d'Agrippine.

Je lis dans la Lettre XCV^e : « Le nombre des médecins est à

Digitized by Google

» proportion des maladies, et les maladies à proportion des cui-
» siniers... » On pourrait ajouter : et les maladies difficiles à proportion de la multitude des remèdes; et les vices à proportion du nombre des lois.

« O bizarrerie incroyable ! le meurtre, puni quand il est com-
» mis clandestinement, est ordonné par le décret du sénat, et
» exigé par la frénésie du peuple. »

« O bizarrerie incroyable ! le faste des tables est soumis à la
» censure; et l'on ne s'élève point à la censure sans une profusion
» publique et scandaleuse. »

En quel endroit du monde ne remarque-t-on pas cette contradiction des usages et des lois?

Il faut laisser subsister la loi, parce qu'elle est sage. Il faudrait réformer l'usage, mais cela ne se peut : c'est la folie générale de toute une nation, à laquelle le remède serait peut-être pire que le mal : ce serait un acte de despotisme. Celui qui pourrait nous contraindre au bien pourrait aussi nous contraindre au mal. Un premier despote, juste, ferme et éclairé, est un fléau; un second despote, juste, ferme et éclairé, est un fléau plus grand : un troisième, qui ressemblerait aux deux premiers, en faisant oublier aux peuples leur privilége, consommerait leur esclavage.

La société ressemble à une voûte : si la clef, ou le premier voussoir pèse trop, l'édifice n'est tôt ou tard qu'un amas de ruines.

La Lettre XCV^e ne le cède en rien à la précédente : Sénèque y prouve que la philosophie parénétique, ou de préceptes, ne suffit pas. Lorsque Saint-Évremond s'expliquait si légèrement sur Sénèque, il ne l'avait pas lu.

Un de ces hommes frivoles, qu'on appelait de son tems d'agréables débauchés; un épicurien, un sensuel, un bel esprit, était peu fait, par son état, son caractère et ses mœurs, pour apprécier les ouvrages de Sénèque, et goûter ses principes austères. Voici mot à mot le jugement que Saint-Évremond portait de Sénèque, et de lui-même.

« Je vous avouerai, dit-il avec la dernière impudence, que

Digitized by Google

j'estime beaucoup plus la personne que les ouvrages de ce philosophe. »

Saint-Évremond, ainsi que la plupart de ceux qui ont parlé de Sénèque, soit en bien soit en mal, ne connaissaient ni ses ouvrages ni sa personne.

« J'estime le précepteur de Néron, l'amant d'Agrippine, l'ambitieux qui prétendait à l'empire. »

Sénèque ne fut l'amant ni d'Agrippine, ni de Julie ; la méchanceté le soupçonna seulement, sur l'intimité qui régnait entre lui et celle-ci, d'avoir été le confident de ses intrigues. Saint-Évremond n'est que l'écho de Dion, ou du moine Xiphilin ; l'écho de l'infâme Suilius.

Sénèque corrupteur de Julie, estimé par Saint-Évremond, n'en resterait pas moins exposé à la censure des hommes qui ont un peu de morale. Quoique la dépravation ait fait de grands progrès depuis un siècle, nous n'en sommes pas encore venus jusqu'à louer l'adultère.

Sénèque n'eut point l'ambition de régner. Néron ne put jamais l'impliquer dans la conjuration de Pison ; et pour assurer qu'il n'ignorait pas que les conjurés avaient résolu de l'élever à l'empire, il faut s'en rapporter à un bruit populaire [1].

Il ne suffit pas de faire une jolie phrase, il faut encore y mettre de la vérité.

« Du philosophe et de l'écrivain je ne fais pas grand cas. »

C'est être bien difficile ; c'est l'être plus que Quintilien, qui n'aimait pas Sénèque ; plus que Columelle, Plutarque, Juvénal, Fronton, Martial, Sidonius Apollinaris, Aulu-Gelle, Tertullien, Lactance, Saint-Augustin, Saint-Jérôme, Juste-Lipse, Erasme, Montaigne, et beaucoup d'autres, qui se sont illustrés comme philosophes et comme littérateurs. Il y a plus de saine morale dans ses écrits que dans aucun autre auteur ancien ; et plus d'idées dans une de ses lettres que dans les quinze volumes de Saint-Évremond.

[1] *Fama fuit, Subrium Flavium*, etc. (TACIT. Annal. lib. XV, cap. 65.)

Digitized by Google

« Sa latinité n'a rien de celle du tems d'Auguste; rien de facile, rien de naturel. »

Cela se peut; mais c'est un bien léger défaut, surtout pour d'aussi pauvres connaisseurs que nous dans une langue morte. Sa latinité est celle de Pline l'Ancien, de Pline le Jeune et de Tacite : en admirons-nous moins ces auteurs? Tacite n'écrit pas comme Tite-Live; cependant, quel est l'homme d'un peu de génie qui ne préfère le penseur profond à l'écrivain élégant, le nerf de l'un à l'harmonie de l'autre? On est souvent pur et plat, sublime et barbare; on met souvent le plus grand choix des mots à dire des riens, et l'on dit de grandes choses d'un style très-négligé, très-incorrect.

« Toutes pointes, toutes imaginations qui sentent plus la chaleur d'Afrique ou d'Espagne, que la lumière de Grèce ou d'Italie! »

Sans doute il y a dans Sénèque des jeux de mots, des *concetti*, des pointes, qui me blessent autant que Saint-Évremond; des imaginations outrées, dont il faut moins accuser le manque de génie, que l'enthousiasme du stoïcisme, et que je voudrais, non supprimer, mais adoucir. La pensée de Sénèque peut très-souvent être comparée à une belle femme sous une parure recherchée; Quintilien, le rival de Sénèque, s'en était bien aperçu: « Cet auteur, dit-il, fourmille de beautés, il a des sentimens de la plus grande délicatesse. On y rencontre à chaque page des idées sublimes qui forcent l'admiration... » Et, n'en déplaise à Saint-Évremond, Quintilien est un juge un peu plus sûr que lui.

« Néron avait auprès de lui des petits-maîtres fort délicats, qui traitaient Sénèque de pédant. »

Saint-Évremond en a fait tout à l'heure un amant d'Agrippine; ici il en fait un pédant. S'entend-il bien lui-même? connaît-il ceux qu'il appelle des petits-maîtres? un Tigellin, un Pallas, un Narcisse, un Sporus, un Athénagoras, un troupeau d'infâmes débauchés, de corrupteurs, d'adulateurs d'un monstre, de scélérats dignes du dernier supplice, en comparaison desquels le plus vicieux de nos courtisans est un homme de bien.

Digitized by Google

Il est glorieux d'être ridicule aux yeux de tels personnages; c'est presque leur ressembler que de les nommer sans indignation. Néron fut plus cruel qu'eux, mais ils furent plus vils que lui.

Sénèque a dit : Une ame qui connaît la vérité, qui sait distinguer le bien du mal; qui n'apprécie les choses que d'après leur nature, sans égard pour l'opinion ; qui se porte dans tout l'univers par la pensée, en étudie la marche prodigieuse, et revient de la contemplation à la pratique; dont la grandeur et la force ont pour base la justice ; qui sait résister aux menaces comme aux caresses; qui commande à la mauvaise fortune comme à la bonne; qui s'élève au-dessus des événemens nécessaires ou contingens; qui ne voudrait pas de la beauté sans la décence, de la force sans la tempérance et la frugalité ; une ame intrépide, inébranlable, que la violence ne peut abattre, que le sort ne peut ni humilier, ni enorgueillir ; une telle ame est l'image de la vertu, etc... Voilà le philosophe dont Saint-Évremond a osé dire qu'il ne lisait jamais les écrits, sans s'éloigner des sentimens qu'il voulait lui inspirer ; voilà les pointes avec lesquelles il écrivait de la vertu.

« Sa vertu fait peur... » C'est que sa vertu n'a ni l'afféterie, ni les petites grâces, ni les petites mines d'une femme de cour. Sa vertu fait peur : oui, aux efféminés, aux flatteurs, aux enfans, et peut-être même à l'homme que la nature n'a pas destiné au rôle de Régulus ou de Caton, si l'occasion s'en présente, et par conséquent à beaucoup de monde, à Saint-Évremond, à moi; avec cette différence qu'il est fier de sa faiblesse, et que je suis honteux de la mienne ; qu'il plaisante de cette vertu, et que je me prosterne devant elle.

« Il me parle tant de la mort, et me laisse des idées si noires, que je fais ce qu'il m'est possible pour ne pas profiter de ma lecture. »

Saint-Évremond n'est pas digne de l'école où il s'est glissé ; et il n'écouterait pas sans pâlir l'histoire des derniers momens d'Epicure, son maître.

« Il est ridicule qu'un homme qui vivait dans l'abondance,

Digitized by Google

et se conservait avec tant de soin, ne prêchât que la pauvreté et la mort. »

Celui qui s'exprime ainsi n'a jamais lu les ouvrages de Sénèque, et n'en connaît guère que les titres ; sa vie privée lui est inconnue. Sénèque était frugal ; riche, il vivait comme s'il eût été pauvre, parce qu'il pouvait le devenir en un instant : sa fortune était le fonds de sa bienfaisance ; son luxe, la décoration incommode de son état : c'étaient ses amis qui jouissaient de son opulence ; il n'en recueillait que l'embarras de la conserver, et la difficulté d'en faire un bon usage.

Le vrai ridicule, c'est celui d'un vieillard frivole, prononçant d'une manière aussi tranchée et d'un ton aussi indécent sur les écrits, la doctrine et les mœurs d'un personnage aussi respectable que Sénèque.

Le vrai ridicule, c'est de permettre de lire Sénèque, et de l'imiter quand on en sera réduit à se couper les veines : lorsqu'on en est là, il n'est plus tems de lire. Quand on n'a pas lu et relu Sénèque d'avance, on l'imite mal. Il me semble que j'entends Sénèque, s'adressant à Saint-Évremond, lui dire : « Et qui est-ce qui n'est pas exposé d'un moment à l'autre à avoir les veines coupées? Si ce n'est par la cruauté d'un tyran, ce sera par le décret de la nature. Et qu'importe que votre sang soit versé ou par un centurion, ou par un phlébotomiste ; par la fluxion de poitrine, ou par la proscription ? en mourrez-vous moins? en serez-vous moins obligé de savoir mourir? » Lorsque la corruption est systématique, et que le vice est devenu les mœurs de l'homme, il n'y a pas plus de remède qu'à la vieillesse.

J'ai apostrophé Saint-Évremond, parce que, devant la justice également à ceux qui sont et à ceux qui ne sont plus, je parle aux morts comme s'ils étaient vivans, et aux vivans comme s'ils étaient morts.

On a écrit autrefois des libelles contre les honnêtes gens comme on en écrit aujourd'hui ; mais peu sont parvenus jusqu'à nous.

Nos bibliothèques immenses, le commun réceptacle et des

Digitized by Google

productions du génie et des immondices des lettres, conserveront indistinctement les unes et les autres. Un jour viendra où les libelles publiés contre les hommes les plus illustres de ce siècle, seront tirés de la poussière par des méchans animés du même esprit qui les a dictés; mais il s'élevera, n'en doutons point, quelque homme de bien indigné qui décèlera la turpitude de leurs calomniateurs, et par qui ces auteurs célèbres seront mieux défendus et mieux vengés que Sénèque ne l'est par moi.

Le vice des ignorans est d'enchérir sur les invectives des méchans, dans la crainte de n'en paraître que les échos. Les détracteurs modernes de Sénèque ont été beaucoup plus cruels que les anciens : les douze lignes d'un Suilius ont enfanté des volumes d'injures atroces.

La XCVI^e Lettre est de la résignation; la XCVII^e, du jugement de Clodius : lisez-la, si vous voulez frémir de la dépravation romaine, même au tems de Caton. Un jeune libertin s'introduit, à la faveur d'un déguisement, dans le lieu de la célébration des mystères de la bonne déesse, et déshonore la femme de César : il est appelé devant les tribunaux, et renvoyé absous. Mais quel fut le prix de la corruption des juges? De grandes sommes d'argent. C'eût été comme aujourd'hui, et dans tous les tems. Avec ces sommes d'argent on stipula la prostitution de plusieurs femmes désignées, et la jouissance de jeunes gens de la première distinction. Nous le cédons autant aux Romains dissolus qu'aux Romains vertueux.

Dans la XCVIII^e, il dévoile la frivolité des biens extérieurs; et dans la XCIX^e, il veut que le style de l'orateur soit énergique; celui du poète tragique, sublime; et que le poète comique ait de la finesse [1].

Le philosophe se soutiendra par la grandeur des choses.

Les Lettres XCIX, C, CI, CII et CIII, nous instruisent de la mort

[1] Diderot s'est trompé; il n'est pas question de style dans la XCIX^e Lettre, mais dans la suivante, à propos des ouvrages de Fabianus Papirius. La XCIX^e ne parle que de la mort du fils de Marullus, et des bornes qu'il faut mettre à la douleur. ED.

Digitized by Google

du fils de Marullus, et de la modération dans la douleur ; du caractère des ouvrages de Fabianus Papirius ; de la différence du style oratoire et du style philosophique ; de la mort de Sénécion ; de la célébrité dans les siècles à venir ; des terreurs paniques. Dans celle-ci il dit à Lucilius : « Que la philosophie » vous corrige de vos vices, mais qu'elle n'attaque pas ceux des » autres ; qu'elle se garde bien de se déclarer hautement contre » les mœurs publiques... » Il me semble que Sénèque a fait, toute sa vie, le contraire de ce qu'il prescrit ici, et qu'il a bien fait. A quoi donc sert la philosophie, si elle se tait ? Ou parlez, ou renoncez au titre d'instituteur du genre humain. Vous serez persécuté ; c'est votre destinée : on vous fera boire la ciguë ; Socrate l'a bien bue avant vous : on vous emprisonnera, on vous exilera, on brûlera vos ouvrages, on vous fera peut-être vous-même monter sur un bûcher... Vous pâlissez ! la frayeur vous prend ! et vous voulez attaquer les mauvaises lois, les mauvaises mœurs, les superstitions régnantes, les vices, les vexations, les actes de la tyrannie ! Quittez votre robe magistrale, ou sachez renoncer au repos : votre état est un état de guerre ; vous n'avez pas seulement affaire aux erreurs et aux vices, mais encore aux aveugles et aux vicieux ; votre unique souci, c'est d'avoir raison. Ménager les préjugés, c'est manquer à la vérité ; ménager les vices, c'est rougir de la vertu.....

Cet ouvrage sera bien mauvais, s'il n'irrite pas la haine, et n'excite pas les cris de la méchanceté. Elle souffrirait patiemment que je lui enlevasse une de ses victimes ! Je ne m'y attends pas. Heureusement, entre les ennemis de la philosophie, si les uns ont la perversité des Tigellins, ils n'en ont pas la puissance ; et si les autres en ont la puissance, ils n'en ont pas la perversité : ceux qui pourraient me nuire ne le voudront pas, et ceux qui le voudraient ne le pourront pas. Si je vous disais qu'un merveilleux critique a découvert, après de profondes méditations, que D'Alembert était un idiot, un pauvre mathématicien, un mauvais écrivain, un malhonnête homme, et que le pain que nous mangeons était un poison, la proscription des

Digitized by Google

tripots de jeu une loi injuste, j'aurais rendu cet homme aussi absurde, aussi ridicule qu'on peut l'être ; cependant il ne m'en arriverait rien.

Sénèque parle, Lettre CIV, de sa faible santé, et de la tendresse de sa seconde femme Pauline. « Mes études, dit-il, » (Lettre LXXVIII) m'ont sauvé : c'est à la philosophie que je » dois la vie, et c'est la moindre des obligations que je lui ai... » Il ajoute, dans une autre Lettre (Let. CIV) : « Ne pouvant ob- » tenir de Pauline d'en être aimé d'une manière plus coura- » geuse, elle a obtenu de moi que je m'aimerais avec plus de » faiblesse... » De là il passe au peu d'effet des voyages dans les maladies de l'ame.

La Lettre CV contient de bons préceptes de conduite.

Il prétend, Lettre CVI, que les vertus sont corporelles : vaines disputes des mots.

La CVII^e est une exhortation dans les adversités.

Il enseigne, Lettre CVIII, la manière de lire et d'écouter les philosophes. Si le lecteur a eu la patience de me lire jusqu'ici, j'espère qu'il ne se rebutera pas pour quelques lignes de plus ; en revanche, je m'engage à plus de briéveté dans l'examen des autres ouvrages.

« Le sage peut-il être utile au sage ? Chaque homme a-t-il » son bon génie ?... » Et, à ce sujet, le mot d'Épicure, qui ne demandait que du pain et de l'eau pour être l'égal de Jupiter. A quoi bon les sophismes et les chicanes dans la philosophie ? A la déshonorer. Les mauvaises habitudes se déracinent-elles facilement ? Telle est la matière des Lettres CIX, CX, CXI et CXII.

Il dit, Lettre CX : « Soit que vous soyez sous la protection » d'une Providence, ou abandonné au hasard, l'imprécation la » plus terrible que vous puissiez faire contre un ennemi, c'est » qu'il le devienne de lui-même. »

« Ne vous applaudissez pas trop de mépriser le superflu ; vous » vous applaudirez quand vous en serez venu à mépriser le né- » cessaire... » Ou je me trompe fort ; ou mépriser le superflu est d'un sage, et mépriser le nécessaire, d'un fou.

Digitized by Google

« Épicure demande du pain et de l'eau : s'il est honteux de » faire consister son bonheur dans l'or et l'argent, il ne l'est pas » moins de le faire dépendre du pain et de l'eau.... » Je voudrais bien savoir où est la honte de ne pas vouloir mourir de soif et de faim. On n'est pas heureux pour avoir l'absolu nécessaire ; mais on est très-malheureux de ne l'avoir pas.

Lettre CXII, il désespère de l'amendement de l'ami de Lucilius : il n'y a rien de bien à faire d'un homme de cet âge.

Lettre CXIII, il se moque un peu de ses bons amis les stoïciens, qui disputaient entr'eux si les vertus étaient des animaux. En vérité, lorsqu'on voit des hommes tels qu'un Cléanthe, un Chrysippe, s'occuper de pareilles frivolités, on serait tenté d'attacher peu d'importance à la perte de leurs ouvrages, et de les ranger dans la classe des Albert-le-Grand, des Scot, et autres péripatéticiens, dont la réputation s'est évanouie avec l'ignorance de leur siècle.

Là, il se déchaîne de rechef contre Alexandre : ailleurs il s'adresse à ces hommes qui feraient peut-être assez peu de cas de la vertu, s'il ne leur était permis d'en afficher le faste ; qui en ont toujours, et d'aussi mauvaise grâce, le mot à la bouche, que les femmes sauvages leur perle pendue à la lèvre, et qui semblent nous dire, par leurs continuels apophthegmes : Écoutez-moi, regardez-moi ; c'est moi qui suis sage. Si tu l'étais vraiment, tu t'occuperais moins à le persuader, tu le serais sans ostentation ; la vertu obscure, la vertu, même couverte d'une ignominie non méritée, ne serait pas sans attraits pour toi.

« Si vous refusez d'être juste sans gloire, vous serez quelque- » fois exposé à l'être avec ignominie. Alors, si vous avez une » ame vraiment grande, la mauvaise renommée, encourue par » des voies honnêtes, ne sera pas sans charme pour vous. »

Si Sénèque a montré de la finesse et du goût dans quelques-unes de ses Lettres, c'est à la CXIV^e^, où il examine l'influence des mœurs publiques et du caractère particulier sur l'éloquence et le style. Mécène écrivait comme il s'habillait ; son discours fut mou, négligé, lâche comme son vêtement. Sénèque ne veut pas

Digitized by Google

que le philosophe, l'orateur même, s'occupe beaucoup de l'élégance et de la pureté du style ; il l'aime mieux véhément qu'apprêté.

Les richesses font-elles le bonheur? L'opinion des péripatéticiens sur l'utilité des passions est-elle vraie ? Quelle différence le stoïcien met-il entre la sagesse et le sage ? Qu'est-ce que le bon? Qu'est-ce que l'honnête ? Quels sont nos besoins et nos désirs naturels ? Quelle est l'origine de nos idées sur le bon et l'honnête ? En quoi consiste la constance du sage ? Les animaux ont-ils le sentiment de leur état ? de la vie réglée, de l'extravagance du luxe, de la frugalité ? Le souverain bien réside-t-il dans l'entendement? Sa notion y est-elle innée ? ou les premières idées de la vie ont-elles pour base, ainsi que les élémens de toute science et de tout art, quelques phénomènes acquis par les sens? Voilà le reste des questions agitées depuis la CXV^e Lettre jusqu'à la CXXIV^e et dernière.

Lettre CXVI : « Un jeune fou demandait à Panétius si le sage » pouvait être amoureux. Panétius lui répondit : Oui, le sage. »

Lettre CXXI : « L'accomplissement de vos désirs les plus vifs a » souvent été la source de vos plus grandes peines... » En effet, combien il m'est arrivé de fois de soupirer après le malheur!

Lettre CXXII : « Discerner la vérité au milieu de l'erreur géné- » rale, c'est le caractère du génie. Opposer son sentiment à celui » de tout un peuple, c'est l'indice d'une ame forte. »

Il serait difficile de citer un sentiment honnête, un précepte de sagesse, un exemple de beau, qui ne se trouvât dans ces Lettres. On y voit partout un penseur délicat, subtil et profond, un homme de bien. Cependant, où ont-elles été écrites ? A la cour la plus dissolue. Dans quel tems ? Au tems de la plus grande dépravation des mœurs. Elles sont au nombre de cent vingt-quatre ; et dans aucune, pas un seul mot qui sente l'hypocrisie. Ici, sa pensée s'échappe librement de son esprit ; là, son ame et sa tête s'échauffent de concert : il est indigné, il est violent, mais, à travers les différens mouvemens qui l'agitent, toujours vrai, toujours lui. Je suppose que ce recueil tombât entre les mains

Digitized by Google

d'un homme de sens, mais assez étranger à la philosophie pour ignorer le nom de Sénèque; et qu'après la lecture de ces Lettres, on lui demandât ce qu'il pense de l'auteur. Balancerait-il à répondre, qu'on n'écrit ainsi que quand on a reçu de la nature une élévation, une force d'ame peu commune? Et réussirait-on à lui persuader le contraire, surtout si l'on faisait passer successivement sous ses yeux les autres ouvrages de Sénèque, et qu'on terminât cet essai par l'histoire de sa vie et le récit de sa mort? Ne serait-il pas tenté de s'écrier de Sénèque, comme Érasme de Socrate : *Sancte Seneca?*

Deux grands philosophes firent deux grandes éducations : Aristote éleva Alexandre; Sénèque éleva Néron.

Les deux hommes les plus sages, les deux plus grands philosophes, l'un d'Athènes, l'autre de Rome, sont morts d'une mort violente [1] : tous deux ont été tourmentés pendant leur vie, et calomniés après leur mort. Vous qui marchez sur leurs traces, plaignez-vous, si vous l'osez.

Les Lettres de Sénèque sont trop pleines, trop substantielles, pour être lues sans interruption. C'est un aliment solide qu'il faut se donner le tems de digérer.

[1] Diogène Laërce cite un auteur nommé Eumelus, qui prétend qu'Aristote s'étant retiré à Chalcis, s'empoisonna à l'âge de soixante-dix ans. (Diogen. Laert. in Aristot. *segm.* 6.)

Digitized by Google

FRAGMENTA

LIBRORUM L. A. SENECÆ

QUI INTERCIDERUNT.

Digitized by Google

N. B. De his omnibus quæ sequuntur Epistolas, vide, si placet, et consule præfatiunculam initio hujus voluminis præfixam. Ed.

Digitized by Google

FRAGMENTA

L. A. SENECÆ

EX VETERUM LIBRIS COLLECTA,

CUM J. LIPSII NOTIS.

QUINTILIANUS, lib. VIII, cap. III, § 31.

1. NOSTRI autem in jungendo, aut derivando paulum aliquid ausi, vix in hoc satis recipiuntur: nam memini juvenis admodum inter Pomponium et Senecam etiam præfationibus esse tractatum, an *gradus eliminat* apud Attium, in tragœdia dici oportuisset.

Cap. V, ejusdem libri, § 18.

2. Facit quasdam sententias sola geminatio; qualis est Senecæ in eo scripto, quod Nero ad Senatum misit occisa matre, quum se periclitatum videri vellet: « Salvum me esse adhuc nec credo, nec gaudeo [1]. »

Lib. IX, cap. II, § 42.

3. Novi vero, et præcipue declamatores, audaciùs, nec mehercules sine motu quodam imaginantur; ut Seneca in controversia [2], cujus summa est, quod pater filium et novercam, inducente altero filio, in adulterio depre-

1. *Nec credo, nec gaudeo.* Nec credo, ob magnitudinem scilicet et præsentiam periculi: nec gaudeo, ob pietatem, quia mater exitium meum molita est, et in eam debui insurgere ad amoliendum.

2. *Seneca in controversia.* Dubites, sit Noster iste, an ipsius pater.

Digitized by Google

hensos occidit : « Duc : sequor, accipe hanc senilem manum, et quocumque vis imprime. » Et paulo post : « Adspice, inquit, quod diu non credidisti. Ego vero non video, nox oboritur, et crassa caligo. » Habet hæc figura manifestius aliquid : non enim narrari res, sed agi videtur.

Ibidem, § 98.

4. Nam in totum jurare, nisi ubi necesse est, gravi viro parum convenit. Et est a Seneca dictum eleganter : « Non patronorum hoc esse, sed testium. »

Plinius, Nat. Hist. lib. VI, cap. XVII.

5. Seneca etiam apud nos tentata Indiæ commentatione[1], LX amnes ejus prodidit, gentes duodeviginti centumque. Par labor sit montes enumerare.

Lib. IX, cap. LIII.

6. Ævi piscium memorandum nuper exemplum accepimus. Pausilypum villa est Campaniæ, haud procul Neapoli ; in ea in Cæsaris piscinis a Pollione Vedio conjectum piscem, sexagesimum post annum expirasse scribit Annæus Seneca, duobus aliis æqualibus ejus ex eodem genere, etiam tunc viventibus.

Suetonius, in Tiberio, cap. LXXIII.

7. Seneca eum (*Tiberium*) scribit, intellecta defectione, exemptum annulum, quasi alicui traditurum, parumper tenuisse : dein rursus aptasse digito, etc.

A. Gellius, lib. XII, cap. II, Noct. Atticarum.

8. Seneca in lib. XXII Epistolarum moralium, quas

1. *Tentata Indiæ commentatione.* Itaque regiones descripsit, aut etiam historiam scripsit, ut apparet. Adde Fragmentum 7, 29, 38, et 39.

Digitized by Google

ad Lucilium composuit, deridiculos versus Q. Ennium de Cethego antiquo viro fecisse hos dicit :

> ..... Dictus ollis popularibus olim,
> Qui tum vivebant homines, atque ævum agitabant,
> Flos delibatus populi et suada medulla.

Ac deinde scribit de iisdem versibus verba hæc : « Admiror eloquentissimos viros, et deditos Ennio, pro optimis ridicula laudasse. Cicero certe inter bonos ejus versus et hos refert. » Atque id etiam de Cicerone dicit. « Non miror, inquit, fuisse qui hos versus scriberet, quum fuerit qui laudaret : nisi forte Cicero summus orator agebat causam suam, et volebat hos versus videri bonos. » Paulo post : « Apud ipsum quoque », inquit Seneca, « Ciceronem invenies etiam in prosa oratione quædam, ex quibus intelligas illum non perdidisse operam, quod Ennium legit. » Ponit deinde quæ apud Ciceronem reprehendat, quasi Enniana, quod ita scripserit in libris de republica, ut « Menelao Laconi fuit suaviloquens jucunditas »; et quod alio in loco dixerit, « breviloquentiam in dicendo colat. » Deinde, « Non fuit », inquit Seneca, « Ciceronis hoc vitium, sed temporis; necesse erat hæc dici, quum illa legerentur. » Deinde adscribit, Ciceronem hæc ipsa interposuisse ad effugiendam infamiam nimis lascivæ orationis et nitidæ. De Virgilio quoque eodem in loco verba hæc ponit : « Virgilius quoque noster non ex alia causa duros quosdam versus, et enormes, et aliquid supra mensuram trahentes interposuit, quam ut Ennianus populus agnosceret in novo carmine antiquitatis aliquid. »

Addit non multo post ex Seneca :

« Quidam sunt tam magni sensus Q. Ennii, ut licet scripti sint inter hircosos, possint tamen inter unguentatos placere. » Et quum reprehendisset versus quos supra

Digitized by Google

de Cethego posuimus : « Qui hujusmodi, inquit, versus amant, liceat sibi eosdem admirari et Soterici lectos. » Audias tamen commemorari ac referri pauca quædam quæ ipse idem Seneca bene dixerit : quale est illud quod in hominem avarum et avidum et pecuniæ sitientem dixit, « Quid enim refert quantum habeas? multo illud plus est quod non habes. »

TERTULLIANUS, de Anima, cap. XLII.

9. Multo coactius Seneca : « Post mortem, ait, omnia finiuntur, etiam ipsa [1]. »

LACTANTIUS, Divinarum Institutionum lib. I, cap. V.

10. Annæus quoque Seneca, qui ex Romanis vel acerrimus Stoicus fuit, quam sæpe summum Deum merita laude prosequitur! Nam quum de immatura morte dissereret, « Non intelligis, inquit, auctoritatem, ac majestatem judicis tui? Rector is orbis terrarum, cælique et deorum omnium Deus, a quo ista numina, quæ singula adoramus et colimus, suspensa sunt! » Item in Exhortationibus : « Hic, quum prima fundamenta molis pulcherrimæ jaceret, et hoc ordiretur, quo neque majus quidquam novit natura, nec melius, ut omnia sub ducibus suis irent, quamvis ipse per totum se corpus intenderat, tamen ministros regni sui deus genuit. » Et quam multa alia de Deo nostris similia locutus est, quæ nunc differo, quod aliis locis opportuniora sunt!

Cap. VII.

11. Et est illud verum quod dixisse in Exhortationi-

1. *Tertullianus de anima.* Citabant alium locum ex eodem, c. 20, ut Fragmentum : atqui exstat locus ille IV De Benef. cap. 6, totidem verbis. Sed et sequens sententia alibi in Epistolis, nisi memoria fallit.

Digitized by Google

bus Senecam supra retuli, « genuisse regni sui ministros Deum. »

Eodem cap. VII.

12. Quod Seneca vir acutus in Exhortationibus suis vidit. « Nos, inquit, aliunde pendemus. Itaque ad aliquem respicimus, cui quod est optimum in nobis, debeamus. Alius nos edidit, alius instruxit : Deus ipse se fecit[1]. »

Ejusdem lib. cap. XVI.

13. Non illepide Seneca, in libris moralis philosophiæ, « Quid ergo est, inquit, quare apud poetas salacissimus Jupiter desierit liberos tollere? Utrum sexagenarius factus est, et illi lex Papia fibulam imposuit? an impetravit jus trium liberorum? an tandem illi venit in mentem, Ab alio exspectes, alteri quod feceris? et timet, ne quis sibi faciat, quod ipse Saturno? »

Lib. II, cap. II.

14. Recte igitur Seneca in libris moralibus, « Simulacra, inquit, deorum venerantur, illis supplicant genu posito, illa adorant : illis per totum adsident diem, aut adstant : illis stipem jaciunt, victimas cædunt : et quum hæc tantopere suspiciant, fabros, qui illa fecere, contemnunt. »

Ejusdem lib. cap. IV.

15. Merito igitur etiam senum stultitiam Seneca deridet. « Non, inquit, bis pueri sumus, ut vulgo dicitur,

1. *Deus ipse se fecit.* Condito nempe mundo, qui est Deus Stoicus. Aliquid pro hoc sensu in Physiolog. I, Dissert. VII, vide, et hunc locum, sis, adde. *Lips.* — Nobis vero sensus esse videtur : Dum nos ab alio, nempe Deo, pendemus, ipse a nullo pendet, et a nullo alio factus est.

Digitized by Google

sed semper. Verum hoc interest, quod majora nos ludimus. »

Cap. VIII.

16. Melius igitur Seneca omnium Stoicorum acutissimus, qui vidit nihil aliud esse Naturam, quam Deum. « Ergo, inquit, Deum non laudabimus, cui naturalis est virtus? Nec enim illam didicit ex ullo. Immo laudabimus; quamvis enim naturalis illi sit, sibi illam dedit, quoniam Deus ipse natura est. »

Lib. III, cap. XV.

17. Eodem ductus errore Seneca (quis enim veram viam teneret, errante Cicerone?): « Philosophia, inquit, nihil aliud est, quam recta vivendi ratio; vel, honeste vivendi scientia; vel, ars recte vitæ agendæ. Non errabimus, si dixerimus philosophiam esse legem bene honesteque vivendi. Et qui dixerit illam regulam vitæ, suum illi nomen reddiderit. »

Ibidem.

18. Item Seneca in Exhortationibus, « Plerique, inquit, philosophorum tales sunt, ut sint diserti in convicium suum; quos si audias in avaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, professionis indicium putes: adeo redundant ad ipsos maledicta in publicum missa; quos non aliter intueri decet, quam medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides venena. »

Ibidem.

19. « Faciet sapiens, inquit idem Seneca, etiam quæ non probabit, ut etiam ad majora transitum inveniat: nec relinquet bonos mores, sed tempori aptabit: et qui-

Digitized by Google

bus alii utuntur in gloriam, aut voluptatem, utetur agendæ rei causa. » Et paulo post : « Omnia quæ luxuriosi faciunt, quæque imperiti, faciet et sapiens, sed non eodem modo, eodemque proposito. »

Cap. XVI ejusdem libri.

20. Et Seneca, « Nondum sunt, inquit, mille anni, ex quo initia sapientiæ nota (mota) sunt. » Multis ergo seculis humanum genus sine ratione vixit.

Cap. XXIII.

21. Fuisse Seneca inter Stoicos ait, qui deliberaret, utrumne Soli quoque suos populos daret; inepte scilicet, qui dubitaverit.

Cap. XXV.

22. Platonem quidem redemisse Anniceris quidam traditur sestertiis VIII[1]. Itaque insectatus est conviciis redemptorem Seneca, quod parvo Platonem æstimaverit.

Lib. V, cap. IX.

23. Qui volent scire omnia, Senecæ libros in manum sumant, qui *morum vitiorumque publicorum et descriptor verissimus, et accusator acerrimus* fuit.

Ejusdem libri cap. XIII.

24. Recte igitur Seneca, incongruentiam hominibus objectans, ait : « Summa virtus illis videtur magnus animus; et iidem eum, qui contemnit mortem[2], pro furioso habent; quod est utique summæ perversitatis. »

1. *Redemisse Anniceris sestertiis octo.* Justissime, ut neutro genere accipias *octona sestertia*: id est, *Philippicos ducentos* (circiter 1,600 fr.) Sunt enim ipsæ *viginti minæ*, quibus veniisse eum Laertius scripsit; etsi alii augent ad *triginta*.

2. *Iidem eum, qui contemnit mor-*

Lib. VI, cap. XVII.

25. Item Senecæ in libris moralis philosophiæ dicentis : « Hic est ille homo honestus, non apice[1] purpurave, non lictorum insignis ministerio, sed nulla re minor : qui quum mortem in vicinia videt, non sic perturbatur, tanquam rem novam viderit : qui, sive toto corpore tormenta patienda sunt, sive flamma ore recipienda est, sive extendendæ per patibulum manus, non quærit quid patiatur, sed quam bene. » Qui autem Deum colit, hæc patitur, nec timet.

Lib. VI, cap. XXIV.

26. Nec lucrari se quisquam putet, si delicti conscium non habebit ; scit enim ille omnia, in cujus conspectu vivimus : nec, si universos homines celare possumus, Deum possumus, cui nihil absconditum, nihil potest esse secretum. Exhortationes suas Seneca mirabili sententia terminavit. « Magnum, inquit, nescio[2] quid, majusque quam cogitari potest, numen est, cui vivendo operam damus : huic nos approbemus. Nam nihil prodest inclusam esse conscientiam ; patemus Deo. » Quid verius dici potest ab eo qui Deum nosset, quam dictum est ab homine veræ religionis ignaro ?

Ibidem.

27. Idem in ejusdem operis primo : « Quid agis ? inquit ; quid machinaris ? quid abscondis ? Custos te tuus sequitur. Alium tibi peregrinatio subduxit, alium mors,

tem. De Peripateticis sermo, qui abhorrent mortem spontaneam.

1. *Non apice*, sc. sacerdotum.

2. *Magnum nescio quid.* Mirifica sententia, et merito Lactantio laudata. Sed nota, quod clauserit Exhortationes Senecæ : sicut et eadem Physiologiam nostram, de Divinis. *Lips.*

Digitized by Google

alium valetudo : hæret hic, quo carere nunquam potes. Quid locum abditum legis, et arbitros removes? Putas tibi contigisse, ut oculos omnium effugias? Demens! quid tibi prodest non habere conscium, habenti conscientiam? »

Ejusdem, cap. XXV.

28. Quanto melius et verius Seneca? « Vultisne vos, inquit, Deum cogitare magnum et placidum, et majestate leni verendum? amicum, et semper in proximo? non immolationibus, et sanguine multo colendum : quæ enim ex trucidatione immerentium voluptas est? sed mente pura, bono honestoque proposito? Non templa illi, congestis in altitudinem saxis exstruenda sunt : in suo cuique consecrandus est pectore. »

Lib. VII, cap. XV.

29. Non inscite Seneca[1] Romanæ urbis tempora distribuit in ætates. « Primam enim dixit infantiam sub rege Romulo fuisse, a quo et genita, et quasi educata sit Roma : deinde pueritiam sub cæteris regibus, a quibus et aucta sit, et disciplinis pluribus, institutisque formata : at vero Tarquinio regnante quum jam quasi adulta esse cœpisset, servitium non tulisse, et, rejecto superbæ dominationis jugo, maluisse legibus obtemperare, quam regibus : quumque esset adolescentia ejus fine Punici belli terminata, tum denique confirmatis viribus cœpisse juvenescere. Sublata enim Carthagine, quæ tam diu æmula Imperii fuit, manus suas in totum orbem terra marique porrexit : donec regibus cunctis et nationibus Imperio subjuga-

1. *Non inscite Seneca.* Hæc ad *Flori historiam*, quæ exstat, referunt, et colligunt *Senecam* cognomento fuisse. Non puto huc facere, et res inspecta dicet : quia alia in Floro divisio, aliisque finibus ætates

Digitized by Google

tis, quum jam bellorum materia deficeret, viribus suis male uteretur, quibus se ipsa confécit. Hæc fuit prima ejus senectus, quum bellis lacerata civilibus, atque intestino malo pressa, rursus ad regimen singularis imperii recidit, quasi ad alteram infantiam revoluta. Amissa enim libertate, quam Bruto duce et auctore defenderat, ita consenuit, tanquam sustentare se ipsa non valeret, nisi adminiculo regentium niteretur. »

B. Hieronymus adversus Jovinianum, libro primo.

30. Claudia virgo Vestalis, quum in suspicionem venisset stupri, et simulacrum matris Idææ in vado Tiberis hæreret, ad comprobandam pudicitiam suam fertur cingulo duxisse navem, quam multa millia hominum trahere nequiverant. « Melius tamen, inquit Lucani poetæ patruus, cum illa esset actum, si hoc quod evenit, ornamentum potius exploratæ fuisset pudicitiæ, quam dubiæ patrocinium. »

Eodem libro.

31. Scripserunt Aristoteles, et Plutarchus, et noster Seneca de matrimonio libros, ex quibus et superiora nonnulla sunt, et ista quæ subjicimus. « Amor, formæ oblivio est, et insaniæ proximus, fœdum minimeque conveniens animo sospiti vitium, turbat consilia, altos et generosos spiritus frangit, a magnis cogitationibus ad humillimas detrahit : querulos, iracundos, temerarios, dure imperiosos, serviliter blandos, omnibus inutiles, ipsi novissime amori, facit. Nam quum fruendi cupiditate insatia-

terminantur. Confer, agnosces. Ergo verius, ipsius Senecæ scriptum hoc fuisse; et Florum imitando decerpeisse. *Lips.* — Nos de M. Seneca, L. patre, agi crediderimus. Cujus opinionis rationes vide infra, Nova Fragm. p. 412, not. 1. De utroque Seneca Fabric. Bib. Lat. t. II, p. 87.

Digitized by Google

bili flagrat, plura tempora suspicionibus, lacrymis, conquestionibus perdit, odium sui facit, et ipse novissime sibi odio est. »

Paulo infra.

32. Refert præterea Seneca, « cognovisse se quemdam ornatum hominem, qui exiturus in publicum, fascia uxoris pectus colligabat, et ne puncto quidem horæ præsentia ejus carere poterat, potionemque nullam nisi alterius tactam labris, vir et uxor hauriebant : alia deinceps non minus inepta facientes, in quæ improvida vis ardentis affectus erumpebat. »

In fine.

33. « Nam quid, ait Seneca, de viris pauperibus dicam? quorum in nomen mariti, ad eludendas leges quæ contra cælibes sunt, pars magna conducitur. Quomodo potest regere mores, et præcipere castitatem, et mariti auctoritatem tueri, qui nupsit [1]? »

B. Augustinus, de civitate Dei, lib. VI, cap. x.

34. DE SUPERSTITIONE.

Hunc locum præ aliis omnibus laudat Justus Lipsius, ut pote *acumine, prudentia, libertate* præclarum; ita ut illum in suis Electis, lib. II, c. XVIII, inseruerit et peculiaribus notis ornaverit, quas hic suo quasque loco apponendas curavimus. Postquam locum exscripsit, exclamat :

« En fragmenta, et quidem tota. Juvit enim describere : atque utinam plura! Nam quid non solum liberius, sed melius, acu-

1. *Qui nupsit.* Nempe pauperculus ille, umbratilis maritus. Qui nubere dicitur aspere, quoniam in leges et manum venit, facturus quod jubetur, et obnoxius ut femina. Nam *nubere* proprie de femina dicitur.

Digitized by Google

tius, prudentius potuit, in impiam illam pietatem? Et si non vagus aut vanus tibi sensus, habebis, Lector, quod huic etiam ævo serviat; quo religionum, ut sic dicam, thyrso percussæ, bacchantur ac gallantur multorum mentes. Sed ut maneam in meo circo, promit hæc Augustinus e libro Senecæ quem contra Superstitiones scripsit. Qui, ut optima pleraque, periit: sed memoria tamen ejus apud Tertullianum etiam, in Apologetico hoc velut auctoritatis firmæ telum intorquentem contra Gentes. *Infrendite*, inquit, *inspumate; iidem tamen estis qui Senecam aliquem pluribus et majoribus de superstitione vestra perorantem reprehendistis.* (Ubi scripsisse Doctorem magnum censeo, *aliquampluribus*: qua forma et conjunctione in Apuleio, immo et in Ciceronis Verrinis lego, *aliquammultos.*) Et alludere quidem Tertullianus ad hunc titulum, De Superstitione, videtur. Non tamen nego, quin pluribus locis, immo libris hoc argumenti genus tractarit Annæus, præsertim in Exhortationibus: quas Lactantius aliquoties nominat, et adducit sententias haud dispares istis. »

Libertas sane, inquit Augustinus, quæ huic defuit, ne istam urbanam theologiam theatricæ simillimam, aperte sicut illam reprehendere auderet, Annæo Senecæ, quem nonnullis indiciis invenimus Apostolorum nostrorum claruisse temporibus [1], non quidem ex toto, verum ex aliqua parte non defuit. Adfuit enim scribenti, viventi defuit. Nam in eo libro quem contra superstitiones condidit, multo copiosius ac vehementius reprehendit ipse civilem istam et urbanam theologiam, quam Varro theatricam atque fabulosam. Quum enim de simulacris ageret:

1. *Quem nonnullis indiciis...Apostol. nostr. claruisse tempor.* Quibus indiciis, o Augustine? Illisne Epistolarum ad Paulum (quas vide infra)? Suspicamur id te suspicatum; sed frustra: quia vanæ illæ, et ab inscito impostore: et bonis sane humeris Hieronymus qui admisit, et habuit fidem. Tamen quid indiciis opus? Aqua et aere isto liquidius est, comparem ætate Senecam Apostolis fuisse, et vixisse Claudii ac Neronis ævo.

Digitized by Google

« Sacros, inquit, immortales, inviolabilesque deos in materia vilissima atque immobili dedicant. Habitus illis hominum, ferarumque, et piscium, quidam vero mixtos ex diversis corporibus induunt [1]. Numina vocant, quæ si spiritu accepto subito occurrerent, monstra haberentur. »

Deinde aliquanto post, quum theologiam naturalem prædicans, quorumdam philosophorum sententias digessisset; opposuit sibi quæstionem, et ait : « Hoc loco dicet aliquis : Credam ego cælum et terram deos esse, et supra lunam alios, alios infra ? Ego feram aut Platonem, aut Peripateticum Stratonem, quorum alter fecit Deum sine corpore, alter sine animo ? » Et ad hoc respondens, « Quid tandem ? inquit : veriora tibi videntur T. Tatii, aut Romuli, aut Tulli Hostilii somnia ? Cluacinam T. Tatius dedicavit deam, Picum Tiberinumque Romulus, Hostilius Pavorem atque Pallorem, teterrimos hominum affectus : quorum alter mentis territæ motus est, alter corporis, ne morbus quidem, sed color [2]. Hæc numina potius credes, et cælo recipies ? » De ipsis vero ritibus crudeliter turpibus, quam libere scripsit ! « Ille, inquit, viriles sibi partes amputat, ille lacertos secat. Ubi iratos deos timent, qui sic propitios habere merentur [3] ? dii autem nullo ipsi debent coli genere, si et hoc volunt. Tantus est perturbatæ mentis et sedibus suis pulsæ furor, ut sic dii pla-

1. *Quidam vero mixt.* etc. Lipsius, in Electis scribit : *quid vere mixto sensu diversis corporibus induunt.* Libri veteres, inquit in nota, *mixto sexu.* Quod haud improbo, quasi e mare et fœmina compositi quidam divi : ut Hermathenæ, Hermeracles. *Mixto sensu* tamen præferam, ut velit deos componi et misceri ex hominibus simul ferisque, et animantibus quibus diversi sensus. Quod in pictura et fictura stultissime receptum illis scimus.

2. *Quorum alter mentis territæ motus est, alter corporis : ne morbus quidem, sed color.* Si attendis, omnino ex subjecta sententia, utrobique aut *motus* scribendum, aut *morbus.* Atque illud potius.

3. *Ubi iratos Deos timent, qui sic*

Digitized by Google

centur, quemadmodum ne homines quidem sæviunt. Teterrimi, et in fabulas traditæ crudelitatis tyranni, laceraverunt aliquorum membra, neminem sua lacerare jusserunt. In regiæ libidinis voluptatem castrati sunt quidam, sed nemo sibi ne vir esset, jubente domino, manus intulit[1]. Se ipsi in templis contrucidant; vulneribus suis ac sanguine supplicant. Si cui intueri vacet quæ faciunt, quæque patiuntur; inveniet tam indecora honestis, tam indigna liberis, tam dissimilia sanis, ut nemo fuerit dubitaturus furere eos, si cum paucioribus furerent: nunc sanitatis patrocinium est, insanientium turba. » Jam illa quæ in ipso Capitolio fieri solere commemorat, et intrepide omnino coarguit, quis credat nisi ab irridentibus, aut furentibus fieri? Nam quum in Sacris Ægyptiis Osirim lugeri perditum, mox autem de invento magnum esse gaudium derisisset; quum perditio ejus inventioque fingatur, dolor tamen ille atque lætitia, ab eis qui nihil perdiderunt, nihilque invenerunt, veraciter exprimatur: « Huic tamen, inquit, furori certum tempus est. Tolerabile est, semel in anno insanire. In Capitolium perveni: pudebit publicatæ dementiæ, quod sibi vanus furor attribuit, officii. Alius numina Deo subjicit[2], alius horas Jovi nun-

propitios merentur? Acute; nec alius Quintiliani prisci illius et Attici (ita me judice audiet) declamatoris sensus, in Fanatico: *Istud si Deus cogit, iratus est.*

1. *Sed nemo sibi ne vir esset, jubente domino, manus intulit.* Mallem, *lubente animo.* Nam ut a dominis quidam ad id adacti, cur pernegemus?

2. *Alius numina Deo subjicit.* Legebam, *lumina.* Et carpi censebam eos, qui cereos lychnosque passim clara luce accendebant in templis. Lactantius libro VI: «Mactant hostias Deo, tanquam esurienti; profundunt vina, tanquam sitienti; accendunt lumina, velut in tenebris agenti.» At liber vetus et bonus, quem nactus sum ex dissipata bibliotheca Batava Egmundana, refert *nomina.* Et vide num occultior ritus sit, tanquam diis adstiterint sui nomenclatores, qui salutantium sive adorantium nomina velut nesciis ingererent: ambitione videlicet et ritu qui inter proceres Romanos. Mihi hoc assidere ineptiis iis videtur, quæ sequuntur.

Digitized by Google

tiat[1], alius lictor est, alius unctor[2], qui vano motu brachiorum imitatur ungentem. Sunt quæ Junoni ac Minervæ capillos disponant, longe a templo non tantum a simulacro stantes, digitos movent ornantium modo. Sunt quæ speculum teneant[3], sunt quæ ad vadimonia sua deos

1. *Alius horas Jovi nuntiat.* Ita enim mos passive apud alios etiam Deos. Martialis de Iside : « Nunciat octavam Pariæ sua turba juvencæ. » Apuleius libro XI, de eadem : « Ac dum valvis candentibus reductis in diversum, Deæ venerabilem conspectum apprecamur, et per dispositas aras circumiens sacerdos rem divinam procurat, supplicamentis solemnibus de penetrali fonte petitum spondeon libat : rebus rite consummatis, inchoatæ lucis salutationibus, religiosi primam nunciantes horam perstrepunt. » Quo loco obiter legendum moneo, *dum velis candentibus*, fide scripti libri mei. Et sane vela fuisse scimus ante sanctiores aras statuasque (etiam apud Judæos) quæ adduci solitum et reduci. Idem Milesius scriptor, de se initiato : « Sic ad instar Solis exornato, et in vicem simulacri constituto repente velis reductis, in adspectum populi erraham. » Quin et Christianorum templis similis ornatus. Paulinus Nolanus : « Aurea nunc niveis ornantur limina velis. » Et alibi in VI Natali Felicis. Ita enim et hæc ex eodem meo codice emendo. Cæterum solemnes salutationes has deorum, ut multa, e tenebris eruit Jos. Scaliger notis in Tibullum : quibus apposite huncce Senecæ locum addes, et alterum ex Epistola XCV, § 47 : « Vetemus salutationibus matutinis fungi, et foribus adsidere templorum. Humana ambitio istis officiis capitur : Deum colit, qui novit. » Vide notam.

2. *Alius lictor est, alius unctor.* Displicet hic *lictor*, scribo, *fictor*. Id enim nomen inter officia divina. In lapidibus legi : DISCIPULUS. FICTORUM. PONTIFICUM. Item : FICTOR. V. V. id est, Virginum Vestalium. Alibi : FICTORES. PONTIFICUM. Quid fuerint, Isidorus explicat aperte simul et ad nostram mentem apte : « Fictor, inquit, a componendo et fingendo, velut qui capillos mulierum linit et pertractat, ungit et nitidat. » Nam alias Fictor Latinis, qui Græcis Plastes, notione magis vulgari. Agnoscit autem has easdem vanitates in deorum cultu etiam Artemidorus libro II, cap. 34, Περὶ θεῶν τιμῆς. Ait : « Ἐκμάσσειν δὲ θεῶν ἀγάλματα, ἢ καθαίρειν, ἢ ἀλείφειν, ἢ σαροῦν τὰ πρὸ τῶν νέων καὶ τὰ πρὸ τῶν ἀγαλμάτων, ἡμαρτηκέναι τὶ εἰς αὐτοὺς ἐκείνους τοὺς θεοὺς σημαίνει. » Sed et Vestitores suos diis fuisse, Julius Firmicus me docet libro III : « Mercurius, inquit, cum Venere in tertio ab horoscopo loco, faciet vestitores deorum. »

3. *Sunt quæ speculum teneant.* Insignis, nec vulgo nobilis hic ritus. Speculum autem diis præsertim fœminis tenebant ostendebantque, quasi ad inspiciendum explorandumque satisne cultæ. Seneca ipse in Epistolis : « Vetemus lintea et strigiles Jovi ferre, et speculum tenere Junoni. » Ubi lintea et strigiles ad balnea scilicet referes, quasi lotione quoque Jovi usus. Apuleius de iisdem speculis bene illustrat, Milesiar. XI. De pompa Isidis : « Mulieres, inquit, candido

Digitized by Google

advocent[1] : sunt qui libellos offerant, et illos causam suam doceant. Doctus Archimimus, senex jam decrepitus[2], quotidie in Capitolio mimum agebat, quasi dii libenter spectarent, quem homines desierant. Omne illic artificum genus, operantium diis immortalibus, desidet. » Et paulo post, « Hi tamen, inquit, etiam si supervacuum usum, non turpem nec infamem Deo promittunt[3] : sedent quædam in Capitolio, quæ se a Jove amari putant : nec Junonis quidem, si credere poetis velis, iracundissimæ respectu terrentur. » Hanc libertatem Varro non habuit, tantummodo poeticam theologiam reprehendere ausus est, civilem non ausus est, quam iste concidit. Sed si verum attendamus, deteriora sunt templa, ubi hæc aguntur, quam theatra, ubi finguntur. Unde in his sacris civilis theologiæ has partes potius elegit Seneca sapienti, ut eas in animi religione non habeat, sed in actibus fingat. Ait enim : « Quæ omnia sapiens servabit tanquam legibus jussa, non tanquam diis grata. » Et paulo post, « Quid quod et matrimonia, inquit, deorum jungimus, et ne pie quidem, fratrum scilicet et sororum ? Bellonam Marti collocamus : Vulcano Venerem : Neptuno Salaciam : quosdam tamen cælibes relinquimus, quasi conditio defe-

splendentes amicimine, verno florentes coronamine, quæ de gremio per viam, qua sacri incedebant comitatus, solum sternebant flosculis. Aliæ quæ, nitentibus speculis pone tergum reversis, venienti deæ obvium commonstrarent obsequium. »

1. *Sunt quæ ad vadimonia sua Deos advocent.* Immo, *qui.* Nec viros ab his nugis excernamus : quorum vadari certe est, et hæc forensia obire, non fœminarum.

2. *Doctus Archimimus, senex jam decrepitus.* Itane *Docti* adjectio conveniens Mimo ? non meo sensu : putemque nomen certi hominis fuisse, et scribendum *Docimus Archimimus*, aut *Docio.* Memoria non semper mihi prompta : tamen lectum simile aliquod mimi nomen confuse mihi est in mente. In iisdem etiam verbis legere malim, *senex*, *imo decrepitus.*

3. *Deo promittunt.* Haud mutem : *deo promunt.* Tamen veriorem hanc lect. censeo.

Digitized by Google

cerit : præsertim quum quædam viduæ sint, ut Populonia, vel Fulgora, et diva Rumina, quibus non miror petitorem defuisse [1]. Omnem istam ignobilem deorum turbam, quam longo ævo longa superstitio congessit, sic, inquit, adorabimus, ut meminerimus, cultum ejus magis ad morem, quam ad rem pertinere. » Nec leges ergo illæ, nec mos, in civili theologia id instituerunt, quod diis gratum esset, vel ad rem pertineret : sed iste, quem Philosophi quasi liberum fecerunt, tamen quia illustris populi Romani senator erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat.

Cap. XI, de eodem SENECA.

35. Hic inter alias civilis theologiæ superstitiones reprehendit etiam sacramenta Judæorum, et maxime sabbata : inutiliter id eos facere affirmans, quod per illos singulos septem interpositos dies septimam fere partem ætatis suæ perdant vacando, et multa in tempore urgentia non agendo lædantur. Christianos tamen jam tunc Judæis inimicissimos, in neutram partem commemorare ausus est : ne vel laudaret contra suæ patriæ veterem consuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forsitan voluntatem.

Ibidem.

36. De illis sane Judæis quum loqueretur, ait : « Quum interim usque eo sceleratissimæ gentis consuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta sit : victi victoribus leges dederunt [2]. » Mirabatur hæc dicens, et quid

1. *Quibus non miror petitorem defuisse.* Erige sententiam jacentem interrogandi nota, et scribe, *mirer.* Nec plura ad hos ritus : in quibus perclara imago vanitatis erroris prisci ; a quo quantum beneficium est, quod eripuit nos melior ille deus.

2. *Victi victoribus leges dederunt.*

Digitized by Google

divinitus ageretur, ignorans. Subjecit plane sententiam, qua significaret, quid illorum sacramentorum ratione sentiret. Ait enim : « Illi tamen causas ritus sui noverunt, et major pars populi facit, quod cur faciat, ignorat. »

SCRIPTOR vitæ P. Virgilii Maronis.

37. Seneca tradidit, Julium Montanum poetam solitum dicere, involaturum se quædam Virgilio, si et vocem posset, et os, et hypocrisin; eosdem enim versus, eo pronuntiante, bene sonare; sine illo, inarescere quasi mutos.

SERVIUS, in VI Æneid.

38. Seneca scripsit de situ et sacris [1] Ægyptiorum; hic dicit, « circa Sienem extremam Ægypti partem esse locum, quem Philas, hoc est, Amicas vocant, ideo quod illic est placata ab Ægyptiis Isis, quibus irascebatur, quod membra mariti Osiridis non inveniebat, quem frater Typhon occiderat. Quæ inventa postea quum sepelire vellet, eligit vicinæ paludis tutissimum locum, quem ad transitum constat esse difficilem; limosa enim est et papyris referta. »

Idem SERVIUS, in IX Æneid.

39. Ganges fluvius Indiæ est, qui secundum Senecam, in situ Indiæ, « novem alveis fluit, » secundum [2] Melonem septem : qui tamen et ipse commemorat nonnullos dicere, quod tribus alveis fluat.

Rutilius : « Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset, Pompeii bellis, imperioque Titi! Latius excisæ pestis contagia serpunt, Victoresque suos natio victa premit. » Ubi etsi Judæi nominantur, certum Christianos maxime intelligi : sicut et in Seneca ipso.

1. *De situ et sacris.* An et ipsam Ægyptum ergo descripsit? nisi legis, *de ritu.* Tamen et statim, Frag. proximo, *de situ Indiæ.*

2. *Melonem.* Suspicamur legendum

Digitized by Google

PRISCIANUS, lib. VII.

40. Seneca Ovidium sequens :

Gausapa si sumpsit [1], gausapa sumpta proba.

CONCILIUM TURONENSE II, Can. XV.

41. Aliqui Laici, dum diversa perpetrant adulteria, hoc quod de se sciunt, in aliis suspicantur, sicut ait Seneca, « pessimum in eo vitium esse, qui in id quo insanit, cæteros putat furere. »

esse *Melam*. Omnibus enim notus est Pomponius Mela, cujus exstat liber *de situ orbis*, quum nulla illius Melonis apud veteres mentio fiat. ED.

1. *Gausapa si sumpsit*. Est ipse Ovidii versus, lib. II de Arte Amandi. Ergo vult hic Prisciani locus, Senecam non versum scripsisse, sed illo exemplo *Gausapa* extulisse.

His fragmentis nonnulli addunt Orationem Senecæ ad Neronem, qua philosophus noster Imperatorem, quum ad deteriora inclinare cerneret, seque variis criminationibus incessi, oravit ut sibi in otium secedere liceret. Nos vero, quum jam oratio illa in nostra Taciti editione inserta fuerit, et præterea dubitandum sit an ipsius Senecæ verba a Tacito relata essent, quippe qui (ut ipse fatetur *Annal.* XV, c. 63 fin.) aliorum verba invertere solebat, hanc orationem præterire satius duximus, nostros lectores ad ipsum Tacitum (lib. XIV *Annal.* cap. 53, 54) remittentes.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVA FRAGMENTA,

EX PALIMPSESTIS ERUTA.

PRÆMONITIO.

SEQUENTIA fragmenta ex illo libro exscripta sunt, quem V. Ill. B. G. *Niebuhr*, C. F., nuper cum quibusdam aliis edidit, sub hoc titulo : *M. Tullii Ciceronis Orationum pro M. Fonteio et pro C. Rabirio fragmenta*, *T. Livii lib. XCI fragmentum plenius et emendatius*, *L. Senecæ fragmenta, ex membranis Bibliothecæ Vaticanæ* (Romæ, 1820; Paris, apud *Lenormand*), paulo post quam Gaii *Institutiones* ipse reperisset et in lucem edidisset.

Hæc Senecæ, æque ac Ciceronis et T. Livii fragmenta, ex eodem illo jam nobili Bibliothecæ Vaticanæ codice Palatino XXIV, Tobiæ, Judithæ, Jobi atque Estheris libros continente, eruta sunt, ex quo jam antea T. Livii Historiarum insigne fragmentum exscripserant Paulus Brunsius et Vitus Juvenatius.

Suæ horum fragmentorum editioni satis amplam notitiam præmisit *Niebuhr*, in qua postquam nonnulla monuisset, et de pretiosi, sed misere laceri, codicis descriptione, et de rationibus quibus usus fuerit ut oblitteratas et fere perditas litteras erueret et legeret, tandem ad ipsarum schedarum notitiam accedit, et de nostris fragmentis sic loquitur, Notitiæ in libri frontem præmissæ p. 13 :

« Prima inter illas (schedas) comparent sex folia ex duobus *L. Annæi Senecæ* scriptis, quorum memoria penitus interciderat, petita : unum, quo initium libri *de vita patris* continetur; reliqua quinque *de amicitia* disputationem exhibent, quo tamen titulo libel-

Digitized by Google

lum inscriptum fuisse præstare nolim. Jam vero codex ille cujus reliquiæ ad hunc usum conversæ sunt, ejusdem formæ fuit qua libros biblicos scribi placuit, singulæque paginæ singulis respondentes, ut nunc se habet codex, 10, 15, 39, 40, 43, 44, numerantur. Hæ sunt quas paulo ante situ et madore corrupta fere evanuisse indicavi, quo factum est ut partem antiquæ scripturæ assequi non potuerim. Scriptionis specimen, cujus indoles investigandi facultatem haud parum auget, in tabula dedi. Eam semiminusculam satis apposite nominare possumus : typorum autem qui in libris imprimendis adhibentur origo manifesto inde repetenda est. Denique titulus libri *de vita patris* illam refert qua in scribendo utimur : quæ facile in tabellionum quoque scriptione agnoscitur, quoties, sive in chartis sive in membranarum marginibus, perspicue, non ligatis inter se ductibus, scribere placuit. Utrumque autem scripturæ genus quod in his Annæanis conspicitur, in volumine librorum S. Hilarii de Trinitate obtinet quod in tabulario Basilicæ Vaticanæ asservatur; Carthagine sub Trasimundo Vandalo rege, primis sexti sæculi annis, scripto : cujus subscriptiones, de quarum antiquitate sanus nemo dubium movere poterit, eam exhibent speciem, ut obiter inspicienti facile in mentem venire possit eas ante duo vel tria sæcula adscriptas esse. Itaque minime crederem hujus scripturæ usum sæculis intermediis omissum fuisse : quanquam haud scio an nihil illo genere exaratum ex eo ævo supersit : Petrarchæ certe epistola, quæ Patavii ostenditur, iis litteris scripta est quibus tunc in codicibus utebantur. Quod vero ad litteram semi-minusculam attinet, volumen alterum Codicis Theodosiani inter libros manuscriptos Reginæ, haud dubie ad eadem fere cum codice S. Hilarii tempora referendum, eadem illa, licet crassiore, scriptum est; idemque de fragmentis orationum Symmachi Romanis et Mediolanensibus valet..... »

«Jam quod ad editionis consilium attinet, illud institutum secutus sum quod Juvenatio et Herculanensium voluminum clarissimo editori, atque diu ante eos Fulvio Ursino et Radbodo Schelio, aliisque præterea præclaris viris placuit, ut quid singulis pa-

Digitized by Google

ginis, versibusque contineatur, quam late pateant lacunæ, quot seu versus seu litteræ perierint vel legi non potuerint, præsertim in iis quæ majoris pretii sunt, accuratissime ante oculos proponerem : ita enim viri criticæ artis periti qui ad codicem accedere nequeunt, tuto sese in emendando supplendoque exercere poterunt : ii vero præcipue, qui post me hasce membranas tractabunt, hac ratione se valde adjuvari sentient. Ea est enim hujus investigationis indoles, ubicumque scriptura oblitterata est, ut vix ab uno perfici possit : alius postea, deinde alius plura quam primus editor feliciter divinando assequatur, atque a conjecturis progressus etiam oculis agnoscat : atque hæc profecto unica ad omnia paulatim in hujusmodi codicibus exculpenda via est. Ego vero, si alius ea de quibus desperavi a se perspecta esse monstrabit, sive etiam, licet magna adhibita diligentia, me nonnunquam errasse, minime me ignominia affectum esse arbitrabor : quin potius hoc consequar ut eosdem viros gnavos fidei meæ testes habeam : cæterum non mea res agetur, sed communis litterarum utilitas, quæ bonis omnibus semper carissima fuit, et esse debet. » (Ex Notitia, p. 27.)

Hoc tamen institutum paululum immutavit in edendis his Senecæ Fragmentis, quæ, sane melius servata, paulo melius quam reliqua legi poterant.

« In his Fragmentis proponendis, inquit in eorum fronte, satis visum est omnia vulgato more atque interpuncta perscribere; paginas tamen codicis, et quantum quoque loco oblitteratum sit accurate indicavi. »

Digitized by Google

De amicitia[1].

I. (*il*) le tristior quam solebat | o . . ru . ille[2] . . m . . si | . . . . . me . . . in ad . . | . . a quærentem . erm . . | . . . . . t . ni . se . . | gres . r. ac fecit . . . . | ter alteri . . . . . | dit a . . . . . | ses . . . . . | plus . . . . hi . conquesturus venit : at contra se adfuit et satisfacienti satisfecit : non minus hic sollicitus fuit ne fecisse videretur injuriam quam ille ne accepisse : aut
a 55 d certe nihil || resedit quod serperet, sed in medium dedit uterque offensiones suas, et alter ab altero quidquid latebat expressit. Familiare jurgium non judicem sed arbitrum quærit, nihil autem componitur inter absentes,

1. *De amicitia.* Hunc titulum præscripsi ut esset aliquis : cæterum neque in membranis adest, neque hoc modo inscriptus liber Senecæ memoratur ; quin fieri potuit ut, quæ hic habemus, in libris Moralis philosophiæ exstiterint, quos se elaborare ad Lucilium Seneca scripsit, perfectosque et editos fuisse ex Lactantio patet, qui plurima inde profert. Potuit autem Seneca, Aristotelis exemplum secutus, absoluta doctrina de moribus atque officiis, in illis de amicitia disserere.

2. *O.. ru. ille.* Quicumque membranarum rescriptarum rationem tenet, divinando tentandum gressum esse scit, ubicumque antiquior scriptura usque ad ductuum excidium oblitterata, atque a superposita recentiore contecta est : comparatis deinde conjecturis cum illis quæ non sine acerrima oculorum contentione apparent ductibus, rectæ ne an falsæ sint dijudicari. Hanc viam secutus quum in Liviano tum in his fragmentis, plurima, quæ non primo solum intuitu, sed vel vicies tentata, prorsus desperanda esse videbantur, tandem assecutus sum : manent tamen in his Annæanis lacunæ, pro exiguo eorum modulo magnæ, in quibus explendis ut alius Senecæ præstare possit quod ego Livio, optandum est. Cui rei quo melius se accingant oculati et eruditi viri, a Senecæ lectione recentes, meliusque quam ego instructi, quum hoc loco, tum aliis ejusdem naturæ ; quæcumque visu percipere potui, diligenter proposui, versuum fines indicavi, in quibus singulis 16 aut 17, raro plures, litteras contineri moneo ; neque pro iis reprehensionem metuo ubi in litteris erratum fuerit, quippe qui certo sciam, successoribus in hac opera meis plurimum adjumenti collatum esse his, quæ nisi alios post me felicius elaboraturos esse sperarem, ut inutilia abjicerem. — Ex 17 uniuscujusque paginæ versibus 10 vel 11 primi superposita scriptura conteguntur : reliqui in versuum in-

Digitized by Google

nec tuto epistulis omnis querela committitur, et inexplorata fronte, per quam produntur animi, incertum est quam simpliciter detegatur ira, quam fide || liter desinat. d. 44 r.
Sic amico[1] judica*turus amicus* a præsente *secun*dum absentem det.

Quisquis re consulta ri.... contrahat[2] plurimum operis facit : in rem præsentem[3] perducat amicum. Quemadmodum multa quorum in tenebris audacia est, luce prohibentur; ita, quæ absentes irritant et concitant, ad præsentiam non ferunt. Optimum est itaque, etiam si quid neg || legentius prætermissum est .... bu . an . u. | factum ere .....con | putatum ...verbi . | .... in id tempus... | niq . o possit ....nob . | le . . le re..... ne | pens ad . . nari . . si . *prae* | terea *sinceram ami*citiam decet ut sine cicatrice sanetur. d. 39 v.

Quæramus a venientibus quid absentes agant, debitoribus illorum instemus, creditoribus respondeamus, inimicis resistamus : si aut——— d. 39 r.

II. Quæritis : itaque momento amicitiæ vestræ exolescunt quarum mens aut animus pignus est.

Una peregrinatio eradit animo jus omne : si vero longior hæc est et longinquior, excidit notitia quoque, non tantum amicitia. Quod ne possit accidere, omni opera sistamus, et fugientem memoriam reducamus : utamur, ut in prima parte dicebam, || animi velocitate, neminem d. 15 v.

terstitiis comparentes, dempto tamen folio 10, r. quod situ confectum est, facile leguntur.

1. *Amico.* Sic scripsi quia ante *judica*, vocabuli reliquias, duæ tantum litteræ oppressæ sunt.

2. *Ri... contrahat.* Perfacile esset *rixam* supplendo scribere, neque litterarum vestigia adversarentur : at quo sensu? verbis *plurimum operis* in membran. superscriptum est *multum*.

3. *In rem præsentem.* Seneca ad Lucil. Ep. IV, p. 14, ed. Bip. « Plus tibi et viva vox et convictus quam

Digitized by Google

a nobis amicum abesse patiamur, in animum subinde nostrum revertantur futura nobis promtu, jam ut præterita repetamus : sic ille manus, sic ora ferebat : imago effingatur animo notabilis et e vivo petita, non evanida et muta. Sic ille manus, sic ora ferebat : adjiciamus illa
·d ·15· 1· quæ magis ad rem pertinent : sic loquebatur, sic hor‖ tabatur, sic deterrebat, sic erat in dando consilio expeditus, in accipiendo paratus, in mutando non pertinax : sic solebat beneficia liberaliter dare, patienter perdere, sic properabat benignitas ejus, sic irascebatur, eo vultu ab amico vincebatur, quo solent vincere : ceteras virtutes pererremus, in harum usu tractatuque versemur : et, si
·d ·10· 8· plures eodem tempo || re absunt, velut sparsa pluribus locis membra familiaritatis nostræ colligamus : nunc hic, nunc ille in ore animoque sit, ubi . . e . ius . . si . . hui . nempe nes : nulla tantum possit vetustas ut memoriam ami | citiæ . . . dæ . . . | sic nun . . . . . | lum est . . . . . liæ es . | se interdu . . cu fati | solet in iram[1] est
·d ·10· 1· quam | valde illum amem | conscientia ea con | . . . . .

III. — (*notitia animi esse cer*) tior debet, quia vultus incertus est. Magnos humanum pectus recessus habet : quod *vultu* quo placet virtus eo fraus adumbratur, et cogitationibus pessimis facies benignissima obducitur : nec facile nisi peritus intellegas quid intersit inter animum amici et colorem.

Hoc[2] sibi quisque proponat quo minus facile fucatis

oratio proderit : in rem præsentem venias oportet. »

1. *Solet in iram.* Quivis videt quæ hic scribuntur non nisi fallacem litterarum speciem esse, quam tamen exhibere, propter rationes antea allatas, placuit. *L.*—Alius explicare tentet.

2. *Hoc... officiis.* Tres hosce versus tanquam Ciceronis edidit Melior p. XCIV, addens : « Non ovum ovo similius esse quam isthæc Tullianis plane gemella. »

Digitized by Google

capiatur officiis : || rara res est amicitia [1] : vulgaris aut d. 40. A.
exposita ut implere totas domus possit vulgo sibi homines persuasere [2]. An aurum ingenti opera tegi creditis, cujus ubique quæsiti vix sub aliquo monte vena deprehenditur; amicum autem ubique inveniri, sine ullo labore, sine ulla investigatione [3]? Quid enim [4] tam simplex apertumque est? Atqui non tam in alto latet aurum argentumque——— d. 40. E.

Incipit ejusdem | Annæi Senecæ | de vita patris | feliciter : scribente [5] *| me . . . . . die et lo (co) s (upra) s(cripto).*

Si quæcumque composuit pater meus et edi voluit jam in manus populi emisissem, ad claritatem nominis sui satis sibi ipse prospexerat : nam nisi || me decipit pietas, d. 43. A.
cujus honestus etiam error est, inter eos haberetur qui ingenio meruerunt ut puris *scriptorum* titulis nobiles es-

1. *Rara... amicitia.* Hic locus apud Meliorem est fragmentum II Ciceronianum.

2. *Vulgaris... persuasere.* Hæc ita in membrani scripta extare omni dubio caret : non tamen eo minus mendosus est locus, qui ne miti quidem medicina sanari potest. Atque ego quidem nullum emendandi genus pejus odi quam illud quod contra libros negationem sive inserit sive tollit : tamen, quum in desperatis ad ultima remedia confugere necesse sit, non video quomodo hæc ad sensum aliquem revocari possint, nisi scribendo : *rara res est amicitia, non vulgaris aut exposita, ut implere totas domos possit, ut vulgo sibi homines persuasere. Expositum* enim pro re patente seu vulgari dictum esse arbitror, qua significatione apud Statium et Juvenalem obvium est.

3. *Amicum... investigatione.* Melior, apud quem hæc ῥῆσις quintum fragmentum efficit in quo *ultro loquentem sese prodere Ciceronem* existimat, pro *amicum, erat mecum* præbet.

4. *Quid enim...argentumque.* Apud Meliorem quatuor hi versus III fragmentum sunt, *aureolum* illi nuncupatum, quod tamen *Œdipum requirat.* Idem perabsurde pro *atqui*, *aut qui* legendum esse pronunciat.

5. *Scribente.* Hujus vocis lectionem amice mihi indicavit ill. Maius qui idem post *me*, *Niciano* aut certe non absimile nomen agnoscere sibi videtur. Stabilita autem voce *scribente*, cætera (*die et lo ss*) certissima ra-

Digitized by Google

sent. Quisquis legisset ejus historias [1] ab initio bellorum civilium [2], unde primum veritas retro abiit, pæne usque ad mortis suæ diem, magni æstimaret scire quibus natus esset parentibus ille qui res Roma || *nas*

tione explicantur : scilicet ad calcem libri qui præcedebat, cujusque fragmenta dedimus, diem locumque subscripserat librarius.

1. *Historias.* Historiarum, quas M. Seneca pater scripserit, nulla apud auctores memoria extat, nisi quod inde petita esse suspicor, quæ Suetonius tanquam a Seneca de morte Tiberii Imp. narrata, in Tiberio cap. 73 refert. Caii enim tempora attigisse, qui tamen, quum filius sub Claudio exularet, mortuus erat, ex Suasoria II certissimo argumento colligo, quod (p. 21 ed. Bip.) : « Cornelii Tusci, qui Mamercum Scaurum, in quo Scaurorum familia exstincta fuerit, reum fecisset, hominis improbi animi, meminit. » Scauri enim accusatio, ex qua mortem sibi ille conscivit, triennio ante exitum Tiberii accidit (Tacit. An. VI c. 30), quo principe vivo ejus rei mentio, cum accusatoris vituperatione conjuncta, sine manifesto periculo fieri non potuisset. Hunc locum Fabricii diligentiam effugisse miror, qui alium in eadem Suasoria animadvertit ubi de Attalo Stoico sermo est, Sejani fraude circumvento ; is vero sub Tiberio scribi poterat. — Ex hoc loco, quo Marc. Senecam, Nostri patrem, historias scripsisse constat, facile crediderimus illi tribuendos esse historicos quosdam locos Lucio Senecæ a nonnullis tributos, et qui leguntur inter ejus Fragmenta (vide supra, frag. 5, 7, 29, 38, 39), de quorum vero auctore ambigitur. Ed.

2. *Initium bellorum civilium* Divi Julii adventus in Italiam est : nam de iis temporibus, quorum historiam Sallustius conscripsit, dici non poterat *veritatem retro abiisse*.—Igitur, qui, nisi civilia bella eum impedissent, Ciceronem audisset (Controv. I procem.) et Tiberio Imp. supervixit (vide not. super.), ad ultimam senectutem pervenit, et ferme nonagenarius obiit.

Digitized by Google

L. ANNÆI SENECÆ

EPIGRAMMATA.

Digitized by Google

Digitized by Google

L. ANNÆI SENECÆ

EPIGRAMMATA.

Hæc Epigrammata, quæ alio in loco ab aliis ponuntur, a plerisque tamen, nec male, post Consolationem ad Polybium, ab exule quoque scriptam, locantur, inter Fragmenta et Incerta inserere satius nobis visum est. De his sic loquitur *Ruhkopf*, qui ea in suæ edit. IV vol. post libros de Beneficiis edidit :

« Sequuntur in hoc volumine *Epigrammata novem*, quæ quum Senecæ tribuantur, apponere non dubitavi : quanquam Dionys. Dideroti judicio [1] subscribendum censeo : neque poetam præstant qui delectet, neque infelicem qui moveat, neque philosophum qui instruat. Nec aliunde nisi a librariis scimus ea Senecæ fœtum esse, quorum tamen fidem in tali re haud certi momenti ad veritatem evincendam esse constat. Cæterum contuli *Burmanni* Anthologiam Vet. Lat. qui codice Vossii et schedis manuscriptis Scaligeri, una cum editionibus Pithœi, Scaligeri, etc. in usum suum conversis hæc Epigrammata amplo et eo docto commentario ornavit, quo et *Wernsdorfius* beat. mem. in Poett. Latt. Min. Vol. V, 3, ubi nr. I, II, IX edidit, usus est [2]. »

Vulgatum titulum, *Epigrammata super exilio*, paulum mutavimus, quum cuilibet legenti obvium sit perpauca ex illis circa exilium versari. Ruhkopfii notas ad Epigrammata servavimus.

[1] Dideroti judicium ipsius verbis vide ad Epigrammatum calcem.

[2] In hac Collectione, Poet. Lat. min. Vol. IV, p. 543 seq.

Digitized by Google

I.

AD CORSICAM.

Corsica, Phocaico tellus habitata colono,
Corsica, quæ patrio nomine Cyrnus eras,

1. *Corsica Phocaico*, etc. Exstat in Burmanni Antholog. Vet. Lat. To. I. Lib. III, Epigr. XII, p. 464 et Wernsdorfii Poet. Lat. Minor. To. V, Part. III. p. 1368, ut Pithœi Scaligerique edd. omittam. Relegatus in Insulam Corsicam auctor precatur, ut delitescere sibi liceat non infeliciter. Quanquam nihil obstat, quominus L. Ann. Seneca, quem in Corsicam a Claudio relegatum esse constat, pro auctore hujus epigrammatis habeatur, tamen propterea dubitatio quædam nobis injicitur, quod admodum jejunum est poemation et rhetoricum colorem præ se fert indignum eo qui tantis malis immersum se queri debet. — *Phocaico*. Sic codex Salmasii, qui ad Solin. pag. 94 ed. paris. ex hoc libro suo antiquissimo legendum monuit, non *Phocaio*, ut est in codice Vossiano. Scaliger inter utramque hanc lectionem fluctuasse videtur. Ceterum *Phocaicus*, *Phocaius*, *Phocaeus*, *Phoceus* et *Phocensis*, et a librariis, quin et ab auctoribus confundi, docet Burmann. ad h. l. post Duker. ad Thucyd. lib. I, cap. 13 aliosque. Attigimus ad c. 8 Consolat. ad Helv. § 1. — Phocaicum Colonum vero Cyrnon appellat, Phocæensium ducem, qui sexto ant. Chr. nat. sæculo in hanc insulam commigravere. Sed vid. notam ad vs. sequentem, voc. *Cyrnus*.

2. *Patrio*. Codex vetustiss. ut Burmannus ad h. l. putat, Salmasii sic præstat, Nic. Heinsio ad Ovidium probante: adstipulantur vestigia codicis Vossiani, in quo, eodem Burm. monente, est: *pario nomine*. Interpretor, antiquissimo, primo, popularique nomine. Conf. Spanhem. ad Callim. Hymn. in Del. vs. 19, qui Bochartum sequens a Phœnicibus insulam hanc appellatam putat propter multa promontoria: unde Corsica, i. e. Silvosa, etiam nomen accepisse videtur, quanquam alii a Corsa Bubulca, itala muliere, quæ dum taurum nantem cymbula sequitur, a Lyguriæ littoribus profecta, insulam prospexit, et popularibus nuntiavit, qui statim regionem occupavere. Vid. et cf. Rutil. Itin. 1, 438 et Isidor. Origg. 14, 6. Alii, inter quos Burmann. et Wernsd. *Graio* præferunt, Servii verbis ad Virgil. Eclog. IX, 30: hæc autem insula Græce *Cyrne* (ἡ Κύρνος) dicitur a Cyrno Herculis filio, hanc lection. confirmari putantes. Sed quidni et hæc Servii observatio ad codicis scripturam fulciendam adhiberi possit? — *Cyrnus*, vel *Cyrnos*, *Cyrne*, Græcum est nomen quod antiquitus huic insulæ contigit. Aliter tamen vocatam etiam antehac quidam volunt, etc. Tercepnen aiunt nomen antiquissimum hujus insulæ fuisse: dein *Cyrne* appellata est a Cyrno (si Græcos mythographos, unde Servius sua habet, sequaris), Herculis (vel Jovis) et Cyrnus filio, qui idem credendus est ac ille Pho-

Digitized by Google

Corsica Sardinia brevior, porrectior Ilva,
Corsica piscosis pervia fluminibus,
Corsica terribilis, quum primum incanduit æstas, 5
Sævior, ostendit quum ferus ora Canis,

cæensium heros, notus ex Herodot. 1, 165, qui narrat, Phocæenses in istam insulam misisse coloniam, condita urbe Alalia; quanquam et alii sic dictam velint a Phœnicibus ob multa promontoria. Nam promontorium Phœnicum lingua Cyrnus fuit. Quæ Strabo V, 2, 7 ed. Lips. de Corsica tradit pauca, parum eam commendant, nec Boswellus aliique, qui eam descripserunt, extollunt. Burmannus laudat Pomponium Melam, *De situ orbis*, lib. II, 7, 129 ed. Is. Vossii, et notas Delrii ad Claudiani Consul. Mallii vers. 203 (a Gesnero omissas). *Ruhk.*

3. *Sardinia brevior.* Sardinia insula est Interni maris, Corsicæ contigua, a qua eam freti exigui cui nomen Taphros (id est *fossa*) undæ separant. Longior latiorque paulo quam Corsica est. — *Ἴλοα.* Ita recte emendavit Scaliger, quum codices Salm. et Voss. haberent: *porrectior illa.* Hanc lectionem ex inscitia librarii manasse apparet, qui insulam Ilvam ignoraret. Rectius autem esse *porrectior*, i. e. extensior, longior, quam *projectior*, notavit Burm. ad Anthol. lat. lib. I, Epigr. CLVII. — Ilva est parvula insula adjacens Tusciæ in conspectu Populoniæ. Græci vocabant Æthaliam. Hodie nuncupatur *Elbe*, omnibus in æternum nobilis ob clarissimum exsulem. Conf. Rutil. Itiner. I, 351: « chalybum memorabilis Ilva metallis, Qua nil uberius Norica gleba tulit; Non Biturix largo potior strictura camino; Nec quæ Sardoo cespite massa fluit, etc. » ubi vid. Poet. Lat. min. Wernsdorf. V, 1, p. 131. (Nostræ Editionis, Vol. IV, p. 127). Cæterum ridicule porrectiorem Ilva Corsicam esse monet. Nam tanta est longitudinis latitudinisque differentia, ut comparare illas nemini nunc in mentem veniat. Sed Senecæ temporibus multarum regionum ignotæ figuræ erant, neque tabulæ geographicæ, alioqui raræ, veram terræ formam exhibebant.

4. *Piscosis... fluminibus.* Supra triginta flumina tabulæ geographicæ in ea asserunt: sed parva sunt et torrentes a montibus ruentes nive liquescente pluviisque ingruentibus. Alio itaque tempore, e. c. æstate, ne haustum quidem aquæ (de quo queritur in Epigr. seq. vers. 7) reperire licet. Seneca in Consolatione ad Helviam, cap. IX, 2 consentit: « non magnis et navigabilibus fluminum alveis irrigatur. » *Ruhk.*

5. *Corsica terribilis*, etc. Hæc descriptio a recentioribus etiam confirmatur. Gravitatem ideo cæli insulæ tribuit Seneca in Consolat. ad Helv. VIII, 1, atque aridum et spinosum saxum vocat. *Ruhk.* — Hæc verba de æstu sideris, hominem exurente in Corsica, præparant acumen quod versu ultimo sequitur: *vivorum cineri sit*, etc.

6. *Canis.* Canicula, Procyon, quod sidus quum in cælo apparet, calidissima est tempestas; unde sæpissime apud poetas pro calidissima tempestate per metonymian usurpatur.

Digitized by Google

Parce relegatis, hoc est, jam parce sepultis :
Vivorum cineri sit tua terra levis !

II.

DE EADEM.

Barbara præruptis inclusa est Corsica saxis,
Horrida, desertis undique vasta locis.

7. *Sepultis*. Sic cod. Voss. præferente etiam Lipsio ad Senec. Consol. ad Helv. 1, 3 et Jo. Schulting. ad Suasor. III p. 34 : quid quod idem fere hemistichium occurrit apud Virgil. Æn. III, 41 : « Quid miserum, Ænea, laceras? jam parce sepulto, etc. » Nec dubito, quin Seneca eo respexerit. Pithœus tamen ex vetere, ut ait, codice edidit : *jam parce solutis*, probante Burm. cum Wernsdorf. ad h. l. Sed enim, etsi haud negem, quod Burmann. bene docuit, tum *solvi* et *solutum esse* de mortuis dici, tum *sepultus* et *solutus* in codd. mss. sæpe confundi, tamen τὸ *sepultis* glossema τοῦ *solutis* esse h. l. Burmanno non concedam, quum imitatio loci Virgil. laudati manifesta sit, nec verbum exquisitum alio et ipso exquisito interpretari glossatores soleant. Accedit, quod *sepultus* de exsule civiliter mortuo ac quasi sepulto in usu fuerit, ipso Burmanno docente. *Ruhk*.

8. *Vivorum cineri... levis*. Oxymorum est. Vivunt quidem exsules, sed quum civiliter sint mortui, cinis non inepte locum habet, adeoque et acclamatio illa sollemnis et vulgaris in funere amicorum, quæ in tali re sæpe occurrit : *sit tua terra levis*, e. c. Tibull. II, 4, 50. Euripid. Alc. 462. Meleager in Antholog. græc. (Anal. Brunckii To. I, p. 35, CXXII, 7) λάβοι νύ σε βῶλος ἐλαφρὴ, etc. sicut inimicis et improbis contra precabantur, ut terra sit gravis, e. c. Callimach. Epigram. XXVIII, 3 (LXI p. 475 Anal. Brunck. To. I). Wernsdorf. ad h. l. laudat Eleg. in obit. Mæcenatis vers. 141 et Martial. lib. V, Epig. XXXIV, vs. 9. *Ruhk*.—Idem Mart. in ambiguitate verborum jocatus, hanc formulam sumit ut anui cuidam imprecetur, lib. IX, Epigr. XXX, fin. : « Sit tibi terra levis... Ne tua non possint eruere ossa canes. »

II. Burmannus recensuit in Anthol. Vet. Lat. To. I, lib. III, Epig. XIII, p. 465. Wernsdorfius in Poet. Lat. Min. V, 3 p. 1369, sq. (Nostr. Edit. IV, 546). Querela exsulis de Corsicæ feritate. Nisi hæc, quæ de cæli inclementia et soli asperitate exponuntur, in spinosam, ubi exsul viveret, partem insulæ dicta putes, vereor, ut fidem mereantur. — Male codd. Salm. et Voss. hoc epigramma præcedenti continuant, quum hoc quædam habeat priori contraria. *Ruhk*.

1. *Barbara præruptis...saxis*. Seneca in Consolat. ad Helv. VI, 4, de Corsica simili modo loquitur : « Quid tam nudum inveniri potest, quid tam abruptum undique, quam hoc saxum? quid ad copias respicienti jejunius? quid ad homines immansuetius? quid ad ipsum loci situm horribilius? pleres tamen hic peregrini quam cives

Digitized by Google

Non poma Autumnus, segetes non educat Æstas :
Canaque Palladio munere Bruma caret :
Umbrarum nullo Ver est lætabile fetu,
Nullaque in infausto nascitur herba solo :
Non panis, non haustus aquæ, non ultimus ignis :
Hic sola hæc duo sunt, exsul, et exsilium.

consistunt. » — Quæ ultima verba (*plures... peregr. quam cio.*), addit Burmannus, illustrant finem hujus epigrammatis: *Hic sola hæc duo sunt, exsul et exsilium :* quo versu respici ad copiam exsulum in Corsica delitescentium oræ Pithœanæ editionis adscripserat Casaubonus. Quam diversa autem de hac insula prodiderint auctores, collegit Spanhem. ad Callimach. Hymn. in Del. 19, nec a nobis prætermissa ad Consol. Senecæ ad Helv. l. l. *Ruhk.*

3. *Non poma... Æstas.* Fere consona sunt, monente Wernsdorf. ad h. l. hæc Ovidii de Ponto 1, 3, 57 : « Non ager hic pomum, non dulces educat uvas : Non salices ripa, robora monte virent. »

4. *Canaque... caret.* Nec olivæ quæ Minervæ inventio sunt (cf. Spanhem. ad Callim. Hy. in Pal. 26), atque hieme leguntur, in hac insula crescunt. Wernsdorf. ad h. l. laudat et Virgil. Georg. II, 519 : « Venit hiems ; teritur Sicyonia bacca trapetis » : et Columell. XXII, 52 (non 50) qui olivitatem mediam, i. e. olivarum vindemiam mediam, esse initium Decembris monnit. *R.*—Canam vero brumam vocat, sive quod sæviente hieme omnia albescant (Horat. carm. lib. I, Od. IV : « Et prata canis albicant pruinis »), sive quod brumæ tempore annus videatur senescere, et pruinarum niviumque albedini canitiem senum maxime similem quisque judicet.

5. *Umbrarum.* Sic Pithœus. *Umbrorum* vitiose est in codice Voss. *Imbriferum* præstat cod. Salm. probante Burmanno : vernis enim imbribus fœcundari tellurem, ut umbras æstivas arboribus proferat : laudatque ideo Virgil. Georg. I, 313, ubi *ver imbriferum* occurrit. Quæ etsi per se quidem vera sint, tamen huic carmini, quod omni fœcunditate Corsicam carere prædicat, adversantur. A librario itaque indocto hanc codicis lectionem profectam esse nemo dubitaverit. *Umbras* autem pro ramis ac foliis arborum, et deinceps pro arboribus ipsis, inprimis frondosis dici, nemo, qui poetas legerit, ignorat, docteque a Burm. ad h. l. adstructum est exemplis. *Umbrarum fetu* haud dubie durum est, et sine exemplo Itaque parum abest quin credam, fuisse, *fructu*, i. usu. Præfero igitur cum Wernsdorf. ad h. l. *umbrarum*, nec nisi pro lusu ingenii emendationem Cannegieteri ad Aviani fab. 33 p. 184 habeo : « Hic florum nullo ver est lætabile fetu. » — *Umbrarum... fetu.* Ver nullas novas frondes, i. e. umbras, procreat. *Ruhk.*

7. *Ultimus ignis.* Bart. ad Claudian. p. 322 *non utilis ignis* legendum putavit, ut exprimat auctor ultimam egestatem et miserrimam exsulis, cui aqua et igni interdictum fuerat, calamitatem. Sed recte Burm. ad h. l. hunc conatum retudit : de igne enim rogi intelligendum esse docuit quem passim ignem ultimum

Digitized by Google

III.

QUERELA.

Occisi jugulum quisquis scrutaris, amice,
Tu miserum necdum me satis esse putas?
Desere confossum! victori vulnus iniquo
Mortiferum impressit mortua sæpe manus.

vel supremum vocari erudite docuit Burm. v. c. Lucan. VI, 358. Ovid. Amor. I, 15, 41, etc. — *Non haustus aquæ.* Cf. ad Epig. I, vs. 4 et quæ ibi notavimus.

III. Summis malis obrutus auctor, quem tamen exsulare carmen non declarat, rogat inimicum, ne se amplius vexet. Si de mortuo intelligamus hoc locuto ex sepulcro, carmen in hominem, qui famæ mortui detractum iret, directum intelligamus oportet. Nec inepte hoc fieri potest. Nam mortuos interdum a poetis fingi inimicos suos alloqui constat. Ut alios omittam, exemplo sit Epigramma ἀδέσποτον CCCCLVI (Anal. Brunck. To. III, p. 248) egregie ab amiciss. Jacobsio sanatum Animadv. III, 2 p. 132 de Ajace mortuo, qui Phrygem conviciis heroem proscindentem responso suo in fugam verteret: Αἴαντος παρὰ τύμβον ἀταρβήτοιο παραστὰς Φρὺξ ἐπέων λοιδορῆς ἦρχεν ἐπεσβολίης· Αἴας δ' οὐκέτ' ἔμμενεν· ὁ δ' ἀντιγέγωνεν ἔνερθε· Μίμνον· ὁ δ' οὐκέτ' ἔτλη ζωὸς ἀποφθίμενον. Bene tamen hoc carmen etiam a Seneca exsule, adeoque civiliter mortuo, ad invidum, qui convicia in hominem infelicissimum jaceret, scriptum haberi potest. Sic cepit Burmannus in Anthol. Vet. Lat. To. I, lib. III, Epig. CLI, p. 597 sq. cum titulo: *Senecæ Exsulis Querela in Invidum. Ruhk.*

1. *Occisi jugulum quisquis scrutaris amici.* Sic Heinsius, Scriverius, Francius et Tollius probante Burm. scribendum putaverunt. Sed illud *quisquis* non patitur, ut *amici* retineamus. Rescribendum itaque fuisset, *amice*, o bone. Codd. Voss. *Occisum jugulum quisquis scr. unus amicus.* Seq. versu corrigunt quoque *Et miserum*, etc. Sed hoc versu τὸ *Tu* tueor. — *Scrutaris* i. e. lacessis. Hæc enim excutiendi et motitandi prima verbi, a χρούω forsan derivati, vis est, unde manavit altera nunc suetior quærendi. Hinc Lucret. VI, 809: « Terrai penitus scrutantes abdita ferro.» Horat. Serm. lib. II, Sat. III, 276: « Adde cruorem Stultitiæ, atque ignem gladio scrutare. » *Ruhk.*

3. *Desere confossum*, i. e. si de exsule capias, durissime jam a fato tractatum, pessime habitum. Tropice enim hoc verbo usos esse veteres multa exempla docent. Sic Seneca de Vita beata c. 27, 6: « Mala quæ vos ab omni parte confodiunt. » *Ruhk.*

4. *Impressit. At pressit* præstitit cod. Voss. a prima manu. — *Mortuo manus* offendit Oudendorpium, ut nimis dure dictum pro *moriens.* Itaque correxit: *sæpe manus moriens.* Sed quum *mortuus* interdum sit quasi

Digitized by Google

IV.

ITEM.

Quisquis es (et nomen dicam? dolor omnia cogit),
Qui nostrum cinerem nunc, inimice, premis:
Et non contentus tantis, subitisque ruinis,
Stringis in exstinctum tela cruenta caput.
Crede mihi, vires aliquas Natura sepulcris 5

mortuus, pro mortuo habitus, et mortuus concidat, qui tamen vivit, vulgatam servo: et si vel maxime vitæ sensu careat, tamen v. c. gladium telumve mortiferum teneat, quo victor temere irruens interfici potest. Quare non opus est, ut, quod amico placuit, Ænigma 34 in Brunckii Anal. III p. 326, de Nesso Centauro post mortem Herculem veste venenata interficiente, Κανθεὶς τὸν κείνατα κατάκτανον, etc. in partes vocemus. *Sæpe* autem est interdum. *Ruhk.* — Quod ad sensum attinet, patet satis per se; et aliis ac multis expressus est; nulli tamen melius quam Æschylo, in Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, Act. V, ubi:

Ἀντιγόνη.
Πεισθεὶς ἔπαισας.
Ἱ σμήνη.
Σὺ δ' ἔθανες κατακτανών.
Ἀντιγόνη.
Δορὶ δ' ἔκτανες.
Ἱ σμήνη.
Δορὶ δ' ἔθανες.
Ἀντιγόνη.
Μελέπονος.
Ἱ σμήνη.
Μελεοπαθής.

IV. Recensuit Burmann. In Anthologia Vet. Lat. To. I, lib. III, Epig. CLIII, p. 599 sq. *De Custodia sepulcrali* inscribitur in veteri codice Vossii et schedis mss. Scaligeri. Querela et minæ in invidum, qui ne exstinctum quidem malis et conviciis afficere, quin adeo affligere desistat. Plerique ab exsule Seneca scriptum esse putant: carmen ipsum a mortuo profectum indicat. Cf. quæ ad carmen antecedens monui. *Ruhk.*

1. *Et nomen dicam?* Burmann. conjecit: *an nomen dicam?* vel potius sine interrogandi nota, *Quisquis es, en nomen dicam*, ut minetur, se nomen ejus non taciturum, quod suadent sequentia *dolor omnia cogit*, ut in Epig. in Lucian. lib. II, Epig. CCXLVI, p. 436 Anthol. Lat. « Nunc læde, nunc lacesse, si quidquam vales: Et nomen adscribo tuum, etc. » ubi Burm. judice etiam *ut* legendum est. Quæ bona quidem sunt, sed haudquaquam vulgata meliora. Nam sensus est: an nomen quoque tuum dicam? nam dolor, etc. *R.*

2. *Qui... premis*, i. e. vexas: idem fere quod mox sequitur: « noli mea tangere fata. » *Ruhk.*

5. *Vires... sepulcris.* Burmann. in Add. monuit, Jo. Schraderum emendasse *sepultis*, quia sequatur umbra. Sed eo ipso etiam vulgata lectio bene defenditur. — *Crede mihi... sepulcris...suos.* Spectant hæc ad antiquissimam hominum ut Græc. et Roman ita fere omnium, persuasionem de

Digitized by Google

Attribuit : tumulos vindicat umbra suos.
Ipsos crede Deos hoc nunc tibi dicere, Livor,
Hoc tibi nunc Manes dicere crede meos :
Res est sacra miser. Noli mea tangere fata.
10 Sacrilegæ bustis abstinuere manus.

V.

ITEM.

Carmina mortifero tua sunt suffusa veneno,

religione sepulcrorum : qua jam primis temporibus instituta nihil sanctius fuisse constat. Cf. Cicero de Legg. II, 26. Tusc. Disp. I, 12, ubi cf. Davis.—Similiter Hor. Carm. lib. I, Od. XXXVII : « Negligis immeritis nocituram Postmodo te natis fraudem committere : forsan Debita jura vicesque superbas Te maneant ipsum : precibus non linquar inultis. »

7. *Ipsos... meos*. Simile rursus illud Martialis lib. IX, Epigram. XLII : « Ipsam crede tibi naturam dicere rerum » adeo ut alterius imitatio videatur. Ut autem hic manes non violandos obtestatur, ita in epitaphio veteri apud Pithœum lib. III, p. 108 : « Nam duræ mortis sacratos lædere manes Parce, monent leges et levis umbra loci : » ut versus corruptissimos legendos esse putamus. *Ruhk.*

9. *Res est sacra miser*. In ms. cod. Voss. et schedis Scalig. erat, notante Burm. *Res est atra miser*, quod tamen ferri nequit : nam etsi dies atri i. e. nefasti vocentur, tamen res atra pro sacrosancta in usu non fuit. Recte itaque Scaligeri Scriveriique emendationem, quæ jam apud Pithœum legitur, Gronovius aliique in textum recipere non dubitarunt. — *Res est sacra...manus*. Burmannus de relegato et commerciis hominum exempto, tanquam de mortuo et sepulto, ut supra Epig. I, III, exponendos hos versus judicat : quod haud dubie vero simile est, si a Seneca hæc profecta esse concedamus. Cæterum, si ad vivum hæc resecare institueris, sponsione defendi veritas non potest : refutant enim quum ol τυμβωρύχοι, quos spoliatores mortuorum, bustis fodiendo apertis, ornamenta sepulcralia furatos esse (Chariton. III, 2, 9 p. 59 et 63, ed. Lips. cf. Hesych. h. v.) inter omnes constat, tum ipsæ leges de sepulcris violatis agentes adhuc in Corp. Just. superstites. Laudant Tac. Ann. II, 69. Phædri fab. I, 27, etc. *R.*

V. Recensuit Burmannus in Anthol. Vet. Lat. To. I. lib. III. Epigr. CLIV, p. 600 sq., cum titulo : *Querela in eum, qui maligne jocatur*. In vet. cod. Voss. et schedis Scaligeri titulus tantum est : *In eum, qui maligne jocatur*. Exstat ap. Pithœum p. 44, et ap. Scaliger. p. 199. Minatur maligne jocanti, a quo nemo tutus sit, vindictam et aliorum poetarum et suam, nisi a carminibus malignis pangendis desistat. Cæterum neque de auctore, neque de eo in quem factum sit poemation, quicquam constat, nisi quod codd. Senecæ adscribunt. *Ruhk.*

1. *Mortifero... suffusa veneno*. Ut

Digitized by Google

Et sunt carminibus pectora nigra magis.
Nemo tuos fugit, non vir, non femina, dentes;
Haud puer, haud ætas undique tuta senis.
Utque furens totas immittit saxa per urbes: 5
In populum sic tu verba maligna jacis.
Sed solet insanos populus compescere sanus:
Et repetunt motum saxa remissa caput.
In te nunc stringit nullus non carmina vates,

lingua Invidiæ ap. Ovid. Met. II, 777 est suffusa i. repleta veneno; sic noster vocat hæc carmina, quæ Ovidius in Ibin 4, sanguinolenta, 234, verba canina, et Trist. II, 566 jocum venenatum appellavit. Jam quum venenum serpentibus sit proprium, quorum *dentes* emittere illud solere constat, hinc bene *dentes* versu 3 posuisse dicendus est. Alio sensu occurrit dens invidus ap. Horat. Carm. II, 2, 16, V, 6, 15, quatenus detrahit alterius laudi, deterit ejus merita, ut verbis Mitscherlichii ad h. l. utar. *Ruhk.*

2. *Et sunt carminibus.* Ita cod. Voss. et schedæ Scaligeri, Pithœus et Scriverius, probantibus Lipsio, Burmanno aliisque. *Criminibus* operarum errore in Voss. et Scalig. edd. exstat. *Sunt tua carminibus* emendavit Heinsius. *Sed sunt carminibus* Burmann. *At sunt carm.* Francius. *At sunt carminibus pectora tetra magis* Oudendorp. Lindenbrog. em. *malis.—Et sunt carminibus... magis.* Neque solum carmina tua maligna sunt, sed tu ipse gaudes malis, quorum causa convicia tua sunt. *R.*

3. *Nemo tuos fugit* (pro *effugit*). Sic Heins. Franc. et Burm. Sed *fugiet* cod. Voss. et schedæ Scalig. non, ut Pithœus, *fugiat*: illud magis consentaneum est τῷ *jacis* versu 6.

4. *Haud...haud. Aut puer, aut ætas* habet cod. Voss. et schedæ Scal. sollenni τῶν *haud* et *aut* commutatione librariorum. Sed *haud... haud* præstat. *Ruhk.*

5. *Urbes.* Scaliger, Pithœus et Scriverius, non ut postea Gronovius, quem sequimur, post *urbes*, sed post *populum* distinxerunt. Recte observat Burmann. ad h. l. augeri ita invidiam, quod non tantum in se, sed in omnem populum maligne eum jocari dicat. Sic paullo ante: *Nemo tuos fugiet* etc.

8. *Motum.* Pithœus em. *votum* i. e. devotum, diris exsecratum. Ovidius in Ibin 470. Sed recte Heinsius Burmannusque vulgatum tuentur, *motum*, i. e. furibundum hominem. Miror tamen nemini placuisse, immo succurrisse *notum.* — *Et repetunt... caput.* Motum caput est, recte interpretante Burmanno, insanum, furibundum, ut numine divino agitati *moti* dicuntur. Glossarium Leidensis Bibliotheces ineditum: *Limphatus*, mente motus, furiosus. Seneca de Tranq. An. 15, 16, ait: « non potest grande aliquid et supra cæteros loqui nisi mota mens.» Sic *mota mens* pro alienata, furiosa est Ovid., Trist. V, 6, 24, Senec. Consolat. ad Polyb. 37, 5, etc. *Ruhk.*

9. *In te nunc stringit*, jacit, præ-

Digitized by Google

10 Inque tuam rabiem publica Musa furit.
Dum sua compositus nondum bene concutit arma
Miles, it e nostra lancea torta manu.
Bellus homo valide capitalia carmina ludis :
Deque tuis manant atra venena jocis.
15 Sed tu perque jocum dicis vinumque. Quid ad rem,
Si plorem, risus si tuus ista facit?

parat pangitque. Stringere gladium, ensem, tela, i. e. vibrare in hostem proprie dici constat. Jam quum carmina cum telis, ideoque poeta cum milite, comparentur, tropus facilis est, quo iambus apud Ovid. Remed. Amoris 377 et carmina h. l. stringuntur. Omnes, ait, poetæ accinguntur ad carmina tua maligna liberis suis iambis refutanda : equidem tantisper, dum illi hac in re toti sunt, hoc in te carmen pango. *Ruhk.*

11. *Dum sua compositus* etc. Aliud epigramma et a præcedentibus separandum esse censebat Lipsius, quem sequutus est Scriver. et Gronov. in Ed. Tragici Senecæ, sed conjunxit in ed. philosophi. Sic et cod. Voss. et schedæ Scal. connectunt, *it e* Burm. recte legit ; olim *et e.* — *Compositus* est oppositus, adversarius. *Componi* enim ut *comparari*, de iis, præsertim de gladiatoribus, qui secum pugnaturi sunt, dici vel e Cicerone constat. — *Miles... concutit*, movet, tractat. Sic Ovid., Metam. XII, 79, « concutiens tela. »

13. *Bellus homo valide*, etc. Alii *Bellus homo et val. cap. crim.* Heinsius delebat τὸ *et*, quem sequutus sum ; *ludit* cod. Voss. et sched. Scalig. Pro *crimina* scribendum cum Scriverio *carmina*, ut paullo ante, versu 2, Burmanno judice, qui sequenti versu *tetra venena* cum Francio prætulerit, non *atra*, coll. Broukhus. ad Propert. II, 13, 70, *Sumere et in nostras tetra venena manus*, non *trita*. Sed nostro loco non opus est emendatione.—*Bellus... sales.* Facetiosus es homo, ideoque carmina maxime maligna facis, parum cogitans de lacrimis quas nobis exprimis, dummodo risum excites audientibus legentibusve. Sed quum in hoc jocus non consistat, malignum esse, ideo tolle jocos tuos tantas molestias atque tot mala creantes, etc. *Bellus* est is qui jocis dicacibus atque amaris in alios jactis risum assensumque captat ; quare venustus et dicax vocatur Catullo, XXII : alio sensu capit et sic definit Martial. lib. III, Epigr. LXIII. « Bellus homo est flexos qui digerit ordine crines, Balsama qui semper, cinnama semper olet, Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat, Qui movet in varios brachia vulsa modos ; Inter fœmineas tota qui luce cathedras Desidet, atque aliqua semper in aure sonat ; Qui legit hinc illinc missas scribitque tabellas, Pallia vicini qui refugit cubiti, Qui scit quam quis amet, qui per convivia currit, Hirpini veteres qui bene novit avos. Quid narras? hoc est, hoc est homo, Cotile, bellus ! Res prætricosa est, Cotile, bellus homo. »

15. *Sed tu... ista facit?* Ita in ed. Pith., Scalig. ac Scriv. ; et ipse Scaliger in margine correxerat. *Sed tu per** totum*, sched. Scal. et cod. Voss.

Digitized by Google

Quare tolle jocos : non est jocus, esse malignum.
Nunquam sunt grati, qui nocuere sales.

VI.

AD AMICUM.

Crispe, meæ vires, lassarumque ancora rerum,
Crispe vel antiquo conspiciende foro ;
Crispe potens nunquam, nisi quum prodesse volebas,

dabant. Scaliger correxerat quoque vers. seq. *quum plorem*. Heinsius : *ut plorem*, probante Burmanno. Sed *iste*, ait Burm. etiam malim pro *ista*. *Ut plorem*, *risus si tuus iste facit*, si tuus iste risus malignus efficit, ut plorem. Certe *si* sic bis ponitur non admodum venuste. Burm. qui etiam e schedis Scalig. majorem distinctionem posuit post *vinumque*, parum abest quin legendum censeat : *quid ad me?* Catulli X, 31 : « Verum utrum illius, an mei, quid ad me? » comparans. *Ruhk*.

17. *Tolle jocos : non est jocus, esse malignum*. Sic recte editum est. Vitiose affert *D'Orléans* ad Tacit. p. 513 : « Quare tolle jocos, non est jocus, esse malignus. » *Tolle jocos* cod. Voss. et schedæ Scalig. et vers. ult. *grates*, unde in margine *grati* vel *gratis* correxerat. *Burm*.

VI. Recensuit Burmannus in Antholog. Vet. Lat. To. I, lib. III, Epigr. CLVII, p. 598 sq., cum titulo : *Ejusdem ad amicum Crispum*. In codice Voss. et sched. mss. Scalig. titulus est : *Ad amicum optimum*. Quis ille Crispus sit, quem auctor carminis alloquitur, ad liquidum perduci nequit, quia de auctore hujus epigrammatis, ideoque de tempore quo scriptum sit, nondum liquet. Exsulem fuisse e carmine colligimus. Si schedas Pithœi sequamur Senecæ epigramma hoc tribuentes, Crispum Passienum oratorem celebrem, Agrippinæ maritum et Neronis vitricum, intelligere licet, cujus quidem Seneca de Benef., I, cap. ult. et Quæst. nat. IV init. meminit, sed sine ulla singularis amoris nota. Cf. de hoc Crispo Passieno Lipsii Excurs. A. ad Tacit. Annal. XII, 6, Opp. To. II, P. II, p. 810, sq. ed. Oberlin. *Ruhk*.

1. *Crispe, meæ vires*. Imitatio Virgilii, qui, Æn. lib. I, v. 668 : « Nate, meæ vires, mea magna potentia. »

2. *Crispe vel antiquo... foro*. H. e. quem etiam inter veteres oratores fama illustravisset. Nam hoc tempore jam minor ac minor in dies eloquentia obsolescebat sensim, neque par quisquam aut Tullio, aut Hortensio, Crasso, Antonio et Cæsarei ævi disertis viris.

3. *Crispe... volebas*. Ita in cod. Voss. et schedis Scalig., at *solebas* Heinsius. *Burm.—Crispe... volebas*. Idem de se moriturus Pericles dixisse narratur, quum amicis sciscitantibus quid in sua vita gloriosissimum arbitraretur respondit : « Quod pluribus profuerim, neminis sanguinem profuderim. » Idem de Livia dici apud Vel-

Digitized by Google

Naufragio littus tutaque terra meo;
5 Solus honor nobis, arx et tutissima nobis,
Et nunc afflicto sola quies animo;
Crispe, fides dulcis, placidique acerrima virtus,
Cujus Cecropio pectora melle madent;

leium Patercul. notaverat Casaubonus, respiciens sine dubio illa ex libr. II, c. 130, in fine: « cujus potentiam nemo sensit, nisi aut levatione periculi, aut accessione dignitatis. » Albinovan. de eadem in Epicedio ad Liviam, vers. 47: « Nec nocuisse ulli, et fortunam habuisse nocendi, Nec quemquam nervos extimuisse tuos. » Auctor Elegiæ in obitum Mæcen. vs. 15: « Omnia quum posses, tanto tam carus amico, Te sensit nemo velle nocere tamen. » Burmannus ad h. l. et in Addendis. Ruhnken. ad Vellei. Pat. l. l. similem attulit locum e Senecæ Consolat. ad Polyb. XXII, 3: « Nemo potentiam ejus injuria sensit, numquam ille te fratrem ulli minatus est. » *R.*

5. *Solus... nobis.* Sic Pith., schedæ mss. atque editio Scalig.: *a nobis arx et tutissima*, cod. Vossii: *arx munitissima nobis* conjecerat Heinsius. *Burm.*

7. *Crispe.. placidique acerrima virtus.* Versum hunc corruptum suspicans Burmannus legendum putat: *Latiique acerrime vindex, Cujus Cecropio pectora melle madent.* Sed locus non emendatione, sed interpretatione indiget: sensus vero hic est: in te ille, qui placidam vitam degere velit, neminemque lædat, spem suam secure collocare atque virtuti tuæ oratoriæ, qua contra quemcumque defendatur, committere se suaque omnia potest. Si abstractâ in concreta, quæ dicunt, hæc sic mutaveris, sensus bene procedit, nec ulla causa subest pro corrupto hunc locum habendi cum Burmanno. *Ruhk.*

8. *Cujus Cecropio... madent.* Atticam et eam suavissimam, qua *madebat* i. abundabat, eloquentiam ei tribuit, respiciens haud dubie ad Demosthenem. Sic in Petronii Epigr. (Anthol. vet. Lat. To. I, CXXVIII)... « et ingentis quatiat Demosthenis arma, etc. » Quum perbibere quis liberalia studia (Senecæ Epist. XXXVI, 4) diceretur et *madere* de iis, qui vino largius se invitaverant, in usu esset, facilis erat transitus, quo tamen græca vox unde *madeo* derivatur, μαδάω caruit, ad usum tropicum, ut alicujus pectus *maderet*, i. e. repletum esset, abundaret litteris, artibus, sermonibus, *melle Cecropio*, i. e. eloquentia attica (*mel* enim, cum respectu fortasse ad Hom. II, α, 49, de eloquentia imprimis sollenne fuit): sic Martial., lib. I, Epigr. XL, 3, Decianus vocatur: « Cecropiæ madidus Latiæque Minervæ artibus. » Idem, lib. VII, Epigr. LXIX. de Theophila: « Hæc est illa tibi promissa Theophila, Cani, Cujus Cecropio pectora rore madent. » Quem locum e nostro loco haustum putat Burm. ad h. l. Non abest Lucretius, qui de Rer. Nat., libr. IV: « Scilicet arte madent simulacra. » Neque Horatius, Carm., lib. III, od. XXI, v. 9, 10: « Non ille, quamquam Socraticis madet Sermonibus. » De istius vocis usu cf. Burmann. ad Antholog. lib. II, Epigram. CCXLIII, 2, To. I, Anthol. Vet. Lat. et Mitscherlich. ad Horat., Carm. III, 21, 9. *Ruhk.*

Digitized by Google

Maxima facundo vel avo, vel gloria patri;
Quo solo careat si quis, in exsilio est : 10
An tua, qui jaceo saxis telluris adhærens,
Mens mecum est, nulla quæ cohibetur humo?

VII.

DE QUALITATE TEMPORIS.

Omnia tempus edax depascitur, omnia carpit,
Omnia sede movet, nil sinit esse diu.

9. *Maxima..... patri.* At *facundi* erat in cod. Voss. : in sched. Scalig. mss. legitur cum lacuna : *vel avi* ** *gloria*; sed, in margine, *vel avo vel gloria patri* correxerat Scaliger. — *Maxima..... patri.* De Passieno certum est, patrem habuisse etiam oratorem; vid. lib. II, Controv. 5 : « De avo nihil scio. » De Sallustio capiendum inscripserat N. Heinsius, notante Burmanno. *Ruhk.*

10. *Quo solo careat si quis, in exsilio est.* Ita recte distinxerunt Pithœus, Scaliger, Scriverius, Gronovius post Senecam Tragicum, et editio Lipsii ac Morelliana Senecæ philos. sed in Gronov. utraque editione perperam distinguitur : *Quo solo careat, si... est. Burm.*

11. *An tua, qui jaceo saxis telluris adhærens, Mens mecum est, nulla* etc. Sic refinxi e codd. vestigiis. Codex enim Voss. præstitit : *An tu, qui jaceo.* Schedæ mss. Scalig. : *An tu, cui jaceo.* In margine correxerat Scaliger : *An tua.* Pithœus edidit : *En hic qui jaceo.* Quia tamen Senecam exsulem in Corsica hujus epigrammatis auctorem esse putabant viri docti, *telluris*que vocem, nullo epitheto adjecto, languere, Scaliger et Scriverius legendum censuerunt : *An tua Cyrneæ saxis.* Faber : *At quia Cyrneæ.* Burmannus : *At mea Cyrneæ saxis..... Mens tecum est*, uti quoque Gronov. in Senecæ philosophi opp. edidit, qui tamen post Tragicum vitiose exhibuit : *An tua, Cyrneæ... Mens tecum est.* Enimvero cur codices, qui bonum sensum fundunt, deseramus, nulla causa subest. *Tellus* autem apud poetas, e. c. Virg. Æn. III, 73, VIII, 422, simpliciter insula est. — *An tua, qui jaceo saxis... Mens mecum est... humo.* Rogat et exquirit poeta, an Crispus etiam sui memor sit, et an ejus animus, qui nullis terrarum angustiis cohiberi vel retineri possit, non secum sit jam in insula exsulante. *Ruhk.*

VII. Recensuit Burmannus in Anthol. Vet. Lat. To. I, lib. III, Epigr. XCV, p. 550, sq. cum titulo : *Senecæ de qualitate temporis. Ruhk.*

1. *Omnia... depascitur.* Idem fere apud Nemesian., Eclog. IV, 32 (in VVernsdorf. Poet. Lat. min., To. II, p. 210) : « Omnia tempus alit, tempus rapit, usus in arcto est. » Simillimus et huic et Senecæ Nostras *Rousseau* (*J.-B.*) in Carm., lib. III, Od. II.

Le tems, cette image mobile
De l'immobile éternité,

Digitized by Google

Flumina deficiunt, profugum mare littora siccat,
Subsidunt montes, et juga celsa ruunt.
5 Quid tam parva loquor? moles pulcherrima cæli
Ardebit flammis tota repente suis.
Omnia mors poscit. Lex est, non pœna, perire.
Hic aliquo mundus tempore nullus erit.

VIII.

VOTUM.

Sic mihi sit frater majorque minorque superstes,

A peine du sein des ténèbres
Fait éclore les faits célèbres,
Qu'il les replonge dans la nuit.
Auteur de tout ce qui doit être,
Il détruit tout ce qu'il fait naître,
A mesure qu'il le produit.

3. *Profugum... siccat.* Heinsius legendum censuit: *siccant. Ruhk.*

4. *Subsidunt montes* etc. Ita Stilicon apud Claudian. Bell. Get. 526: « Quum cesserit omnis Obsequiis natura meis; subsidere nostris Sub pedibus montes, arescere vidimus amnes. » *Ruhk.*

5. 6. *Moles... repente suis.* Cogitabat auctor illud Ovidii lib. I, Metam. 258: « Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus, Quo mare, quo tellus correptaque regia cæli Ardeat, et mundi moles operosa laboret », ubi vide Heinsii notas. Locum classicum exscripsimus e Lucan., Pharsal., lib. I, v. 72: « Sic quum compage soluta Sæcula tot mundi suprema coegerit hora, etc. » Tragicus, Thyest., act. IV, sc. ult.: « Trepidant, trepidant pectora magno Perculsa metu, ne fatali Cuncta ruina quassata labent. Iterumque Deos hominesque premat Deforme chaos; iterum terras Et mare, et ignes et vaga picti sidera mundi Natura tegat. Non æternæ facis exortu Dux astrorum, sæcula ducens, Dabit æstatis brumæque notas, etc. » Albinovan., Eleg. ad Liv., vers. 365: « Omnia sub leges mors vocat atra suas. Ecce necem intentam cælo terræque fretoque, Casurumque triplex vaticinatur opus. »

7. *Lex est... perire.* Seneca in Consol. ad Helv., XIII, 2: « Si ultimum diem non quasi pœnam, sed quasi naturæ legem, aspicis, etc. » *Ruhk.*

VIII. Recensuit Burmannus in Antholog. Vet. Lat., To. I, lib. III, Epigr. CLV, p. 603, sub titulo: *Senecæ Votum.* Sub Senecæ nomine etiam apud Pith., lib. I, p. 41, et Scalig., p. 212 *De Patris filio parvulo*, inscribitur in veteri codice Voss. et schedis mss. Scaligeri. In fine astericis appositis nonnulla deesse adscripserat Heinsius, et mancum Epigrammatium votumque imperfectum esse notavit Lipsius; simile illud Ovidii, lib. II, ex Ponto, 6, 15: « Idque facis, faciasque precor, sic mater et uxor, Sic tibi sint fratres, totaque salva domus. » *Ruhk.*

1. *Sic mihi... superstes.* Major est M. Annæus Novatus, postea dictus

Digitized by Google

Et de me doleant nil, nisi morte mea.
Sic illos vincam, sic vincar rursus amando:
Mutuus inter nos sic bene certet amor.
Sic dulci Marcus qui nunc sermone fritinnit, 5
Facundo patruos provocet ore duos.

IX.

AD CORDUBAM.

Corduba, solve comas, et tristes indue vultus:

Junius Gallio, ad quem scripsit libros de Ira et de Brevitate vitæ, minor vero Annæus Mela. *Ruhk.*

2. *Et de me doleant.* Burmannus cum Heinsio sic scribendum censuerunt, quos sequendos duxi. Olim: *doleat. Ruhk.*

3. *Sic vincar... amando.* Scilicet ab illis.

4. *Mutuus inter nos... certet amor.* Similiter Tibull. Eleg. 1, 7, 82: « Mutuus absenti te mihi servet amor. » *Ruhk.*

5. *Sic dulci Marcus* etc. *Sic Marcus, dulci* etc. editur post Senecam Tragic. Gronovii.—*Si Marcus.* Lipsius recte intellexit L. Annæi Senecæ Philosophi filium, Marcum, puerum blandissimum, quem ita describit in Consolat. ad Helv., XVI, 13. Burmannus tamen hoc versu per Marcum potius cum Heinsio intelligendum opinatur Lucanum, Junii Annæi Gallionis et L. Annæi Senecæ ex fratre eorum Annæo Mela nepotem, ideoque per patruos Gallionem et Senecam: cui quidem opinioni Statium in Genethliaco Lucani lib. II, Silv. 7, 30, et Sidonium Apollinarem, Carm. IX, 230, aliosque favere putat. Sed simplicior et verior est Lipsii ratio.—*Fritinnit* proprium esse avium parvarum, inprimis hirundinum, et deinde translatum esse ad infantes garrientes nugantesque, nunc notum est. Digna tamen docta Burmanni nota de hoc verbo ad h. l., quæ perpendatur. *Ruhk.*

IX. Recensuit Burmannus in Anthol. Vet. Lat. To. I, lib. III, Epigr. XI, p. 463 sq. Sub *Senecæ* titulo, addit *Burmannus*, tria ista epigrammata (quæ hic leguntur sub numeros I, II, IX) ad Corsicam et Cordubam habentur apud Pithœum, lib. I, p. 42, et vulgatis Senecæ Philosophi editionibus vel præfiguntur, vel inter alia Epigrammata de exsilio scripta exstant ante Consolationem ad matrem ejus Helviam, ut et in fine Senecæ Tragici ex editione Gronoviana conspiciuntur. *De se ad Patriam* inscribit vetus Vossii codex et schedæ mss. Scaligeri, qui margini Senecæ nomen adscripserat, quanquam nullo auctoris nomine apposito ediderit lib. I, Catalect. p. 197, sed in notis Senecæ hæc tribuenda monuit. Repetiit *Wernsdorf.* in Poet. Lat. min. Ed. nost. T. IV, p. 543, cum docta illustratione. *Ruhk.*

1. *Corduba.* Urbs nobilissima Hispaniæ Bæticæ, quam Bætis amnis (*la Guadiana*) interfluit, de qua

Digitized by Google

Illacrimans cineri munera mitte meo.
Nunc longinqua tuum deplora, Corduba, vatem:
Corduba non alio tempore mœsta magis:
5 Tempore non illo, quo versis viribus orbis,
Incubuit belli tota ruina tibi;
Quum geminis oppressa malis utrimque peribas,
Et tibi Pompeius, Cæsar et hostis erat;

Martial. lib. IX, Epig. LXII: « In Tartessiacis domus est notissima terris, Qua dives placidum Corduba Bætin amat. » Illiturgis et Mellariæ propinqua. Hinc oriundi Senecæ et Lucanus. Unde idem Martial. lib. I, Epigr. LXII: « Duosque Senecas unicumque Lucanum Facunda loquitur Corduba. » — *Solve comas..... meo.* Luctum indicit Cordubæ patriæ suæ tanquam propter mortem suam. Effunde sine lege comas. Nam passis capillis in funebribus ceremoniis solebant plorare. Lucanus, Phars. lib. II, 38: « Nunc, ait, o miseræ, contundite pectora, matres, Nunc laniate comas. » Et Tragœdographus Latinus, in Troad., act. I, sc. 11, ubi omnia quæ ad luctum pertinent copiosissime describuntur: « Fidæ casus nostri comites, Solvite crinem; per colla fluant Mœsta capilli, tepido Trojæ pulvere turpes. » Mox: « Solvimus omnes Lacerum multo funere crinem; Coma demissa est libera nodo. » — *Tristes indue vultus. Cultus* placebat Heinsio. Sed illud exquisitius est. *Ruhk.*

2. *Illacrimans.* Idem Heinsius legebat: *I lacrimans* etc., ut frequenter amabat voculam illam reponere, de quo alibi. Sed hic nihil muto. *Illacrimari*, *adlacrimari*, *delacrimari* et similia verba ipse adserit in notis ad Virgil. X Æn., 528. *Burmann.* — *Illacrimans* etc. Lugubrem sume vestem vultumque, et mitte *munera* feralia, parentalia, inferias (τὰς χοὰς), i. e. florum serta, etc., cineri meo, in sepulcrum meum. Confer. Tacit. Hist. lib. II, 95; Suet. Caligula, cap. III, 15. Sed res nota est. *Ruhk.*

4. *Non alio tempore mœsta magis.* Nobis hæc et sequentia, quibus se auctor maximis laudibus extollit, probare videntur hoc Epigramma non ab ipso Seneca, sed ab aliquo declamatore sub ejus nomine scriptum fuisse.

5. *Tempore non illo.* At cod. Voss. et schedæ Scaligeri, ejusdemque et Pithœi editio, *Tempore non alio*: melius tamen *non illo* tam hic, quam paullo post, Pithœus, Scriverius et Heinsius, qui etiam legebat: *Quo versi viribus orbis. Burm.* — Recepi *non illo. Versis* tamen retinui. Utramque emendationem Heinsii probabat Wernsdorf., adducto Lucani Phars. lib. I, 5 versu: « Certatum totis concussi viribus orbis. » — *Tempore non illo... erat.* Spectant hæc ad bellum Jul. Cæsaris cum Pompeianis gestum in Hispania et finitum prælio ad Mundam a. U. c. 709. Hoc bello Hispaniensi Jul. Cæsar Cordubam oppugnavit, Sexto Pompeio eam præsidio tenente, multaque ipso hostiliter in Cordubenses faciente. Cf. Appian. Bell. civil. II, 104 sq., ubi *Schweighæuser* reliquos, qui hac de re egere, designavit. *Ruhk.*

Digitized by Google

Tempore non illo, quo ter tibi funera centum
Heu nox una dedit, quæ tibi summa fuit; 10
Non, Lusitanus quateret quum mœnia latro,
Figeret et portas lancea torta tuas.
Ille tuus quondam magnus, tua gloria, civis,
Infigar scopulo. Corduba, solve comas:

9. *Tempore non illo... fuit.* Credere par est cum Wernsdorfio ad h. l., funestam eam noctem ab aliis auctoribus non memoratam significari, quæ expugnationem Cordubæ præcessit, de qua videri possunt scriptt. laudati a Schwgh. Burm. hic fortasse imitationem esse putat Ovidii Ep. XI, v. 114: « Hæc tibi prima dies, hæc tibi summa fuit. » *Ruhk.*

10. *Heu nox... fuit. Vox* vitiose in cod. Voss. *Ruhk.*

11. *Non, Lusitanus... tuas.* Intelligitur Viriathus, Lusitanorum contra Romanos dux virque magnus, uti audit in Epitom. Liv. 54, ut qui ab a. U. c. 606 — 614, bellum feliciter gessit contra multos Romanos duces, nempe Vetilium, Plautium, Claudium Unimanum, L. Lælium, Q. Fabium Servilianum, Q. Servilium Cæpionem. Qui ultimus, quum desperavisset vincere vi adversarium, eum a servulo interficiendum curavit. Cf. Appiani Bell. Hisp. 62 sq., 75, et Fabric. ad Dion. Cass., To. I, p. 32 sq. Valer. Maxim., lib. VI, cap. 4, Sil. Ital. de Bell. P., lib. III, v. 354; Eutrop., lib. IV, cap. 15. Romani auctores, quin etiam Cic. de Off., II, 16, latronem latronumve ducem eum vocant, qui multos per annos, nam de annorum numero non convenit inter auctores (cf. Schwgh. ad Appian. Vol. III, p. 277), omnia, ut cum Florq, II, 17, 15, a *Wernsdorf.* laud. loquar, citra ultraque Iberum et Tagum igni ferroque populatus, Cordubam quoque infestare non dubitavit, præsertim quum Quintius (de quo cf. Schwgh. ad Appian. III, p. 282) Cordubæ inclusus C. Marcium in Viriathum interdum emitteret.

12. *Lancea.* Lanceam dicit, erudite notante Wernsdorf. quia de hispanicis hostibus sermo est, et lancea vocabulum hastæ hispaniensis. Vid. A. Gell. XV, 30. *Ruhk.*

13. *Ille tuus... civis.* Merito hæc suspecta videbantur Heinsio, qui tentabat *Marcus*, vel *magna et tibi gloria. Burmann.*— Sed quid jubet *Magnum* hic pro cognomento habere? *Magnus* Cordubæ civis vocatur Seneca, i. e. illustris, excellens, et fama celebratus. Atque hinc rectius vocabulum istud cum minuscula litera scribitur, ut Gronovius fecit. *Marcus* hic locum habere nequit, quia hic pater Seneca est, non auctor epigrammatis. *Wernsdorf.*

14. *Infigar scopulo.* I. e. in exsilium ejectus hærebo, apte monente Wernsdorfio, in asperrima et scopulosa insula, quæ, ut altero epigr. dicit, « præruptis inclusa est Corsica saxis.» Unum scopulum dicit per contemptum, quasi parvam et ignobilem insulam, qua indignus sit *magnus civis.* Phrasin *infigar scopulo* petiit a Virgilio, qui, Æn., lib. I, v. 45: « Turbine corripuit scopuloque infixit acuto. » Ubi cf. Heynius. Vide

Digitized by Google

15 Et gratare tibi, quod te Natura supremo
Alluit Oceano : tardius ista doles.

Senecæ Consol. ad Helv. VI, 4. *R.*

15. *Natura* est Deus, vis illa divina quæ elementorum ordinem disposuit, et suum cuique locum assignavit, quæ sunt verba Mitscherlichii amic. ad Horat. l. l. Cf. Senecæ Consolat. ad Helv., VIII, 4. Perperam cepit Wernsdorf. de hac universi machina, qua continetur, quicquid natura creavit, quam vocis vim, ut solitus erat vir egregius, erudite exposuit ad Rutil. Itin., I, 61, et Priscian. Perieg., vers. 1. *Ruhk.*

16. *Supremo alluit Oceano.* Hoc paulo laxius et per catachresin accipiendum est; nam Corduba, Bæticæ Hispaniæ urbs, non omnino alluitur Oceano, et mari Interiori aliquanto proprior quam isti censeri potest; sed apud veteres remotissimum mare Atlanticum habebatur, et pro quocumque distanti mari poetæ ponere solent Oceanum. Vide v. c. Horat. Carm. lib. I, od. III, v. 20: «Nequidquam Deus abscidit Prudens Oceano dissociabili Terras.»

Digitized by Google

CLARISSIMI VIRI *D. DIDEROT*

TESTIMONIUM

IN L. ANNÆI SENECÆ EPIGRAMMATA.

Sénèque avait de l'esprit, du génie, de l'imagination, de la verve; cependant ces petits ouvrages, écrits sans grâce et sans facilité, ne donneraient pas une haute idée de son talent: tous relatifs aux désagrémens de son exil, et pleins d'humeur, on n'y trouve ni un poète qui vous séduise, ni un malheureux qui vous touche, ni un philosophe qui vous instruise. Je crois qu'on peut s'en épargner la lecture et dans la traduction et dans l'original. Ce n'est pas au premier instant de la douleur qu'on parle bien: l'on sent trop fortement, et l'on ne pense pas assez. Les vers de Sénèque auraient été meilleurs quelques mois, quelques années peut-être après son retour de la Corse. Les plaintes ingénieuses d'Ovide à Tomes ne me feront pas changer d'avis. Il en est de l'esprit comme de la gaîté naturelle: on en a toujours, et on l'a quelquefois déplacée.

Digitized by Google

Digitized by Google

EX L. A. SENECÆ LIBRIS

EXCERPTA QUÆDAM

ET

EIDEM NONNULLA FALSO TRIBUTA.

Digitized by Google

Hæc excerpta libenter omisissem. Senecæ enim non esse, vel cæco perspicuum est. Sed veritus sum, ne quis ea, quælibet sunt, sublata quereretur. Et in eis tamen multa ex vetere libro emendavimus.

Digitized by Google

EX L. A. SENECÆ LIBRIS

EXCERPTA QUÆDAM

ET

EIDEM NONNULLA FALSO TRIBUTA.

I. DE PAUPERTATE LIBER.

Continens sententias e Senecæ scriptis concinnatas in morem centonis.

Honesta, inquit Epicurus, res est, paupertas læta. Illa vero jam paupertas non est, si læta est. Cui cum paupertate bene convenit, dives est. Non qui parum habet, sed qui plura cupit, pauper est. Quid enim refert, quantum illi in arca, quantum in horreis lateat, quantum pascat aut fœneret, si alieno imminet, si non acquisita, sed acquirenda concupiscit? Quis sit divitiarum modus, quæris? Primo, habere quod necesse est: secundo, quod satis est.

Nulli potest secura vita contingere, qui de producenda nimis cogitat. Nullum bonum juvat habentem, nisi ad cujus amissionem præparatus est animus. Magnæ divitiæ sunt, lege naturæ composita paupertas. Lex autem naturæ, scis quos terminos nobis statuit? Non esurire, non sitire, non algere. Uti famem sitimque depellas, non est necesse maria tentare, nec castra sequi. Parabile est

Digitized by Google

quod natura desiderat, et cito apponitur. Ad supervacua sudatur : illa sunt quæ togam terunt, quæ nos senescere cogunt, quæ in aliena littora impingunt. Ad manum est, quod satis est. Si cui sua non videntur amplissima, licet totius mundi dominus sit, miser est. Miser est, qui se beatissimum non judicat, licet toti mundo imperet. Non est beatus, qui se id non putat esse. Nihil habeamus, quod cum magno emolumento insidiantis eripi possit. Quam minimum in corpore tuo sit spoliorum. Nemo ad humanum sanguinem venit propter ipsum, vel admodum pauci. Nudum latro transmittit : etiam in obsessa via pauperi pax est. Is maxime divitiis fruitur, qui minime indiget. Si ad naturam vives, nunquam eris pauper: si ad opinionem, nunquam dives. Exiguum natura desiderat, immensum opinio. Si congeratur in te quidquid multi locupletes possederunt, si ultra privatum pecuniæ modum fortuna te provehat, auro tegat, purpura vestiat, eo deliciarum opumque perducat, ut terram marmoribus abscondas, non tantum liceat habere, sed calcare divitias; accedant statuæ et picturæ, et quidquid ars ulla luxuriæ auro et argento elaboravit; majora cupere ab his disces.

Desideria naturalia, finita sunt : ex falsa opinione nascentia, ubi desinant, non habent. Nullus enim terminus falso est. Veritati aliquid extremum est : error immensus est. Retrahe te ergo a vanis : et quum voles scire, an naturalem, an vanam habeas cupiditatem, considera num alicubi consistat. Si longe progresso semper aliquid longius restat, scito id naturale non esse. Paupertas expedita, secura est. Quum classicum cecinit, scit non se peti : quum aliquo conclamatum est, quomodo exeat, non quid efferat, quærit. At quum navigandum est, non stre-

Digitized by Google

pitu portus, non unius comitatu inquieta sunt littora. Non circumstat illum turba hominum, ad quos pascendos transmarinarum regionum optanda est fertilitas. Facile est pascere paucos ventres, et bene institutos, et nihil aliud desiderantes quam impleri. Parvo fames constat, magno fastidium. Paupertas contenta est desideriis instantibus satisfacere. Sanus dives est, qui licet habeat divitias, eas tamen ut fugientes habet. Quid ergo est, quare recuses eam contubernalem, cujus mores sanus dives imitatur? Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura. Frugalitas, paupertas voluntaria est. Perpessi sunt multoties exercitus inopiam omnium rerum, vixerunt herbarum radicibus, et dictu fœdam tulerunt famem; et hæc omnia perpessi sunt pro regno, quo magis mireris, alieno[1].

Dubitabit aliquis ferre paupertatem, ut animum a furoribus liberet? Multis, divitias parasse, non finis miseriarum fuit, sed mutatio. Nec hoc miror. Non in rebus vitium, sed in animo ipso est. Illud quod paupertatem gravem nobis fecerat, et divitias graves faciet. Quemadmodum nihil refert, utrum ægrum in lecto ligneo, an in aureo colloces; quocumque illum transtuleris, morbum suum secum transferet: sic nihil refert, utrum æger animus in divitiis, an in paupertate sit; malum suum illum sequitur. Ad securitatem non est opus fortuna. Quod enim necessitati sat est, dabit, licet irata. Ne imparatos nos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securius divites erimus, si sciemus quam non sit grave

1. Post hæc verba, in veteri libro Lugduni, apud Sulpit. Sapidum ann. D. 1543 edito leguntur notissimi hi duo versus: « Rebus in adversis facile est contemnere vitam; Fortius ille facit, qui miser esse potest. »

Digitized by Google

pauperes esse. Incipe cum paupertate habere contubernium.

> Aude, hospes, contemnere opes, et te quoque dignum
> Finge Deo.....

Nemo alius dignus Deo est, nisi qui opes contempsit. Quare possessiones tibi non interdico, sed efficere volo, ut illas intrepide possideas; quod uno consequeris modo, si te etiam sine illis bene victurum speraveris, et si illas tanquam exituras aspexeris. Discedat quisquis non te, sed aliud in te sequebatur; ob hoc unum est amanda paupertas, quod a quibus ameris, ostendit. Multum est, non corrumpi divitiarum contubernio. Magnus ille est, qui in divitiis pauper est. Nemo nascitur dives. Quisquis exit in lucem, jussus est pane et lacte esse contentus; ab his initiis regna nos non capiunt. Panem et aquam natura desiderat; nemo ad hæc pauper est; intra quæ si quis desiderium suum clusit, cum ipso Jove de felicitate contendat. Res inquieta, felicitas est, ipsa se exagitat, movet cerebrum, non in uno genere; alios in cultum irritat, alios in potentiam, alios inflat, alios mollit. Si vis scire, quam nihil mali sit in paupertate, compara inter se vultum pauperis et divitis. Sæpius pauper et fidelius ridet: nulla sollicitudine concutitur, in alto est; cura velut nubes levis transit. Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta est: huic gravis et suprema superbia, licet non palam, tristitia est; eo quidem gravior, quod interdum non licet palam esse miseros, sed inter ærumnas cor ipsum exedentes, necesse est agere felicem. Abstrahunt a recto divitiæ, honores, potentiæ, et cætera: quæ opinione hominum cara sunt, pretio suo vilia. Nescimus æstimare res, de quibus non cum fama, sed cum rerum natura deliberandum est. Nihil habent ista magnificum,

Digitized by Google

quod mentes nostras in se trahat, præter hoc quod mirari illa consuevimus; non enim quia concupiscenda sunt, laudantur : sed quia concupiscuntur. Hanc præcedentem causam habent divitiæ; mutant animos, superbiam et arrogantiam pariunt, invidiam trahunt; eo usque mentem alienant, ut fama pecuniæ nos etiam nocitura delectet. Bona omni culpa carere decet : pura sunt, non corrumpunt animos, non sollicitant : extollunt quidem animos et delectant, sed sine tumore. Quæ bona sunt, fiduciam faciunt; divitiæ audaciam. Quæ bona sunt, magnitudinem animi dant, divitiæ insolentiam.

II. DE REMEDIIS FORTUITORUM LIBER.

Est oratio per dialogum Sensus et Rationis [1].

Licet cunctorum poetarum carmina gremium tuum semper illustrent; aliquando deliberans, hoc tibi opusculum pro accidentibus casibus dirigere curavi, quod non præcedentes, sed posteri narrabunt. Unde ergo primum incipimus? Si tibi videtur, a morte. Ab ultimo, inquis? Immo a maximo. Ad hoc præcipue gens humana contremit; nec immerito tibi videtur hoc facere. Cæteri timores habent aliquem post se locum : mors omnia abscindit. Alias nos torquent : mors omnia devorat. Omnium quæ horremus, ad hanc exitus spectat, aliorum quæ per circuitum. Etiam qui alioqui se nihil timere judicant, hoc timent. Quidquid aliud extimescimus, habet aut remedium, aut solatium. Sic ergo te forma, ut si quis tibi palam mortem minetur, omnes terriculas ejus deludas.

1. Hic titulus sequenti opusculo præponitur in nonnullis edd. v. c. in ea Lugduni, a Sulpitio Sapido, 1543, curata.

Digitized by Google

Morieris. Ista hominis natura est, non pœna. Morieris. Hac conditione intravi, ut exirem. Morieris. Gentium jus est, quod acceperis, reddere. Morieris. Peregrinatio est vita. Multum quum deambulaveris, domum redeundum est. Morieris. Putabam te aliquid novi dicere; ad hoc veni, hoc ago, huc me singuli dies adducunt. Nascenti mihi natura protinus hunc posuit terminum. Quid habeo quod indigner? In hæc verba juravi. Morieris. Stultum est timere, quod vitare non possis; istud non effugit, etiam qui distulit. Morieris. Nec primus, nec ultimus; multi me antecesserunt, omnes sequentur. Morieris. Hic est humani officii finis. Quis sanus exauctorari moleste tulit? Quo transit orbis, ego transibo; ad hanc conditionem cuncta gignuntur. Quod cœpit, et desinit. Morieris. Nihil grave est, quod semel est. Æs alienum meum novi; hoc quidem cum eo creditore contraxi, cui decoquere non possum. Morieris. Dii melius! Nemo hac re melius mortalibus minari potest.

Sed decollaberis. Quid interest, utrum cæsim moriar, an punctim? Sed sæpe ferieris, et multi in te gladii concurrent. Quid refert, quam multa sint vulnera? non potest amplius quam unum esse mortiferum.

Peregre morieris. Undecumque ad inferos una via est. Peregre morieris. Ego quod debeo, solvere paratus sum; videat fœnerator, ubi me appellet. Peregre morieris. Nulla terra est aliena mortuo. Peregre morieris. Non est gravior foris quam domi somnus. Peregre morieris. Hoc est, in patriam sine viatico pervenire.

Sed juvenis morieris. Optimum est, antequam optes, mori. Juvenis morieris. Hoc unum est, quod æque ad juvenem quam ad senem pertinet. Non citamur ex censu, nec exigitur numerus annorum; et adolescentes et im-

Digitized by Google

puberes eadem fati necessitas ducit. Optimum est mori, quum juvat vivere. Juvenis morieris. Quicumque ad extremum fati sui venit, senex moritur. Non enim refert quæ sit hominis ætas, sed quæ sit meta. Juvenis morieris. Fortasse alicui malo subducit me fortuna : si nulli alii, vel senectuti. Juvenis morieris. Non refert, quot annos habeam, sed quot acceperim; si plus vivere non possum, hæc est senectus mea.

Insepultus jacebis. Quid aliud respondeam, quam illud Maronis?

..... Facilis jactura sepulcri.

Si nihil sentio, non pertinet ad me jactura corporis insepulti. Si sentio, omnis sepultura tormentum est. Insepultus jacebis.

..... Cælo tegitur, qui non habet urnam.

Quid interest, ignis me an fera consumat, an tellus omnium sepultura? Istud non sentienti supervacuum est, sentienti onus. Insepultus jacebis. At tu combustus, at tu obrutus, at tu inclusus, at tu putridus, at tu evisceratus et constrictus, ac traditus lapidi, qui te paulatim edat et exsiccet. Nulla est sepultura; non sepelimur, sed projicimur. Non sepelieris. Quid inter tutissima trepidas? Ultra pœnarum omnium terminum iste locus est. Vitæ multa debemus, morti nihil. Non defunctorum causa, sed vivorum, inventa est sepultura, ut corpora et visu et odore fœda amoverentur; alios terra obruit, alios flamma consumpsit, alios lapis ossa redditurus inclusit. Non defunctis, sed nostris oculis parcimus.

Ægroto. Venit tempus quo experimentum mei caperem. Non in mari tantum, aut in prælio, vir fortis apparet; exhibetur etiam in lectulo virtus. Ægroto. Non

Digitized by Google

potest istud toto seculo fieri; aut ego febrem relinquam; aut ipsa me: semper una esse non possumus. Cum morbo mihi res est: aut vincetur, aut vincet.

Male de te loquuntur homines. Sed mali. Moverer, si de me Marcus Cato, si Lælius sapiens, si alter Cato, si duo Scipiones ista loquerentur. Nunc malis displicere, laudari est. Non potest ullam auctoritatem habere sententia, ubi qui damnandus est, damnat. Male de te loquuntur. Moverer, si judicio hoc facerent: nunc morbo faciunt; non de me loquuntur, sed de se. Male de te loquuntur. Bene nesciunt loqui: faciunt, non quod mereor, sed quod solent; quibusdam enim canibus sic innatum est, ut non pro feritate, sed pro consuetudine latrent.

Exsulabis. Erras: quum omnia fecerim, patriam meam transire non possum. Omnium una est; extra hanc nemo proficisci potest. Exsulabis. Non patria mihi interdicitur, sed locus. In quamcumque terram venio, in meam venio. Nulla terra exsilium est, altera patria est. Non eris in patria. Patria est, ubicumque bene est. Illud autem per quod bene est, in homine, non in loco est; in ipsius potestate est, quæ sit illi fortuna. Si enim sapiens est, peregrinatur; si stultus, exsulat. Exsulabis. Hoc dicis: alterius loci civitate donaberis.

Dolor imminet. Si exiguus est, feramus: levis est patientia. Si gravis est, feramus: non levis est gloria. Dolor clamorem exprimat, dum secreta non exprimat. Non potest homo par dolori esse; nec rationi dolor. Dura res est dolor. Immo tu mollis. Pauci dolorem ferre potuerunt. Simus ex paucis. Imbecilles natura sumus. Naturam infamare nolite. Illa nos fortes genuit. Fugiamus dolorem. Quid, quod ille sequitur fugientes?

Digitized by Google

Paupertas mihi gravis est. Immo tu paupertati. Non in paupertate vitium est, sed in paupere. Illa expedita est, hilaris, tuta. Pauper sum. Nescis te opinione, non re, laborare : pauper es, quia videris. Pauper sum. Nihil deest avibus; pecora in diem vivunt : feris ad alimenta solitudo sua sufficit.

Non sum potens. Gaude; impotens non eris. Injuriam accipere potero. Gaude; facere non poteris. Magnam pecuniam habet. Hominem illum indicas? arca est. Quis ærario, quis plenis loculis invidet? Et ipse quem dominum pecuniæ existimas, loculus est. Multum habet. Utrum avarus, an prodigus est? Si avarus, non habet; si prodigus, non habebit. Iste quem beatum credis, sæpe dolet, sæpe suspirat. Multi illum comitantur. Mel muscæ sequuntur, cadavera lupi, frumenta formicæ : prædam sequitur ista turba, non hominem.

Pecuniam perdidi. Fortasse te illa perdidisset. Pecuniam perdidi. Sed habuisti. Pecuniam perdidi. Sed habebis inde periculi minus. Pecuniam perdidi. O te felicem, si cum illa avaritiam perdidisti! Sed si manet illa apud te, es tamen utcumque felicior, quod tanto malo materia subducta est. Perdidi pecuniam. Et illa quidem quam multos? Eris nunc in via expeditior, domi tutior. Non habebis, sed non timebis heredem. Exoneravit te fortuna, si intelligis, et tutiore loco posuit. Damnum putas? remedium est. Defles, gemis, miserum te clamitas, quod opibus excussus es? Tuo vitio ista tibi jactura tam tristis est. Non tam moleste ferres, si tanquam perditurus habuisses. Perdidi pecuniam. Nempe quam ut tu haberes, alius ante perdiderat.

Oculos perdidi. Habet et nox suas voluptates. Oculos perdidi. Quam multis cupiditatibus via incisa est? quam

Digitized by Google

multis rebus carebis, quas ne videres, vel eruendi erant? Non intelligis partem innocentiæ esse cæcitatem. Huic oculi adulterium monstrant, huic incestum, huic domum quam concupiscat, huic urbem, et mala omnia. Certe irritamenta sunt vitiorum ducesque scelerum.

Amisi liberos. Stultus es, qui defleas mortem mortalium. Quid istud aut novum, aut mirum est? Quam rara est sine isto casu domus? Quid si infelicem voces arborem, quod stante ipsa cadunt poma? et hic tuus fructus est. Nemo extra ictum vulneris positus est. Ducuntur ex plebeia domo immatura funera, ducuntur et ex regia. Non est idem ordo fati, qui et ætatis. Non quomodo quisque venit, emittitur. Quid tamen est quod indigneris? Quid contra exspectationem tuam evenit? Periere perituri. Sed ego illos superstites optabam. Verum hoc nemo tibi promiserat. Perierunt liberi mei. Habebant illi cujus essent magis quam tui: apud te precario morabantur. Educandos tibi fortuna mandaverat: recepit illos, non abstulit.

Naufragium feci. Cogita non quid perdideris, sed quod evaseris. Nudus exii. Sed existi. Omnia perdidi. Sed perire potuisti una cum omnibus.

In latrones incidi. Sed alius in accusatores, alius in fures, alius in fraudatores. Plena est insidiis via. Noli conqueri quod incideris: gaude quod evaseris. Inimicos graves habeo. Quomodo adversus feras munimenta conquiris, quomodo adversus serpentes: sic adversus inimicos auxilia circumspice, quibus illos aut arceas, aut compescas, aut, quod optimum est, places. Inimicos habeo. Illud est pejus, quod amicos non habes.

Amicum perdidi. Jam enim te habuisse certum est? Amicum perdidi. Alium quære: et ibi eum quæras, ubi

Digitized by Google

invenire possis. Quære inter liberales artes, inter honesta et recta officia : quære in laboribus. Ad mensam ista res non quæritur : quære aliquem frugi. Perdidi amicum. Fortem animum habe, si unum : erubesce, si unicum : quid tu in tanta tempestate ad unam anchoram stabas?

Uxorem bonam amisi. Utrum inveneras bonam, an feceras? Si inveneras, habere adhuc te posse ex hoc intelligas licet, quod habuisti : si feceras, bene spera; res periit : salvus est artifex. Amisi uxorem bonam. Quid in illa probabas? Pudicitiam? Quam multæ diu custoditam perdidere! Decus? Quam multæ inter probatas matronalis ordinis, esse cœperunt postea inter exempla mutatarum? Delectabat te fides ejus? Quam multas ex optimis conjugibus pessimas videmus, ex diligentissimis solutissimas! Omnium quidem imperitorum animus, maxime tamen muliebris, in lubrico est. Si bonam uxorem habuisti, non potes affirmare in illo eam permansuram fuisse proposito. Nihil tam mobile quam feminarum voluntas; nihil tam vagum. Novimus veterum matrimoniorum repudia; et, fœdiores divortio, male cohærentium rixas. Quam multæ quos in adolescentia amaverunt, in communi reliquere senectute! quoties anile divortium risimus? quam multarum notus amor odio notiore mutatus est! Sed hæc et fuit bona, et fuisset, si vixisset. Mors effecit, ut affirmare id sine periculo possis. Bonam uxorem amisi. Invenies, si nihil quæris nisi bonam. Tu modo ne imagines proavosque respexeris, nec patrimonium, cui jam ipsa nobilitas cessit. Ista diu cum forma non repugnabunt. Facilius reges animum nulla vanitate tumentem. Non multum abest a contemptu viri, quæ se nimis suspicit. Duc bene institutam, nec maternis inquinatam

Digitized by Google

vitiis : non cujus auriculis utrimque bina patrimonia dependeant : non quam margaritæ suffocent, cui minus sit in dote quam in veste : quam in patente sella circumlatam per urbem populus ab omni parte æque ut maritus inspexerit : cujus sarcinis domus sit angusta. Hanc facile ad tuos mores rediges, quam nondum corruperunt publici. Uxorem bonam amisi. Non erubescis flere, et intolerabilem vocare jacturam ? Hoc unum deest : utrum illam lugeas, an non. Quum maritum te cogitaveris, cogita et virum. Amisi uxorem bonam. Soror bona non potest recuperari, nec mater. Uxor adventitium bonum est : non est inter illa, quæ semel unicuique contingunt. Amisi uxorem bonam. Multos tibi numerare possum, quibus bonam uxorem lugentibus successit melior.

Mors, exsilium, luctus, dolor, non sunt supplicia, sed tributa vivendi. Neminem illæsum fata transmittunt. Felix est non qui aliis videtur, sed qui sibi.

III. DE QUATUOR VIRTUTIBUS LIBER.

N. B. Hic libellus, quem alii *de formula honestæ vitæ*, alii *de quatuor virtutibus cardinalibus* inscribunt, omnes autem L. A. Senecæ tribuunt, magno in honore apud mediæ ætatis doctos fuisse videtur. Plurimæ enim illius libri editiones, nec non cum scholiis, perpetuo commentario, et variis lectionibus, occurrunt, quarum nonnullas habet Regia Bibliotheca. Nos autem Des. Erasmi Roterod. editionem secuti sumus, varias lectt. et scholia omittentes, ut in opere nimis exigui momenti. Ed.

« Quod sequitur opusculum sine controversia non est Senecæ, licet admixta sint permulta ex ejus libris decerpta, studio hominis Christiani. Nam in ipso statim initio occurrit : « Scire debes, quia sunt. » Ac mox : « ex rebus transitoriis. » Rursum Cap. de

Digitized by Google

Continentia : « a corpore ad spiritum. » Mox in eodem : « Scito quia profuit, et scito quia prodesse voluit. » Hæc nimirum christianismum olent. Nec tamen ejusdem hominis videtur consarcinatio. Nam appendix de moderatione singularum virtutum ineptior est superiore parte. Capita de prudentia moderanda, deque temperantia tam erant in exemplaribus varia, ut palam esset id studio factum. Comperi totum opus mire depravatum, sed codice descripta fere omnia restitui. »

Quatuor virtutum species multorum sapientum sententiis diffinitæ sunt, quibus animus humanus componi ad honestatem vitæ possit. Harum prima est prudentia. Secunda magnanimitas. Tertia continentia. Quarta justitia. Singulæ tibi in his officiis quæ subsunt annexæ sunt, ac bene moratum virum efficiunt.

DE PRUDENTIA.

Quisquis prudentiam sequi desideras, tunc per rationem recte vives, si omnia prius existimes et perpenses, et dignitatem rebus non ex opinione multorum, sed ex earum natura constituas. Nam scire debes quia sunt quæ videantur esse bona, et non sunt. Et sunt quæ videantur non bona esse, et sunt. Quæcumque autem ex rebus transitoriis possides non mireris, nec magnum existimes quod caducum est : nec apud te quæ habes tanquam aliena servabis, sed pro te tanquam tua dispenses et utaris. Si prudentiam amplecteris, ubique idem eris, et prout rerum ac temporum varietas exigit, ita te accommodes tempori, nec te in aliquibus mutes, sed potius aptes, sicut manus quæ eadem est quum in palmam extenditur, et quum in pugnum adstringitur. Prudentis proprium est examinare consilia, et non cito facili credulitate ad falsa prolabi. De dubiis non diffinias, sed suspensam teneas sententiam. Nihil inexpertum affirmes, quia non omne

Digitized by Google

verisimile statim verum est, sicut et sæpius quod primum incredibile videtur, non continuo falsum est. Crebro si quidem faciem mendacii veritas retinet. Crebro mendacium specie veritatis occulitur. Nam sicut aliquando tristem frontem amicus, et blandam adulator ostendit, sic verisimilitudine coloratur veritas, et ut fallat, vel surrepat, coloratur. Si prudens esse cupis, in futurum prospectum intende, et quæ possunt contingere animo tuo cuncta propone. Nihil tibi subitum sit, sed totum ante conspicies. Nam qui prudens est non dicit, non putavi quidem hoc fieri, quia non dubitat, sed exspectat : nec suspicatur, sed cavet. Cujuscumque facti causam require; quum initia inveneris, exitus cogitabis. Scito te in quibusdam debere perseverare, quia cœpisti, quædam vero nec incipere, in quibus perseverare sit noxium. Prudens fallere non vult, falli non potest. Boni est viri etiam in morte neminem fallere. Opiniones tuæ judicia sint. Cogitationes vagas, et inutiles, et velut somnio similes non recipies, quibus si animus tuus se oblectaverit, quum omnia disposueris, tristis remanebis : sed cogitatio tua stabilis et certa sit, sive deliberet, sive quærat, sive contempletur, non recedat a vero. Sermo quoque tuus non sit inanis, sed aut suadeat, aut moneat, aut consoletur, aut præcipiat. Lauda parce, vitupera parcius. Nam similiter reprehensibilis est nimia laudatio, ut immoderata vituperatio. Illa si quidem adulatione, ista malignitate suspecta est, testimonium veritati, non amicitiæ reddes. Cum consideratione promitte, plenius quæ promiseris præsta. Si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispensetur. Præsentia ordina, futura prævide, præterita recordare. Nam qui nil de præterito cogitat, perdit vitam, qui nil de futuro præmeditatur, in omnia

Digitized by Google

incautus incidit. Proponas in animo tuo futura mala et bona, ut illa sustinere possis, et ista moderari. Non semper in actu sis, sed interdum animo tuo requiem dato, et requies ipsa plena sit sapientiæ studiis et cogitationibus bonis. Nam prudens nunquam otio marcet. Habet autem aliquando remissum animum, nunquam solutum. Accelerat tarda, perplexa expedit, dura mollit, exæquat ardua. Scit enim quid qua via aggredi debeat, et cito singula, et distincte cuncta videt. Consilium peritorum, ex apertis obscura æstimat, ex parvulis magna, ex proximis remota, ex partibus tota. Non te moveat dicentis auctoritas, nec quis, sed quid dicat intendito. Nec quam multis, sed qualibus placeas cogita. Id quære quod invenire possis. Id disce quod potes scire. Id opta quod optari coram bonis potest. Nec altiori te rei imponas in qua tibi stanti tremendum, ascendenti cadendum sit. Consilia tibi salutifera advoca. Quum tibi alludit vitæ prosperitas, tunc te velut in lubrico retinebis, ac sistes, nec tibi dabis impetus liberos, sed circumspicies quo eundum sit, vel quousque.

DE MAGNANIMITATE.

Magnanimitas vero, quæ et fortitudo dicitur, si insit animo tuo cum magna fiducia, vives liber, intrepidus, alacer. Magni animi hominis bonum est non vacillare, constare sibi, et finem vitæ intrepidus exspectare. Nil aliud magnum in rebus humanis, nisi animus magna despiciens. Si magnanimus fueris, nunquam judicabis tibi contumeliam fieri. De inimico dices, non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit : et quum illum in potestate tua videris, vindictam putabis vindicare potuisse. Scito enim honestum et magnum genus vindictæ esse ignoscere. Ne-

Digitized by Google

minem susurro appetas, neminem suffodias, palam aggredere; non geres conflictum, nisi indixeris; nam fraudes et doli imbecillum decent. Eris magnanimus, si pericula nec appetas, ut temerarius; nec formides, ut timidus; nam nil timidum facit animum, nisi reprehensibilis vitæ conscientia. Mensura ergo magnanimitatis est, nec timidum esse hominem, nec audacem.

DE CONTINENTIA.

Continentiam vero si diligis, circumcide superflua, et in arctum desideria tua constringe. Considera tecum quantum natura poscat, et non quantum cupiditas expetat. Si continens fueris, eo usque pervenies, ut te ipso contentus sis. Nam qui sibi ipsi satis est, cum divitiis natus est. Impone concupiscentiæ tuæ frænum et modum, omniaque blandimenta quæ occultam voluptatem trahunt, rejice. Ede citra cruditatem, bibe citra ebrietatem. Observa ne in convivio, aut in qualibet vitæ communitate, quos non imitaberis damnare videaris, nec præsentibus delictiis inhærebis, nec desiderabis absentes. Victus tibi ex facili sit; nec ad voluptatem, sed ad cibum accede. Palatum tuum fames excitet, non sapores. Desideria tua parvo redime, quia hoc tantum curare debes, ut desinant, atque quasi ad exemplar compositus divinum, a corpore ad spiritum quantum potes (*al.* potest) te festina reducere. Si continentiæ studes, habita non amœne, sed salubriter, nec dominum esse velis notum a domo, sed domum a domino. Non tibi adscribas quod non eris, nec quod es, nec majus quam es videri velis. Hoc majus observa, nec paupertas tibi immunda sit, nec parsimonia sordida, nec simplicitas neglecta, nec lenitas languida: et si tibi res exiguæ sunt, non tamen sint angustæ. Nec tua defleas,

Digitized by Google

nec aliena mireris. Si continentiam diligis, turpia fugito antequam accidant, nec quemquam alium vereberis plus quam te. Omnia tolerabilia præter turpitudinem crede. A verbis quoque turpibus abstineto, quia eorum licentia imprudentiam nutrit. Sermones utiles magis quam facetos et amabiles ama, rectos potius quam obsecundantes. Miscebis interdum seriis jocos, sed temperatos, et sine detrimento dignitatis ac verecundiæ. Nam reprehensibilis risus est, si immodicus, si pueriliter effusus, si muliebriter fractus. Odibilem quoque hominem facit risus, aut superbus, aut clarus, aut malignus et furtivus, aut alienis malis evocatus. Si ergo ipsos jocos exigis, hoc quoque cum dignitate sapientiæ gere, ut te nec gravent tanquam asperum, nec contemnant tanquam vilem. Non erit tibi scurrilitas, sed grata urbanitas. Sales tui sint sine dente, joci sine vilitate (*al.* utilitate), risus sine cachinno, vox sine clamore, incessus sine tumultu; quies tibi non desidia erit; et quum ab aliis luditur, tu sancti aliquid honestique tractabis. Si continens es, adulationes evita, sitque tibi tam triste laudari a turpibus, quam si lauderis ob turpia. Lætior esto, quoties displices malis; et malorum de te existimationes malas, veram tui laudationem adscribe. Difficillimum continentiæ opus est, assentationes adulatione repellere, quarum sermones animum voluptate resolvunt. Nullius per assentationem amicitiam merearis, nec ad tuam promerendam per hanc aditum pandas. Non eris audax, nec arrogans, submittes te, non projicies gravitate servata. Admoneberis libenter, et reprehenderis patienter. Si merito objurgabit aliquis, scito quia profuit; si immerito, scito quia prodesse voluit. Non acerba, sed blanda timebis verba. Esto vitiorum fugax ipse, alierum vero neque curiosus scrutator, neque acerbus reprehen-

Digitized by Google

sor, sed sine exprobratione correptor, ita ut admonitionem hilaritate prævenias, et errori facile veniam dato. Nec extollas quemquam, neque dejicias. Dicentium esto tacitus auditor, audientium promptus receptor. Requirenti facile responde, contemnenti facile cede, nec in jurgia execrationesque discedas. Si continens es, animi tui motus corporisque observa, ne indecori sint. Nec illos ideo contemnas, quia latent : nam nil differt, si nemo videat, quum tu ipse illos videas. Mobilis esto, non levis; constans, non pertinax. Alicujus rei scientiam habere te nec ignotum sit, nec molestum. Omnes tibi pares facies, sed inferiores superbiendo non contemnes. Superiores recte vivendo non metuas. In reddenda officiositate, neque negligens, neque exactor appareas. Cunctis esto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. Severior esto in judicio quam in sermone : vita quam vultu (*al.* cultu) : cultor clementiæ : detestator sævitiæ : bonæ famæ neque tuæ seminator, neque alienæ invidus. Rumoribus, criminibus, suspicionibus minime credulus vel malignus, sed potius his qui per speciem simplicitatis ad nocendum aliquibus subrepunt, oppositissimus. Ad iram tardus, ad misericordiam pronus, in adversis firmus, in prosperis cautus et humilis, occultator virtutum sicut alii vitiorum. Vanæ gloriæ contemptor, et bonorum, quibus præditus es non acerbus exactor. Nullius imprudentiam despicias. Rari sermonis ipse, sed loquentium patiens. Severus, non sævus, sed hilarem non aspernans. Sapientiæ cupidus et docilis, quæ nosti sine arrogantia postulanti imparties; quæ nescis sine occultatione ignorantiæ tibi postula impartiri. Non conturbabit sapiens mores publicos, nec populum in se vitæ novitate convertet. Justitiæ post hæc virtus est.

Digitized by Google

DE JUSTITIA.

Quid est justitia, nisi naturæ tacita conventio in adjutorium multorum inventa? Justitia non nostra constitutio, sed divina lex est, et vinculum societatis humanæ. In hac non est quod æstimemus quid expediat, expetit tibi quicquid illa dictaverit. Quisquis ergo hanc sectari desideras, Deum time prius et ama, ut ameris a Deo. Amabilis eris Deo, si in hoc illum imitaberis, ut velis omnibus prodesse et nulli nocere. Et tunc te justum virum appellabunt omnes, sequentur, venerabuntur, et diligent. Justus enim ut sis non solum non nocebis, sed etiam nocentes prohibebis; nam nil nocere non est justitia, sed abstinentia alieni est. Ab his ergo incipe ut non auferas, ut ad majora proveharis, et aliis ablata restituas. Raptores quoque ipsos, ne aliis timendi sint, castiga et cohibe (*al.* prohibe). Ex nulla vocis ambiguitate controversiam nectes, sed animi qualitatem speculare. Nihil tibi intersit an firmes (*al.* confirmes), an jures. De fide et religione scias agi ubicumque de veritate tractatur; nam si jurejurando Deus invocetur, et non invocanti testis est, tamen non transibis veritatem, ne justitiæ transeas legem. Quod si aliquando coarcteris uti mendacio, utere non ad falsi, sed ad veri custodiam; et si contigerit fidelitatem mendacio redimi, non mentieris, sed potius excusaberis, quia ubi honesta causa est, justus secreta non prodit; tacenda enim tacet, loquenda loquitur, atque illi aperta et secura tranquillitas, ut dum alii vincantur a malis, vincantur ab illo mala. Hæc ergo si studere curaveris, lætus et intrepidus cursus tui finem exspectabis, prospicies hæc tristia hujus mundi hilaris, tumultuosa quietus, extrema securus.

Digitized by Google

DE MENSURA ET MODERATIONE PRUDENTIÆ.

His ergo institutionibus observatis, quatuor virtutum species perfectum te facient virum, si mensuram rectitudinis earum æquo vivendi fine servaveris. Nam si prudentia terminos suos excedat, callida et pavida commiseris, investigator latentium et scrutator qualiumcumque noxarum ostenderis, notaberis timidus, speciosus, attentus; semper aliquid quærens, semper aliquid timens, semper aliquid dubitans, et subtilissimas suspiciones tuas ad animi tui apprehensionem impingens; monstraberis digito astutia plenus, versipellis et simplicitatis inimicus, contemplatorque culparum, et postremo uno nomine vocaberis a cunctis, malus homo. In has ergo maculas prudentia immensurata perducet, quicumque in illa mediocri lance persistit, nec obtusum in se aliquid habeat, nec versutum.

DE MODERANDA FORTITUDINE.

Magnanimitas autem si se extra modum suum extollat, faciet virum minacem, inflatum, inquietum, turbidum, et in quascumque extollentias dictorum, actorumque neglecta honestate festinum, qui momentis omnibus supercilia subrigens, et bestiarius etiam quieta excitat, alium ferit, alium fugat. Sed quamvis audax sit impugnator, tamen multa extra se valentia ferre non poterit. Sed aut miserum appetit finem, aut ærumnosam sui memoriam derelinquit. Mensura ergo magnanimitatis est nec timidum esse hominem, nec audacem.

DE MODO TEMPERANTIÆ.

Continentia deinde his terminis te adstringat; cave ne parcus sis, ne suspiciose et timide manum contrahas. Ne

Digitized by Google

in minimis quoque speculum ponas. Nam talis et tam circumcisa vilis putabitur integritas. Hac ergo mediocritatis linea continentiam observabis, ut nec voluptati deditus, prodigus et luxuriosus appareas, nec avara tenacitate sordidus, aut obscurus existas.

QUALITER SIT MODERANDA JUSTITIA.

Justitia postremo eo mediocritatis tibi itinere regenda est, ut nec ductu Jupiter levi (*al.* leni) immotam semper animi rationem negligentia subsequatur. Dum neque de magnis neque de minimis errantium vitiis corrigendi curam geris, sed neque licentiam peccandi, aut alludentibus tibi blande, aut illudentibus proterve permittis, neque rursus nimia rigiditate et asperitate, nil veniæ aut benignitati reservans, humanæ societati durus appareas. Ita ergo justitiæ regula tenenda est, ut reverentia disciplinæ ejus, neque nimia negligentiæ communitate despecta vilescat, neque severiori atrocitate diuturna, gratiam humanæ amabilitatis amittat.

CONCLUSIO PRÆMISSORUM.

Si quis ergo vitam suam ad utilitatem non tantum pariat, sed multorum inculpabiliter componere desiderat, hanc prædictarum virtutum formulam pro qualitatibus temporum, locorum, personarum atque causarum sequatur, eo mediocritatis insistens, quo per abrupta altrinsecus præcipitia, aut ruentem corporis devitet insaniam, aut efficientem puniat ignaviam.

Digitized by Google

IV. DE MORIBUS LIBER UNUS.

« Gnomologia hæc est, non ex Seneca tantum. Insunt Mimi, et Pythagoræ quædam, postremo fit mentio diaboli. Videntur quædam decerpta ex proverbiis Salomonis. » *Eràsm.*

Sunt totidem distinctæ et minime inter se connexæ sententiæ. In edit. Sulpit. Sapidi supra memorata, singulæ numeris distinguuntur, ita ut sint CLXI.

Omne peccatum actio est. Actio autem omnis voluntaria est, tam honesta quam turpis, ergo voluntarium est omne peccatum. Tolle excusationem, nemo peccat invitus. Educatio et disciplina mores faciunt, et id unusquisque sapit, quod didicit. Itaque bona consuetudo excutere debet, quod mala instruxit. Nihil interest quo animo facias, quod fecisse vitiosum est, quia facta cernuntur, animus vero non videtur. Nulla autem laus est non facere, quod facere non possis. Quid homini est inimicissimum? homo. Libenter feras quod necesse est, dolor patientia vincitur. Exspecta quo nunquam pœniteas. Non quam multis placeas, sed qualibus stude. In hoc tantum incumbe, ut libentius audias, quam loquaris. Multos vitam differentes, mors juncta prævenit. Itaque omnis dies velut ultimus judicetur. Tristitiam si potes, ne admiseris; sin minus, ne ostenderis. Amicos secreto admone, palam autem lauda. Verba rebus, non personis æstimanda sunt. Oratorem te puta, si tibi ante omnes, quod oportet persuaseris. Ut licentiosa mancipia animi imperio coerce linguam, ventrem et libidinem. Quod tacitum esse velis, nemini dixeris. Si tibi non imperasti, quomodo ab alio silentium speras? Ridiculum est aliquem, odio nocentis, innocentiam perdere. Monstro similis est

Digitized by Google

avaritia senilis. Quid enim stultius est, quod dici solet, quam via deficiente viaticum augere? Omnes infantes terra nudos excipit. Non pudet te fortius nasci quam vivere? Quid dulcius quam habere amicum, cum quo audeas, ut tecum, omnia loqui? Magnarum virium est negligere lædentem. Quid sis interest, non quid habeas. Nondum es felix, si te turba non deriserit. Si vis beatus esse, cogita hoc primum: contemnere, et contemni. Priusquam promittas, deliberes; et, quum promiseris, facias. Id agas, ne quis merito te oderit, et si nullos inimicos tibi facies injuria, multos facit invidia. Solitudinem quærat, qui vult cum innocentibus vivere. Optimus ergo animus et pulcherrimus cultor Dei est. Abstinebis ab alieno matrimonio. Præstabis parentibus pietatem, cognatis indulgentiam, omnibus æquitatem. Devitabis crudelitatem, et ministram crudelitatis iram. Non aliter vivas in solitudine, aliter in foro. Nihil petas quod negaturus fuisti; nihil negabis quod petiturus fuisti. Pacem cum hominibus habebis, cum vitiis bellum. Hoc habet omnis affectus ut, in quod ipse insanit, in id putet etiam cæteros furere. Maximum in eo vitium est, qui non melioribus vult placere, sed pluribus. Vis omnibus esse notus? prius effice, ut neminem noveris. Bonum est non laudari, et esse laudabilem. Stultum est timere quod vitare non potes. Male opinentur de te homines, sed mali. Malis displicere est laudari. Male de te loquuntur homines, bene autem loqui nesciunt, non quod merearis, sed quod solent ipsi. Homines de te mala loquuntur; si merito, non quod loquuntur molestum est, sed quod non mentiuntur; si immerito, innocentia mea nunc maxime gaudeo. Apparet enim illos vera objecturos, si possent. Non es in patria tua. Patria tua est ubicumque bene es;

Digitized by Google

illud enim per quod bene es, non est in loco, sed in homine. Nihil magnum, nisi magno animo despicias. Quæ sunt maximæ divitiæ? non desiderare divitias. Quis plurimum habet? is qui nimium cupit. Quid est dare beneficium? Deum imitari. Honestius est quum judicaveris amare, quam quum amaveris judicare. Dissentio ab alio incipiat, a te autem reconciliatio. Succurre paupertati amicorum, immo occurre. Amicos secundæ res parant, adversæ certissime probant. Pejora sunt tecta odia quam aperta : itaque te minus loquax inimicus offendit quam tacitus. Mira ratio est quæ non vult prædicari, quod gaudet intelligi. Ignosci amat, qui quod odit, ostendit. Eleemosyna non tam accipientibus quam dantibus prodest. Et spes præmii solatium fit laboris. Quæ est maxima egestas? avaritia. Pecuniæ imperare oportet, non servire. Nullum conscium peccatorum tuorum magis timueris quam temetipsum. Alium potes effugere, te autem nunquam. Quis est pauper? qui sibi videtur. Qui a multis timetur, multos timet. Infelicem erige, submitte felicitatem. Vera felicitas innocentia est. Nequitia ipsa sui pœna est. Mala conscientia sæpe tuta est, secura nunquam. Libidinis initia continebit, qui exitum cogitabit. Beneficii accepti nunquam oportet oblivisci, dati protinus. Inhonesta victoria est suos vincere. Satis est pœnarum potuisse puniri. Inimicitias tarde suscipe, amicitias exerce moderate. Simultates depone. Imago animi sermo est. Qualis vir, talis oratio. Magna res est vocis et silentii temperamentum. Qui æquo animo malis immiscetur, malus est. Neminem laudaveris, neminem cito accusaris, semper puta te cum diis testimonium dicere. Vitium est omnia credere, vitium nihil credere. Utendum est divitiis, non abutendum. Nullum putaveris locum sine teste.

Digitized by Google

Excusationem quærere, vitium. Fortior est qui cupiditatem vincit, quam qui hostem subjicit. Est difficillimum seipsum vincere. Inique irascitur, qui suis irascitur. Amare sic incipe, tanquam non liceat desinere. Magnarum rerum etiam si successus non fuerit, honestus est ipse conatus. Nobilitas animi est generositas sensus. Nobilitas corporis generosus animus. Honestior est quem senectus ad otium retulit, quam quem in otio invenit, et tunc incipiat laborare. Turpe spectaculum præbet animus æger. Nunquam sit tristis facies tibi in commodo alterius. Homo sum, quomodo devitabo secundarum rerum invidiam? Si felicitatem jactaveris, cum multis dives eris. Quomodo optime potentiam tuebor? impotentia occasionis. Locum tenet innocentiæ proximum confessio. Ubi confessio, ibi remissio. Iræ severitas in vitio est. Boni judicis est dispensare, non tantum quid damnandum sit, sed quatenus. Proximus justitiæ modus severitas. Quietissimam vitam agerent homines in terris, si hæc duo verba a natura omnium rerum tollerent, meum et tuum. Qui paupertatem timet, timendus est. Vires tuas amici magis sentiant beneficiis quam injuriis. Pecunia non satiat avaritiam, sed irritat. Homo semper indigens pecunia, scit cum ejus moribus convenire. Mihi crede, non potes dives esse, et felix. Auribus frequentius quam lingua utere. Quicquid dicturus es, antequam aliis dixeris, dicito tibi. Nihil interest inter iratum et insanum, nisi unus dies. Alter non semper irascitur, alter semper insanit. Facillime bonis frueris, si ea vitaveris, quæ vituperaveris. Quum alienos timueris, te ipsum verere, nam sæpe sine aliis esse potes, sine te nunquam. Si bene te instruxeris, pudeat deteriora facere. Quod persuaseris, erit diuturnum; quod coegeris, erit in occasionem. Alteri semper

Digitized by Google

ignoscito, tibi ipsi nunquam. Tantum ad virtutem adjicies, quantum ex voluptate abstraxeris : stultum est somno delectari, et quasi mortem moliri. Bonis nocet, qui malis parcit. Multi quum aliis maledicunt, sibi ipsis convitium faciunt. Nihil turpius quam qui objicit alteri sibi objiciendum. Ut licentiosa mancipia, animi imperio rege, linguam, libidinem, ventrem, cupiditatemque comprime; si non potes, paululum remitte. Sæpe ea quæ sanari ratione non poterant, sanata sunt tempore. Qui propter pecuniæ amorem et libidinum moritur, ostendit se nunquam sui causa vixisse. Turpia ne dixeris, paulatim enim pudor per verba discutitur. Sic habita, ut potius laudetur dominus quam domus. Consuetudinaria res est innocentia; non damnatio, sed causa hominem turpem facit. Merito damnari pœna est, damnatio immerita damnantis est calamitas. Si aliquid cogitaveris, cito apparebit conversantibus. Videri vis ab omnibus; nunquam bonæ honestatis simulatio longa est. Quod de alienis tractas, ex tuis judices. Multi sunt obligandi, pauci offendendi; nam memoria beneficiorum facilis est injuriarum tenax. Objurgationi semper aliquid blande admisce, facilius enim penetrant verba quæ molli vadunt via, quam aspera. Nemo enim se mutat, qui mutari se desperet. Quoties scribens aliquid dicturus es, scito morum tuorum te hominibus chirographum dare. Qui in servos irascitur et crudelis est, satis ostendit potestatem adversus alienos sibi defuisse. Qui nescit tacere, nescit loqui. Facilius est pauperi contemptum effugere, quam diviti invidiam. Bonus fruitur bona conscientia. Malis hominibus tutissimum est cito fugere. Nulla pusilla domus, quæ multos amicos capit. Scire uti paupertate, maxima felicitas. Acuit intentio, frangit animum remissio. Nunquam scelus scelere vincendum est.

Digitized by Google

Bonus vir est, qui eo perduxit affectu animum, ut non tantum peccare non velit, sed etiam non possit. Regnantibus pejus multo periculum, quam his qui judicantur; hi enim singulos timent, illi universos. Numquid fortis fortem se gloriabitur, quem corporis ægritudo efficit infirmum? Numquid dives in opibus suis gloriabitur, cujus spem fur vel tyrannus abrupit? Numquid nobilitas gloriabitur affecta, nonnunquam indignis et miserabilibus serviens? Diabolus aliquando se gloriabitur interfectorem tuæ misericordiæ, nunc inter gemiscit socios (forsan socius) tuæ beatitudinis. Fugienda sunt omnibus modis, et abscindenda igni ac ferro, totoque artificio separanda, languor a corpore, imperitia ab animo, luxuria a mente, a civitate seditio, a domo discordia, a cunctis rebus intemperantia. Dixit quidam amicorum omnia esse communia, et amicum seipsum esse alterum. Duorum temporum maxime habendam curam, et eorum quæ acturi sumus, et eorum quæ gessimus : post Deum veritatem colendam, quæ sola homines Diis proximos facit.

Post hæc nonnullæ veteres editiones inserunt multas sententias juxta litterarum ordinem dispositas, sub hoc titulo *Senecæ Proverbia*; quarum maxima pars ex Publii Syri Laberiique mimis est collecta; nonnullæ vero ex L. Annæi Senecæ tum philosophicis quum poeticis scriptis haustæ, sed mire depravatæ, videntur.

Digitized by Google

V. EPISTOLÆ SENECÆ ET PAULI.

PRÆMONITIO.

In veteribus L. A. Senecæ editionibus leguntur quatuordecim Senecæ ad Paulum et Pauli ad Senecam Epistolæ, quæ olim pro authenticis habitæ fuisse videntur, quamvis cuilibet eas vel levissime inspicienti suppositítias esse pateat. Nihilominus nonnulli scriptores, nec parvi momenti, inter quos D. Hieronymus, lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, c. 12[1]; D. Augustinus, De Civitate Dei, lib. VI, c. 10, et Epist. LIII ad Maced., has Epistolas memorant, sine ullo de illarum veritate dubio. Immo perpetua apud priorum ætatum Christianos opinio viguit Paulum et Senecam magna fuisse amicitia conjunctos, quod confirmat Linus Pontif. de Passione Pauli. De hac amicitia multi disceptaverunt, in primis *Fr. Ch. Gelpke*, in « Tractatiuncula de familiaritate quæ Paulo apostolo cum Seneca philosopho interfuisse videtur verisimillima », *Lips.* 1813, in-4°. Quam dissertationem quum sæpe quæsitam comparare non potuerimus, satis erit hic inserere quæ ex illa excerpsit Fred. Schœll, *Histoire abrégée de la Littérature romaine*, vol. II, p. 445.

« Cette tradition ne doit peut-être pas être reléguée parmi les fables; plusieurs circonstances se réunissent pour lui donner quelque vraisemblance. Elle explique au moins la singulière ressemblance que les hommes de lettres ont remarquée entre beaucoup de passages de Sénèque et des saintes Écritures, surtout des *Épîtres de saint Paul*. Nous allons rapporter quelques-uns de ces passages parallèles, en commençant par la harangue que l'apôtre prononça devant l'aréopage d'Athènes, et que saint Luc a insérée dans le dix-septième chapitre des *Actes des Apôtres*.

[1] Ipsa ejus verba vide infra, p. 470, not. 3.

Digitized by Google

Saint Paul.

Deus qui fecit mundum et omnia quæ in eo sunt, hic cæli et terræ quum sit dominus, non in manu factis templis habitat. *Act. XVII*, 24.

Nec manibus humanis colitur indigens aliquo, quum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia. *Ibid.* 25.

Deus... quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus. *Ibid.* 27, 28.

Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. *Ep. Rom. VIII*, 14.

Nescitis quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis. *I. Cor. cap. III*, 16.

Non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis et cogitationis hominis, divinum esse simile. *Act. XVII*, 29.

Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator fit. *Hebr. XI*, 6.

Estote ergo imitatores Dei... et ambulate in dilectione. *Eph. V*, 1.

Sicut enim corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis quum sint multa, unum tamen corpus sunt; ita et Christus... Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus... Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. *I. Cor. cap. XII*, 12, 20, 27.

Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possumus. *I. Tim. cap. VI*, 7.

Sénèque.

Deo non templa congestis in altitudinem saxis exstruenda sunt; in suo cuique consecrandus est pectore. *Fragm. cité par Lactance, Inst. VI.*

Totus mundus est deorum templum, solum quidem amplitudine illorum et magnificentia dignum. *De Benef. VII*, 7.

Deum colit qui novit;..... non quærit ministros Deus; quidni? Ipse humano generi ministrat; ubique et omnibus præsto est. *Ep.* 95.

Prope est a te Deus, tecum est, intus est. Sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator; hic, prout a nobis tractatus est, ita nos tractat. Bonus vir sine Deo nemo est... In unoquoque bonorum habitat Deus, etc. *Ep.* 41.

Quocumque te flexeris, Deum videbis occurrentem tibi; nihil ab illo vacat. *De Benef. V*, 8.

Te dignum Deo finge. Finges autem non auro, non argento; non potest ex hac materia imago Dei exprimi similis. *Ep.* 13.

Primus deorum cultus est Deos credere, deinde scire illos esse... qui humani generis curam gerunt, qui castigant quosdam et coercent.

Satis illos coluit, quisquis imitatus est. Homo sit mansuetus homini,... erranti viam monstret, cum esuriente panem dividat. *Ep.* 95.

Membra sumus magni corporis. *Ibid.*

Per has mortalis ævi moras illi meliori vitæ longiorique præluditur. Quemadmodum novem mensibus nos

Digitized by Google

Saint Paul.

Scimus enim quoniam si terrestris domus nostræ hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cælis. Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cælo est, superindui cupientes : si tamen vestiti, non nudi inveniamur. Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati : eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita. *II. Ep. ad Cor. cap. V*, 1—4.

Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum. *I. Cor. cap. XIII*, 12.

Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus : Abba (Pater.) *Rom. VIII*, 15.

Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. *Hebr. XIII*, 14.

Rom. V. Tout le chapitre où l'Apôtre expose le dogme de l'imputation et de la punition du péché.

Non est justus quisquam. Omnes

Sénèque.

tenet maternus uterus, et præparat non sibi, sed illi loco in quem videmur emitti jam idonei... sic per hoc spatium, quod ab infantia patet in senectutem, in alium maturescimus partum. Alia origo nos exspectat, alius rerum status. Proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice; non est animo suprema, sed corpori. Quidquid circa te jacet rerum, tamquam hospitalis loci sarcinas specta : transeundum est. Excutit redeuntem natura, sicut intrantem. Non licet plus afferre quam intuleris; immo etiam ex eo quod in vitam intulisti, pars magna ponenda est. Detrahetur tibi hæc circumjecta, novissimum velamentum tui, cutis; detrahetur caro. Dies iste, quem tamquam extremum reformidas, æterni natalis est. Depone onus; quid cunctaris?... pone corpus istud diu inhabitatum; pereunt semper velamenta nascentium... Veniet qui te revelet dies, et ex contubernio fœdi atque olidi ventris educat. Tunc naturæ arcana tibi retegentur... Tunc in tenebris vixisse dices, quum totam lucem totus adspexeris, quam nunc... obscure intueris, et tamen admiraris tam procul. *Ep.* 102.

Deus colitur et amatur. Non potest amor cum timore misceri. *Ep.* 42.

Deos nemo sanus timet, nec quisquam amat quos timet. *De Benef. IV*, 19.

Sapiens nihil eorum quæ circa ipsum sunt, suum judicat, sed ut commodatis utitur peregrinus et properans. *Ep.* 120.

Omnes reservamur ad mortem, in omnes constitutum est capitale supplicium, et quidem constitutione justissima. *Quæst. nat. II*, 59.

Peccavimus omnes, alii graviora,

Digitized by Google

Saint Paul.	*Sénèque.*
enim peccaverunt et egent gloria Dei. *Rom. III*, 10, 23.	alii leviora, alii ex destinato, alii forte impulsi, aut aliena nequitia ablati. *De Ira*, *I*, 14.
Nemo invenitur qui se possit absolvere, et innocentem quisque se dicit, respiciens testem, non conscientiam.	
Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina perseverate. Tanquam filiis vobis offert se Deus; quis enim filius, quem non corripit pater? *Hebr. XII*, 6, 7.	Vir bonus vera progenies Dei, quem parens ille magnificus durius educat... experitur, indurat, sibi illum præparat. *De Provid.*, *c.* 1.
	Patrium habet Deus adversus bonos viros animum, et illos fortiter amat, et « operibus, inquit, doloribus et damnis exagitentur, ut verum colligant robur. » *Ibid. c.* 2, § 4.
	Quos probat Deus, quos amat, eos indurat, recognoscit, exercet. *Ibid.* 1.

» On pourrait beaucoup multiplier ces citations; mais il n'y a pas un lecteur de Sénèque qui n'ait été frappé des sentimens chrétiens qu'on trouve répandus dans ses écrits, et qui sont souvent rapportés dans les expressions mêmes du *Nouveau-Testament* [1]. Dira-t-on qu'il est naturel qu'un homme de bien qui médite sur la nature humaine, et sur les rapports entre Dieu et l'homme, soit conduit aux mêmes vérités morales qui sont énoncées dans les saintes Écritures? Mais pourquoi ne trouve-t-on rien de semblable dans les traités de morale d'Aristote, dans les dialogues de Platon, dans les Choses mémorables de Socrate par Xénophon, dans les ouvrages philosophiques de Cicéron? Pourquoi, surtout, dans le Manuel d'Épictète et dans le livre de Marc Aurèle, qui tous les deux professaient les principes de la même école que Sénèque, les ressemblances avec les idées chrétiennes sont-elles si peu nombreuses? Le phénomène s'explique, si l'on admet que Sénèque a connu et fréquenté les chrétiens, et qu'il a vécu dans des rapports d'amitié avec le plus célèbre de leurs docteurs qui a passé deux années à Rome.

[1] Multa hujus generis loca collegit auctor libri inscripti *Seneca Christianus*, Augustæ, 1782; Posonii, 1803.

Digitized by Google

» Ce ne sont pas seulement des principes du christianisme qu'on trouve dans Sénèque ; on est bien plus étonné encore d'y trouver des phrases inusitées chez les écrivains profanes, et des mots pris dans des acceptions qu'ils n'ont que dans le *Nouveau-Testament*. Tel est l'emploi du mot *caro*, dans le sens biblique, qu'on ne remarque dans aucun écrivain païen [1]; celui du mot *angelus*, comme il est pris dans la vingtième lettre [2], et qui rappelle l'ange de Satan dont se plaint saint Paul [3], et que les interprètes prennent pour un faux apôtre ; telle est encore l'expression de *Saint-Esprit* que nous avons déjà citée, et celle de *progéniture* de Dieu, pour indiquer un homme de bien ; telle est la comparaison de la vie avec un état de guerre [4]. Toutes ces manières de parler sont exclusivement propres à Sénèque parmi tous les écrivains profanes.

» Rien, au reste, de ce que nous savons de la vie de saint Paul, ne jette la moindre invraisemblance sur la tradition qui le met en rapport avec le philosophe romain. Ce fut, d'après le calcul des plus savans critiques, au printems de l'an 61 après J.-C., que l'apôtre arriva à Rome ; le préfet du prétoire, auquel il fut remis, lui permit de demeurer dans une maison particulière avec un soldat qui le gardait à vue, et lui laissa toute liberté de voir ses amis. Ce préfet du Prétoire était Burrhus, l'ami de Sénèque. N'est-il pas naturel de penser que leur conversation sera tombée sur ce docteur juif, éloquent et hardi, qui, pour de nouvelles opinions religieuses, avait été persécuté en Palestine, et en avait appelé au tribunal de l'empereur? Sénèque n'aura-t-il pas été curieux de voir et d'entendre cet homme extraordinaire? Il est même probable que le nom de saint Paul était connu de Sénèque avant son arrivée à Rome.

[1] Animo cum hac carne grave certamen est, ne abstrahatur. *De Consol. ad Marciam*, c. 24.—Animus liber habitat ; nunquam me caro ista compellet ad metum. *Ep.* LXV.—Non est summa felicitatis nostræ in carne ponenda. *Ep.* LXXIV.

[2] Nec ego, Epicuri angelus, scio, etc.

[3] Ad Cor. XII, vs. 2.

[4] Epist. LI, XCVI.

Digitized by Google

Lors de son séjour à Corinthe, l'apôtre avait été amené devant le tribunal de Gallion; celui-ci refusa de prononcer dans une affaire qui concernait les opinions religieuses du plus intolérant et du plus méprisable de tous les peuples [1]. Mais ce gouverneur de l'Achaïe n'était autre que *M. Annæus Novatus*, ce frère de Sénèque qui, ayant passé par adoption dans une autre famille, avait pris les noms de *Junius Annæus Gallio*. Probablement le propréteur avait, dans sa correspondance avec son frère, parlé de ce docteur qui avait enseigné pendant dix-huit mois l'Évangile dans la capitale de sa province.

» Nous n'insisterons pas sur les *salutations des frères de la maison de César* qui se lisent à la fin de l'épître de saint Paul aux Philippiens, écrite à Rome; l'expression, *οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας*, désigne tout aussi bien les esclaves du prince que ses parens ou ses ministres, et l'on sait que, pendant long-tems, l'Évangile trouva surtout des adhérens parmi les classes les plus malheureuses de la société.

» Objectera-t-on qu'il est probable que, si Sénèque avait connu saint Paul et la doctrine qu'il annonçait, on trouverait dans ses écrits quelques traces de prédilection pour les chrétiens? Mais le philosophe romain peut avoir goûté la partie de cette doctrine qui se rapportait à l'unité de Dieu et à la manière dont il doit être adoré, sans que l'Évangile de la venue du Christ lui parût autre chose que le rêve d'un honnête enthousiaste; peut-être même partageait-il là-dessus l'opinion de ses confrères d'Athènes [2]. Sénèque n'était pas homme à se déclarer pour une secte méprisée par les uns, et regardée comme dangereuse par les autres, lui qui, dans sa jeunesse, renonça au régime pythagoricien auquel il avait pris goût, sur la seule observation de son père, que cette manière de vivre pourrait l'exposer à être pris pour un juif, à une époque où Tibère commencait à montrer du mécontentement contre cette secte étrangère [3].

[1] Act. XVIII, 12.
[2] *Voyez* Act. XVII, 18.
[3] Epist. CVIII.

Digitized by Google

» Une autre objection bien plus grave peut être tirée de la circonstance que la plupart des ouvrages de Sénèque ont été rédigés avant l'arrivée de saint Paul à Rome. On trancherait cette difficulté en adoptant le calcul de quelques savans, d'après lequel saint Paul fut envoyé à Rome dès 56, deux ans après l'avénement de Néron. Mais, sans recourir à cet expédient, on peut faire observer que les ressemblances avec les expressions de saint Paul et des autres écrivains sacrés ne se trouvent fréquemment que dans les derniers ouvrages de Sénèque, dans son traité de la Vie heureuse, dans celui des Bienfaits, qui tous les deux ont été rédigés après l'an 61, et surtout dans ses Lettres, écrites pendant la dernière époque de sa vie [1]. »

Quidquid de illo sive amicitiæ, sive Epistolarum, quod Paulum inter et Senecam interfuisse dicitur, commercio sentiendum sit, minime dubitandum est quin illæ quæ nunc servantur epistolæ non eæ sint quas inter se scripserunt, si quas revera scripserint [2]. Audiamus Erasmum de iis, quales nunc habemus, præfantem.

« His epistolis non video quid fingi possit frigidius aut ineptius, et tamen quisquis fuit auctor, hoc egit, ut nobis persuaderet Senecam fuisse Christianum. Divus Hieronymus non ignarus fuci, abusus est simplicium credulitate, ut Senecæ libros lectu cum primis dignos commendaret Christianis [3], qui tamen ma-

[1] Cæterum illius similitudinis causa esse posset quoque, quod Paulus Senecam legerit et imitatus fuerit, ut paulo post D. Justinus aliique Platonem sunt secuti.

[2] J. Lipsius suspicatur alias fuisse Senecæ et Pauli Epistolas, has vero in ludibrium nostrum compositas fuisse. Quem vide in Senecæ vita, cap. 10, fin. hujus edit. Vol. I, pag. XXXVI.

[3] « Lucius Annæus Seneca Cordubensis Photini stoici discipulus, patruus Lucani poetæ, continentissimæ vitæ fuit. Quem non ponerem in catalogo sanctorum nisi me illæ epistolæ provocarent, quæ leguntur a plurimis Pauli ad Senecam, et Senecæ ad Paulum. In quibus quum esset Neronis magister et illis temporibus potentissimus, optare se dicit ejus esse loci apud suos, cujus sit Paulus apud Christianos. Hic ante biennium quam Petrus et Paulus martyrio coronarentur, a Nerone interfectus est. »

Digitized by Google

jore cum fructu legentur, si legantur ut hominis pagani, quemadmodum initio præfati sumus [1]. Quum autem hæc scribantur clanculum inter ipsos, quam nihil est in Paulinis epistolis illo Pauli spiritu dignum, quam vix usquam audias nomen Christi, quum ille non soleat aliud crepare quam Jesum Christum! Deinde illum fortissimum Evangelii propugnatorem, quam facit in his epistolis formidolosum! Objurgat Senecam quod Neroni indicarit epistolas ipsius, quas in hoc scripserat, ut in omnibus ecclesiis legerentur, atque adeo seipsum redarguit

[1] In Epistola nuncupatoria ad R. D. Petrum Episcopum Cracoviensem: « Equidem, inquit, arbitror magis in rem esse lectoris, ut Senecæ libros legat, velut hominis ignari nostræ religionis. Etenim si legas illum ut paganum, scripsit Christiane; si ut Christianum, scripsit paganice. Quum autem in illo sint plurima, quæ segnitiem nostram possint ad virtutis studium accendere, habebunt eadem acriores aculeos, si cogitemus ab ethnico profecta. Apud illos enim sunt quædam ita dicta gestave, ut juxta Christianam quidem philosophiam vehementer sint improbanda, præ se ferant tamen miram virtutis indolem, velut illud Socratis: *Hoc unum scio, quod nihil scio*, quum sit absurde dictum, tamen exprobrat nobis nostram arrogantiam. Et Lucretiæ factum, quum sit optimo jure detestabile, nobis tamen commendat pudicitiæ studium, et hoc efficacius commendat, quod exemplum ab ethnica fœmina profectum sit. Itaque quod ad mores attinet, majore fructu legetur Seneca, si legatur, ut, quemadmodum fuit, paganus. Nam et Christiane dicta vehementius afficient, et secus dicta, minus lædent. Alioqui nusquam magis discrepat a Christiana philosophia, quam quum ea tractat, quæ nobis sunt præcipua. Caput enim nostræ religionis est, nosse Deum. At ille commonstraturus nobis quid sit deus: Deus, inquit, est totum hoc quod vides et non vides, quasi totus hic mundus sit ingens animal, cujus corpus sit oculis conspicuum, anima lateat, et hoc sit deus. Jam unusne sit deus, an plures, vehementer ambigit, et tamen frequenter iterat deos deasque. Rursus irridet eos, qui putant in hoc mundo nihil geri, quod hunc deum non fallat, perinde quasi culicem sentiat elephantus. Jam an anima supersit corpori sic disputat, quasi nihil referat, utrum credas. Alicubi, ut refert Tertullianus, pronuntiat omnia finiri morte, etiam ipsam. Postremo quoties incidit in sapientem illum Stoicum, sic eum attollit, ut frequenter diis æquet, nonnunquam et anteponat. Ait sapientem universam felicitatem suam sibi uni debere, diis nihil opus esse, immo deos aliquid debere sapienti. At pietas nobis persuasit, etiam passerculos et lilia deo curæ esse, tum hominem nihil habere ex sese boni, sed summam suæ felicitatis debere munificentiæ numinis. Quantum igitur sit periculi, si illa legantur velut a Christiano prodita! »

Digitized by Google

Apostolus, quod epistolis suis nomen suum soleat subscribere, et huc scilicet allegatur illud, omnibus esse placendum, et domino, nempe Cæsari, gerendum morem. Paulus cuiquam placeret dissimulato Evangelio, quum multo ante Romanis misisset liberam ac prolixam epistolam? Aut hoc docuit Paulus celandum Christianismum, ut placeas impio domino? Deinde Seneca nuntiat Paulo, quod Cæsar immanibus suppliciis sæviret in Christianos, quasi hoc Romæ cuiquam esset ignotum. Ad hæc, si quid metuebant, tutius poterant ore colloqui quam epistolis. Nec Paulus amore evangelii gravatus fuisset, vel in Sallustianos hortos venire, si Seneca metuebat venire Romam. Quanta copia, quanto affectu Paulus scribit uni Philemoni de re vulgari, et Senecæ tam celebri viro scribit, tam jejune, tam frigide de amplectendo Christum, hoc est, de re omnium maxima? Quando vero sic loqueretur Paulus : « et si *sors* prospere annuerit? » Non ausus est nominare Deum, quem Seneca paganus toties nominat in scriptis suis? Illud insignitæ cujusdam stultitiæ est, quod Seneca mittit Paulo librum de copia verborum, quo post hac melius scribat Romane. Atqui si Paulus nesciebat latine, poterat græce scribere, quum græce nosset Seneca. Qui convenit autem, ut quum Seneca doceat philosophi dictionem sententiis gravem potius, quam verbis ornatam esse debere, nunc in Paulo requirat Romani sermonis copiam? Illud omnium impudentissimum, quod quum faciat Senecam in apostolo desiderantem copiam et cultum sermonis, tamen in his epistolis nihilo cultius scribit Seneca quam Paulus; sed par est utriusque balbuties, et sensuum frigus atque ineptia. Saltem aliqua ex parte Senecæ phrasim æmulari debuerat, aliquid ex Paulinis epistolis effingere, vel vehementia et sublimitate dictionis. Scurrilis impudentia est sic facere loquentem Senecam : blasphemia est sic facere loquentem Paulum. Non dubito, quin vel mulio, vel agaso Senecæ minus inepte fuerit scripturus. Paulo vero quid est minus jejunum aut somniculosum? Et tamen in has epistolas exstant verbosi commentarii. Quid his judiciis cæcius? Hæc non admonerem, nisi talibus imposturis nimium et in aliis tribuant interdum Christiani.

Digitized by Google

Jam videamus quæ sit illa mirabilis sententia, quæ commovit Hieronymum, ut Senecam insereret catalogo sanctorum, in quo tamen commemorantur et Judæi, et hæretici ab ecclesiæ consortio digressi. In epistola quæ præcedit penultimam (XII) ita scribit, « Nam qui tuus est apud tuos locus, velim ut sit apud meos meus.» Hæc Hieronymus tribuit Senecæ modestiæ; atqui Paulus apud Christianos erat summo in pretio, ut pote apostolus, qui plus omnibus laboravit. An Seneca optat talis esse apud suos, hoc est, ethnicos? verum hoc qui finxit, fortassis huc alludit, quod Tacitus refert, illum invidia multorumque criminationibus jam gravatum, egisse cum Nerone, ut opes ac dignitatem liceret ipsi resignare qui dederat. Sed quid refert magnus ne sit an humilis, modo sit apud idololatras: optare potius debuit, ut sibi liceret vel inter humiles Pauli discipulos numerari. Talis vox poterat illum commendare Christianis affectibus. Postremo si verum est quod hæ fingunt epistolæ, quis unquam Christianus sibi fuit supplicii minister? Quis in uxore sua probavit, ut citra necessitatem sibi mortem consciscerel. Sed in balneum calidum illatus quum jam deficeret, sparsit aquam sanguine mixtam, et Socraticum quiddam referens dixit: « Hoc libo Jovi liberatori », per Jovem, ut aiunt, liberatorem, verum deum intelligens. Adeo ne moriens quidem ausus est nominare Christum [1]. Sed ego nimis multa de re nihili.

[1] Addenda sunt quæ, in supra laudata Epistola, idem Erasmus scripsit de eadem re: « Illis non assentior, qui certant Senecam facere Christianum Nicodemo similem, qui quum nullum habeant argumentum probabile, præter epistolas, quas post docebimus a studioso quopiam fuisse confictas, nullum prorsus habent argumentum, nisi quod sub eodem Cæsare vixerunt Romæ. Sed fingamus Senecam, quo non alius de contemnenda morte scripsit unquam, vel sæpius vel fortius, adeo fuisse meticulosum, ut ne in scriptis quidem extrema senecta proditis usquam subindicarit suam professionem; tam cautum, ut nihil suboluerit Neroni, qui quum illum decrevisset e medio tollere, et causas commentitias prætexeret, Christianismi crimen non objecit; illud quo colore defendemus, quod in extremis scriptis subinde loquitur deos et deas, subinde dubitat, num quid hominis supersit a funere? Ut largiamur esse fas metu mortis dissimulare Christianum, impia certe dissimulatio

Digitized by Google

I. SENECA PAULO SALUTEM.

Credo tibi, Paule, nuntiatum esse, quod heri cum Lucilio nostro de apocryphis et aliis rebus sermonem habuimus. Erant enim quidam disciplinarum tuarum comites nobiscum. Nam in hortos Sallustianos secesseramus, quo in loco occasione nostri alio tendentes, hi de quibus dixi, visis nobis adjuncti sunt. Certe tui præsentiam optavimus. Et hoc scias volo, libello tuo lecto, id est, quum legissemus de plurimis aliquas epistolas, quas ad aliquam civitatem, seu caput provinciæ direxisti, mira exhortatione vitam mortalem continentes, usque refecti sumus. Quos sensus non puto ex te dictos, sed per te, certe aliquando ex te et per te. Tanta enim majestas earum est rerum, tantaque generositate clarent, ut vix suffecturas putem ætates hominum, quibus institui perficique possint. Bene te valere, frater, cupio.

II. SENECÆ PAULUS SALUTEM.

Litteras tuas hilaris heri accepi, ad quas rescribere statim potui, si præsentiam juvenis, quem ad te missurus eram, habuissem. Scis enim quando, et per quem, et quo tempore, et cui quid dari committique debeat. Rogo ergo ne putes te neglectum, dum personæ qualitatem respicio, sed quod litteris meis vos bene acceptos alicubi scribis, felicem me arbitror tanti viri judicio. Neque enim hoc dicere censor, sophista, magister tanti princi-

est, quæ pietatem impietate dissimulat. Aliud est veste profana Christum occultare, aliud est libris editis pugnare cum Christi dogmatibus, et aliud est silere de Christo, aliud illo indigna loqui. Sed quorsum attinet hoc commentum? An ut libros illius Christianis hominibus commendent? »

Digitized by Google

pis, etiam omnium, nisi quia vere dicis. Opto te diu bene valere.

III. SENECA PAULO SALUTEM.

Quædam volumina ordinavi, et divisionibus suis statum eis dedi; ea quoque legere Cæsari sum destinatus, et si modo sors prospere annuerit, ut novas aures afferat, eris forsitan et tu præsens. Sin alias, reddam tibi diem, ut invicem hoc opus inspiciamus, et possim non ei prius edere hanc scripturam, nisi prius tecum conferam, si modo impune hoc fieri potuisset, ut scires et te non præteriri. Vale, Paule carissime.

IV. SENECÆ PAULUS SALUTEM.

Quotiescumque litteras tuas audio, præsentiam tuam cogito, nec aliud existimo, quam omni tempore te nobiscum esse. Quum primum itaque venire cœperis, invicem nos de proximo videbimus. Bene te valere opto.

V. SENECA PAULO SALUTEM.

Nimium tuo angimur secessu. Quid est, vel quæ res te remotum faciunt? Si indignatio domini, quod a ritu et secta veteri recesseris, et aliorsum conversus sis, erit postulandi locus, ut ratione factum, non levitate hoc existimetur. Vale.

VI. SENECÆ ET LUCILIO PAULUS SALUTEM.

De his quæ mihi scripsistis, non licet harundine et atramento eloqui, quarum altera res notat et designat aliquid, altera evidenter ostendit; præcipue quum sciam inter vos esse, id est, apud nos, et in vobis qui me intelligant : honor habendus est omnibus, tanto magis

Digitized by Google

quanto indignandi occasionem captant : quibus si patientiam demus, omnimodo eos quaqua parte vincemus, si modo hi sunt, qui pœnitentiam sui gerant. Bene valete.

VII. SENECA PAULO ET THEOPHILO SALUTEM.

Profiteor bene me acceptum in lectione litterarum tuarum, quas Galatis, Corinthiis, et Achæis misisti. Et ita invicem vivamus, ut etiam cum honore divino eas exhibeamus. Spiritus enim sanctus in te excelsior, et sublimior, et super te excelsos et sublimiores satis venerabiles sensus exprimit. Vellem itaque quum res eximias proferas, ut majestati earum cultus sermonis non desit. Et ne quid tibi, frater, surripiam, aut conscientiæ meæ debeam, confiteor Augustum sensibus tuis permotum, cui lecto virtutis in te exordio ista vox fuit, Mirari eum sic posse loqui, ut qui non legitime imbutus sit, taliter sentiat. Cui ego respondi, solere deos ore innocentium effari, aut eorum qui prævaricari doctrina quidem sua possunt, et dato ei exemplo Vaticani hominis rusticuli, cui quum duo viri apparuissent in agro Reatino, qui postea Castor et Pollux sunt nominati, satis instructus videtur. Vale.

VIII. PAULUS SENECÆ SALUTEM.

Licet non ignorem Cæsarem nostrum rerum admirandarum si quando deficiet amatorem esse, permittes tamen te non lædi, sed admoneri. Puto enim te graviter fecisse, quod ei in notitiam perferre voluisti, quod ritu et disciplinæ ejus sit contrarium. Quum et ille enim gentium deos colat, quid tibi visum sit, ut hoc eum scire velles non video, nisi nimio amore meo facere te hoc existimo. Rogo te de futuro, ne id agas. Cavendum est enim ne dum me diligis, offensam domini facias. Cujus quidem

Digitized by Google

offensa, nec oberit, si perseveraverit, neque si non sit, proderit. Si est regina, non indignabitur; si mulier est, offendetur. Bene vale.

IX. SENECA PAULO SALUTEM.

Scio te non tam tui causa commotum litteris, quas ad te de editione epistolarum tuarum Cæsari feci, quam natura rerum, quæ ita mentes hominum ab omnibus artibus et moribus rectis revocat, ut non hodie admirer: quippe ut is, qui multis documentis hoc jam notissimum habeam. Igitur nove agamus; si quid facile in præteritum jam factum est, veniam irrogabis. Misi tibi librum de verborum copia. Vale, Paule carissime.

X. PAULUS SENECÆ SALUTEM.

Quoties tibi scribo, et nomen meum tibi subscribo, gravem et sectæ meæ incongruentem rem facio. Debeo enim, ut sæpe professus sum, cum omnibus omnia esse, et idem observare in tuam personam, quod lex Romana honori senatus concessit, perlecta epistola, ultimum locum eligere, ne cum aporia et dedecore cupiam efficere, quod mei arbitrii fuerit. Vale, devotissime magister. Data v. Cal. Julii, Nerone IIII. et Messala Consulibus.

XI. SENECA PAULO SALUTEM.

Ave, mi Paule carissime. Putas me haud contristari, et non luctuosum esse, quod de innocentia vestra subinde sumuntur supplicia. Dehinc quod tam duros, tamque obnoxios vos reatu omnis populus judicet, putans a vobis effici, quicquid in urbe contrarium fit. Sed feramus æquo animo, et utamur foro, quod sors concessit, donec invicta felicitas finem malis imponat. Tulit et priscorum ætas

Digitized by Google

Macedonem Philippi filium, et post Darium, Dionysium; nostra quoque Caium Cæsarem. Quibus quicquid libuit, licuit. Incendium urbs Romana manifeste sæpe unde patiatur, constat. Sed si effari humilitas humana potuisset, quid causæ sit, et impune in his tenebris loqui liceret, jam omnes omnia viderent. Christiani et Judæi quasi machinatores incendii, supplicio affici solent. Grassator iste quisquis est, cui voluptas carnificina est, et mendacium velamentum, tempori suo destinatus est, et optimus quisque unum pro multis donatum est caput. Ita et hic devotus pro omnibus igni cremabitur. Centum triginta duæ domus, insulæ quatuor, sex diebus arsere; septimus pausam dedit. Bene te valere, frater, opto. Data v. Calend. April. Apronio et Capitone Coss.

XII. SENECA PAULO SALUTEM.

Ave, mi Paule carissime. Nisi mihi nominique meo vir tantus et ad id delectus omnibus modis, non dico fueris junctus, sed necessario mixtus, actum erit de Seneca tuo. Quum sis igitur vertex, et altissimorum omnium montium cacumen, noli latere; ita sim tibi proximus, ut alter similis tui deputer : haud itaque te indignum prima facie epistolarum nominandum censeas, ne tam tentare me, quam ludere videaris; quippe quum scias civem esse te Romanum. Nam qui tuus est apud tuos locus, velim, ut apud meos sit meus. Vale, mi Paule carissime. Data I. Cal. April. Apronio et Capitone Coss.

XIII. SENECA PAULO SALUTEM.

Ave, mi Paule carissime. Allegorice et ænigmatice multa a te usquequaque opera conduntur, et ideo rerum tanta vis et numeri tibi tributi, non ornamento verbo-

Digitized by Google

rum, sed cultu quodam decoranda est : nec vereare quod sæpius te dixisse retineo, multos qui talia affectent sensus corrumpere, rerum virtutes eviscerare. Cæterum mihi concedas velim, latinitati morem gerere, honestis vocibus speciem adhibere, ut generosi muneris concessio digne a te possit expediri. Bene vale. Data II. Nonis Jūl. Catone et Sabino Coss.

XIV. PAULUS SENECÆ SALUTEM.

Perpendenti tibi ea sunt revelata, quæ paucis divinitus concessit. Certis igitur ego in agro jam fertili semen fortissimum sero, non quidem materiam quæ corrumpi videtur, sed verbum stabile dei derivamentum crescentis et manentis in æternum, quod prudentia tua assecuta est, indeficiens fore debebit, Ethnicorum Israhelitarumque observationes censere vitandas. Novum te auctorem feceris, Christi Jesu præconiis ostendendo rhetoricis irreprehensibilem sophiam, quam propemodum adeptus regi temporali, ejusque domesticis atque fidis amicis insinuabis, quibus aspera et incapabilis erit persuasio, quum plerique eorum minime flectantur insinuationibus tuis, quibus vitale commodum sermo Dei instillatus, novum hominem sine corruptela, perpetuam animam parit ad Deum isthinc properantem. Vale, Seneca carissime nobis. Data Calendas August. Latone et Sabino Coss.

Digitized by Google

Digitized by Google

JUSTI LIPSII

PHYSIOLOGIÆ

STOICORUM

LIBRI TRES;

L. ANNÆI SENECÆ

ALIORUMQUE VETERUM SCRIPTIS,

IN PRIMIS QUÆSTIONIBUS NATURALIBUS ILLUSTRANDIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

JUSTI LIPSII

PHYSIOLOGIÆ

STOICORUM

LIBER PRIMUS.

DISSERTATIO PRIMA.

Aditus in sermonem : aliquid de ordine in docenda Philosophia, juxta Stoicos. Placere quibusdam, et nobis, a Physicis ordiri.

Auditor. *Manuductio* tua nuper me ad stoicam philosophiam duxit; nondum in ipsam; et in aditu ac vestibulo videor hærere. Lustro animi oculis sublime, pulchrum, ædificium : ecquid inducis, et interiora illa das usurpare? Lipsius. Pæne æquum petis : in via posui, et jure perducam. Sed et otium nunc ac feriæ : quas ubi melius utiliusque, quam in hoc studio ac meditatione, tecum ponam? Aristotelem memini scribere (vii Polit. cap. xv.) : « Fortitudine et tolerantia in negotio opus esse, Philosophia in otio. » Pulcherrime, ubi res et opus, exserenda sunt quæ Philosophia docuit, et robur animi ostendendum : ubi quies et cessatio, illa usurpanda, et præceptis ejus parandi atque instruendi velut ad aciem sumus. Sed tu ecquid vacuus, et avidus? Aud. Vacuus? vasculum vides inane, et optimi liquoris tamen capax. Avidus? vix somnus mihi quietus, ita turbat hoc desiderium et cupido. Gratificare, exple, et siste. Lips. Sede, et sedabo hanc sitim, pro mea quidem copia, et captu. Nam

Digitized by Google

ardua, sed ita me Deus, pulchra, splendida, augusta aggredimur: quæ autem cum Lucretio, I, 49;

Jam tibi de summa cæli ratione, deumque,
Disserere incipiam, et rerum primordia pandam.

Hæc enim Philosophia, et præsertim Physiologia, promittit.

Scis porro et audisti, trina esse Philosophiæ membra, *Logicam*, *Physicam*, *Ethicam*, ordine tractanda: sed quo, dubitatur. Laertius Stoicos ipsos dissentire inter se ait (in Zenone): « Et quosdam mixtim has Partes (alii Locos, alii Species, quidam Genera appellarunt) tradere ac docere, qui censent etiam inter se confusas mixtasque esse. Alii dividunt, inquit, et primam Logicam statuunt ac docent; dein Physicam; postremo Ethicam ipsam: quæ sententia est Zenonis, Chrysippi, Archidemi. Alii autem ab Ethica inchoant, ut Diogenes; alii hanc secundo loco constituunt, ut Apollodorus. Porro autem Panætius et Posidonius a Physica initium sumunt. » Hæc in Laertio ita leges, parte una ambigenda, quæ est de *Chrysippo*. Nam ipsa ejus verba in Plutarcho habes (de Stoic. pugnis, initio), ubi *Ethicam secundo loco* tradi vult, ut Apollodorus; non autem *tertio*, ut hic Laertio scriptum. Sed plerique tamen *Physicam* ultimo loco statuunt: et in ipsa Physica locum de *Diis* ultimum: « Ideoque, ait Chrysippus (Ibid.), et Teletas (ea vox Græcis *Finem* significat, itemque *Sacrorum initiationes, et ritus*) appellarunt, traditiones de Divinis. » Hæc ita illi: nobis in dissensu, Panætii et Posidonii, magnorum auctorum, sententia placeat, et consentiam sciscamque *Physica* primo loco tradi. Puerisne? non mehercules: sed qui paullum maturiores ad disciplinam hanc accedunt. Voluptas in ea parte major, idonea ad alliciendum et tenendum; dignitas etiam major, et splendor, admirationi excitandæ; denique animi præparatio et cultus, ad *Ethicam* cum fructu audiendam. Itaque ut de *Logica* ambigere aliquis jure possit, an non præeat; sic de *Ethica*, vix debet. In *Logica* enim manifestior ratio, quod acuit animos, et ad Veri Falsique discrimen et judicium format: imo et viam modumque Scientiæ sternit. Itaque, ut verum fatear, aliqua ejus notitia, sed summaria, utiliter præmittatur: cætera seponi possunt, immo et argutiæ multæ abjici aut deponi. « Quæ dementia est, supervacua

Digitized by Google

discere in tanta temporis egestate? » (Sen. Ep. XLVIII.) Nos autem eam hic insuper habemus, Auditor : quia et Aristotelea illa accurata (Logica) imbutum te scio ; et in Stoicas spinas non lubet nunc ingredi, quum in tristitia hac temporum suavius aliquod pabulum animo conveniat, reficiendo et erigendo.

DISSERTATIO II.

Physica laudata. Naturam communem et nostram eo ducere : fructum etiam invitare.

POTESTNE autem suavius, honestius, utilius isto *Physicorum?* Natura totum sinum suum offert, et pandit : supera, media, infera ; cælum, terras, ignem, aquas, aera ; quidquid iis continetur, Deum, Genios, Homines? ad hæc spectanda et noscenda invitat. Quem enim alium, quam te, id est, Hominem? « Non habet Natura inter maxima operum suorum, quo magis glorietur, aut cui glorietur » : ut scitissime Seneca dixit (de Benef. IV, cap. 23). Naturam dixi, intelligo Deum. Epictetus : « Deus hominem induxit in hunc Mundum, inspectorem et arbitrum sui, atque operum suorum : nec solum inspectorem, sed enarratorem. » Ita certe. Magna hæc et pulcherrima moles, tot varia et magna per eam sparsa, hominis causa condita : homo autem, ut Deum norit, tum et ista ; « Ne tanta ejus opera sine teste sint. » (Sen. de Vit. Beat. c. 31.) Itaque invitat eo, ut dixi, atque adeo corpus et habitum nostrum huc direxit. « Ille certe vultus nostros erexit in cælum, et quidquid magnificum mirumque fecerat, videri a suspicientibus voluit. » (Epist. XCIV.) Ipse etiam animus eo ducit, vagus natura, et varietate ac novitate rerum lætissimus. Ille in hoc corpore, velut in custodia clausus, premitur : nisi Contemplatio accessit, « Quæ illum respirare rerum Naturæ spectaculo jubeat, et a terrenis dimittat ad divina. Hæc libertas ejus, hæc evagatio est : subducit interim se custodia, in qua tenetur, et cælo reficitur. » (Epist. LXV.) Cælo, atque etiam terra : cujus incola est : et totius mundi civis, nosse patriam suam avet. Quid incola? immo advena, et ut in magnum conventum ac panegyrim qui veniunt, partim emunt, partim vendunt, honestissimi

Digitized by Google

quique spectandi gratia fruuntur : sic iste ingenuus, et altæ originis suæ memor, non emit, vendit, agellos, pecudes, ædes, magistratus; sed causas magni conventus ; et quæ in eo, inquirit : Quis mundum hunc condidit ? quis administrat? quæ illa mira in aere, tonitru, fulmen, venti ? qui in cælo perennes et lucidi ignes ? Mare cur vices suas fluendi refluendique habet? in terra quid est quod eam concutit et movet? Atque in hac inquisitione deinde mulcens quædam, et simul percellens, admiratio : quæ mater, ut sic dicam, Sapientiam parit. Plato (in Theæteto.) : « Valde Philosophi illa affectio est, Admirari : neque alia origo et initium Philosophiæ, quam ista. » Nobilis discipulus, ab eo (Aristot. I, Post. phys. cap. 11) : « Propter Admirationem, homines olim et nunc Philosophari cœperunt. » Ita est : ab illa inquirere in causas rerum cœperunt; et repertis, ipsa desiit : secutusque pulcherrimus Philosophiæ fructus, *Nil admirari*. Ab inquisitione enim cognitio et Veritas : « Qua nullus animo suavior est cibus. » (Lactant. I, cap. 1.) Seneca noster apposite (VI Nat. Quæst. cap. 4) « « Quod erit pretium operæ? quo nullum majus est, nosse naturam. Neque enim quidquam habet in se hujus materiæ tractatio pulchrius, quum multa habeat futura usui, quam quod hominem magnificentia sui detinet : nec mercede, sed miraculo colitur. » Et mehercules in ipsa ea cognitione alii etiam fructus, ut Seneca tangit. Quid ? duo præcipui, Modestia, et Magnanimitas, quos Cicero (IV de Fin.) porrigit et revelat : « Modestiam quamdam, inquit, rerum cælestium cognitio affert iis qui vident, quanta sit etiam apud Deos moderatio, quantus ordo : et magnitudinem animi, Deorum opera et facta cernentibus. » Verissime : nec ad Modestiam solum ab illa moderatione componimur, sed etiam a comparatione nostri nostrorumque ; et quam vilia, fugacia, levia hæc omnia, præ illis augustis et æternis sint. Idem Cicero alibi (Acad. prior. II) de utroque affectu : « Erigimur, elatiores fieri videmur, humana despicimus ; cogitantesque supera atque cælestia, hæc nostra, ut exigua et minima contemnimus. » Tunc scilicet juvat, « inter sidera ipsa vagantem, divitum pavimenta ridere, et totam cum auro suo terram. » (Senec. I Quæst. Nat. Præf.) Et in ea deinde parte « terrarum orbem despicientem, angustum, et magna ex parte

Digitized by Google

mari opertum, dicere : hoc est punctum, quod inter tot gentes ferro et igni dividitur. » (Ibid.) Quid autem, quum homines videt varia et magna, ut putant, molientes? mercimonia, vadimonia, bella, agitantes? quid dicent nisi

It nigrum campis agmen?

Et revera, « Formicarum iste discursus est, in angusto laborantium. » (Ibid.) Itaque, mi Auditor, suavitate et fructu impulsi, huc eamus :

..... Cælum, mare, sidera, solem
Lunaique globum

avidi lustremus : et totum hunc Naturæ sinum excutientes, opibus donisque ejus, gnari gratique perfruamur.

DISSERTATIO III.

Physicæ partitio; et a Principiis ordiendum videri primumque a Deo et divinis; quæ pars Theologia Naturalis dicta.

Aud. Ah! fruamur, jam induc me, et ostende. Lips. Diffusum et multiplex opus est : sed ordine et compendio contrahemus. Stoicorum partitio hæc fuit, ex Seneca (Epistola LXXXIX) : « Naturalis pars Philosophiæ in duo scinditur, Corporalia et Incorporalia. Utraque dividuntur in suos, ut ita dicam, gradus. Corporum locus in hos primum, in ea quæ Faciunt, et quæ ex his Gignuntur. Gignuntur autem Elementa. » Itaque duplex erat tractatio, *Corporum*, et *Non-corporum*. Ad Corpora spectant Principia, id est, Senecæ verbis, *Quæ faciunt;* et deinde *Elementa*, quæ scilicet fiunt, et *ex his Gignuntur*. Elementorum nomine ipse Mundus comprehenditur, qui quatuor his præcipuis membris constat : et reliqua minora deinde ex illis fiunt. *Non-corpora* autem sunt Stoicis (postea videndum lib. II, Dissert. V) *Vacuum*, *Tempus*, *Locus*, *Categorema*, et si quid est tale. Sex ex Senecæ igitur verbis ordiri a Principiis debemus : et ratio eo ducit, a simplicibus ad composita facere gradum. Duo ea sunt, *Deus* et *Materia*, quod statim diducam : ergo a Deo ordiendum, quod faciemus cum bono ipso Deo. Hæc pars

Digitized by Google

Theologia Græcis dicitur, interdum *Prima Philosophia*, aut simpliciter *Sapientia*, ab eminenti scilicet dignitate. Nam quid majus aut amplius, quam Deum et divina intueri, agnoscere? ipsum illum *Principem*, minores *Genios*, *Providentiam*, *Fatum*, et quæ adhærent? Est autem ista Theologia, *Naturalis* antiquis dicta : quia vel aperit naturam istorum, vel et causas in vero, et in natura habet. Nam alioqui triplex iis fuit *Theologia*, Varrone apud Augustinum (VI De Civit. D. c. 5), pulchre distinguente : « Fabularis, Naturalis, Civilis. Fabularis, qua maxime utuntur Poetæ; Naturalis qua Philosophi; Civilis, qua Populi. » Addit deinde, et partite explicat : « Primum genus quod dixi, in eo sunt multa contra dignitatem et naturam immortalium ficta. In hoc enim est, ut Deus aliquis ex capite, aliquis ex femore sit, alius ex guttis sanguinis natus : in hoc, ut Dii furati sint, ut adulteraverint, ut servierint homini. Denique in hoc omnia Diis attribuuntur, quæ non modo in hominem, sed etiam quæ in contemptissimum hominem cadere possunt. At secundum genus est, quod demonstravi, de quo multos libros Philosophi reliquerunt. In quibus est, Dii quid sint, Ubi, Quod genus, Quale, Ex quonam tempore, an sempiterno fuerint : an ex Igne sint, ut credit Heraclitus; an ex Numeris, ut Pythagoras; an ex Atomis, ut Epicurus. Sic alia, quæ facilius intra parietes in schola, quam extra in foro ferre possunt aures. Tertium genus est, quod in urbibus cives, maxime sacerdotes, nosse atque administrare debent. In quo est, quos Deos publice colere, quæ sacra et sacrificia facere quemque par sit. » Et clausula ejus, ac judicium : « Prima Theologia maxime accommodata est ad theatrum; secunda ad mundum; Tertia ad urbem. » Ex quibus liquet, ait Augustinus, illum palmam tribuere « Secundæ, quam pertinere testatur ad Mundum, quo isti nihil excellentius opinantur in rebus. » Observa de Mundo; quidni autem ad eum pertineat *Naturalis Theologia*, quum ipse *Natura* sit *rerum;* mox docendum; et Dii hanc sedem habeant, ac regnum? Itemque observa, *istos excellentius opinari :* quos *istos?* Stoicos proprie, qui Mundum etiam faciunt Deum. Ecce igitur Theologiam, de qua nobis disserendum, et primo quidem : sive quia *Deus* Stoicis inter prima Principia, ut dixi; sive quia

Digitized by Google

dignitas hoc postulat, et primum summumque illud rerum inter prima dici. Priorem rationem etiam Cicero expressit (De Univ.) : « Qui intelligentiæ Sapientiæque se amatorem profitetur, necesse est Sapientis intelligentisque Naturæ (id est, Mundi) primas causas conquirere : deinde secundas rerum earum quæ necessario movent alias, quum ipsæ ab aliis moventur. » Ades igitur animo, et ad alta hæc atque divina mecum transcende. Non enim, ut plerique alii Philosophi, pauca et tenuia de his Stoici, sed ubertim et accurate scripserunt : et quanquam pauca exstent, tamen vel ex iis videbis et miraberis, quo mentem miserint, et quam ad ipsius Veri sæpe metam. O quam decet germanum Philosophum ! qui, quantum potest, « animum deducit a corpore, et multum cum meliore ac divina parte versatur : cum hac querula ac fragili, quantum necesse est. » (Sen. Epist. LXXVIII.) Itaque de illo vere dicitur:

Mente Deos adiit, et quæ Natura negavit
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

Quidni autem adeat? illinc ortus, illuc redit : « et hoc habet argumentum divinitatis suæ, quod illum divina delectent : nec ut alienis interest, sed ut suis. » (Natur. Quæst. I, in Præf.) Atque non capiet, inquies. Conabitur, et vel vestigiis aliquid indagasse, quid assecutum esse? delectabit : Aristoteles hoc pulchre (De part. anim. I, cap. ult.) : « Et si res mortales istas inferasque, quod eæ propiores nobis et magis familiares sint, plenius nosse possimus : tamen res illas superas si vel leviter attingere datur, ob ejus notitiæ excellentiam, illa ipsa levi magis pascimur et oblectamur, quam si ista universa norimus. Non aliter quam amatoribus suavius est, amicæ suæ vel partem oculo delibare, quam aliarum tota membra corpusque inspicere. » Pulchre, inquam : et tantum interest inter utrasque illas notitias, quantum inter humum et cælum, hominem et Deum. Conemur igitur « alia quidem (ut cum Ocello dicam, De Natur. Universi), certis indiciis signisque ab ipsa Natura discentes ; alia opinatione etiam, Rationis auxilio, ad id quod probabile est intellectu ducente, assequentes. » Nam certa et plena horum scientia, uni Deo convenit : quod Plato tibi dicat (In Apolog.) : « Ita est, solus Deus revera sapiens habendus : et humana omnis sapientia, in

Digitized by Google

parvo, aut nullo est. » Itaque jam nunc ad Modestiam te meque voco; me disserendi aut asserendi, te censendi vel assentiendi: et cum Aristotele præscribo, « nunquam nos verecundiores esse debere, quam quum de Diis agitur. » O jure! o merito! « Si enim intramus templa compositi, si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, et in omne argumentum Modestiæ fingimur, quanto hoc magis facere debemus, cum de sideribus, de stellis, de Deorum natura disputamus? ne quid temere, ne quid imprudenter aut ignoranter affirmemus: aut scientes mentiamur. » (Sen. VII Quæst. Nat. cap. 30.)

DISSERTATIO IV.

Duo rerum Principia Stoicis esse, Efficiens et Patiens: illud, Deum; hoc, Materiam.

Habes de Theologia: ordiamur, et quidem a *Principiis* primis. Ea differunt ab *Elementis*, quod clarum est: etsi Seneca etiam hac voce visus comprehendere in hisce verbis (Epist. LXXXIX): « Ipse Elementi locus, ut quidam putant, simplex est: ut quidam, in Materiam et Causam omnia moventem, et Elementa dividitur. » Itaque quidam una voce et loco utraque illa Principia comprehendebant: alii aliter, quibus Stoici, opinor, nostri accedebant. Nam Laertius, inter Stoica: « Differre aiunt Principia et Elementa; nam illa, genituræ et corruptionis esse expertia; hæc autem, in Universi conflagratione interire. Item [1] corpora sed informia esse Principia; hæc autem formas suscipere [2]. » Clarum est, neque aliter Plato et Aristoteles censuerunt. Elementa prius aliquid habent, et ipsa e Principiis oriuntur: at Principia ideo dicta, quia nihil iis prius, et causam ut sint præbent aliis, causam ipsa non agnoscunt. Variis varia sunt, et vix ulla in re major, quam in hoc capite, dissensus: sed Stoici duo ea ponunt, *Agens* et *Patiens*: sive Deum, et Materiam. Laertius: « Videtur Stoicis duo esse universorum Prin-

[1] De hac lectione aut sententia dico lib. II, infra, Dissert v.

[2] Eadem Stob. in Physic. cap. 13, et Plutarch. I De Plac. cap. 11.

Digitized by Google

cipia, Efficiens et Patiens. Et Patiens quidem, qualitatis exsortem essentiam, Materiam : Efficiens autem, Rationem quæ in ipsa est, sive Deum. » Seneca item diffuse (Epist. LXV) : « Dicunt, ut scis, Stoici nostri, duo esse in rerum natura, ex quibus omnia fiant ; Causam et Materiam. Materia jacet iners, res ad omnia parata, cessatura si nemo moveat : Causa autem, id est, Ratio, Materiam format, et quocumque vult, versat : ex illa varia opera producit. Esse ergo debet aliquid Unde fiat, deinde a Quo fiat : hoc Causa est, illud Materia. » Et statim : « Quærimus quid sit Causa? Ratio faciens, id est, Deus. » Iterumque : « Nempe universa ex Materia, et ex Deo constant. » Cicero (Acad.) : « Naturam dividebant in res duas : ut altera esset Efficiens, altera autem quasi huic se præbens, ex qua efficeretur aliquid. In eo quod Efficeret, Vim esse censebant : in eo quod efficeretur, Materiam quamdam : in utroque tamen utrumque. Neque enim Materiam ipsam cohærere potuisse, si nulla Vi contineretur ; neque Vim sine aliqua Materia. Nihil est enim, quod non alicubi esse cogatur. » In quo tamen opinio, sive error vetus notandus, censentium Materiam simul Deo æternam, nec alterum sine altero fuisse. Observa etiam, *Naturam sic dividi* ; quod Platonicum est, itemque Stoicum : et in illorum dogmatis Apuleius (De Dogmate Plat.) : « Τὰς οὐσίας, quas Essentias dicimus (sive Naturas), duas esse ait Plato, per quas cuncta gignantur, Mundusque ipse ; quarum una, cogitatione sola concipitur (Deus) : altera, sensibus subjici potest », quæ est Materia. Itemque de eo Laertius (In Platone) : « Duo rerum omnium Principia Plato statuit, Deum et Materiam ; quem illum etiam Mentem appellat, et Causam. » Hæc autem vetus, et ab ipso Homero (Odyss. δ) est opinio, ut censent, qui « Proteum, et Eidotheam induxit allegorice : primam quidem et principem causam (ipsa vox dicit) Proteum appellans : quæ autem in species vertitur Essentiam, Eidotheam. » (Empir. adv. Mathem.) Quid Thales ; *Mentem* et *Aquam* Initia posuit : recta interpretatione, Deum et Materiam. Pythagoras idem : cui Μονὰς, *Unio*, est Mens, sive Deus ; Δυὰς, *Binio*, Materia. Simile in plerisque aliis, si lubet examinare : et veritas hæc multis innotuit.

Digitized by Google

DISSERTATIO V.

Ea ipsa, Naturas appellari : sed eminenter, Deum. Itemque Mundum in hoc nomen venire.

Diximus *Essentias* sive *Naturas* duas esse : quod uberius paulo diducendum est, et mens ac sermo hic Stoicorum explicanda. Lactantius præeat (lib. VII, c. 3) : « Stoici Naturam in duas dividunt partes ; unam quæ Efficiat ; alteram, quæ se ad faciendum tractabilem præstet. In illa prima esse Vim faciendi ; in hac Materiam, nec alterum sine altero esse posse. Ita isti uno Naturæ nomine res diversissimas comprehenderunt, Deum et Mundum, Artificem et Opus, dicuntque alterum sine altero nihil posse, tanquam Natura sit Deus Mundo permixtus. Nam interdum sic confundunt, ut sit Deus ipsa Mens mundi, et Mundus sit Corpus Dei. » Habes fere quæ Cicero supra, sed paulo magis explicata : videsque et Deum *Naturam* dici, et Materiam. Sed illum maxime, quatenus tamen insertus est Mundo, et molem hanc animat, continetque. Laertii ista mens (In Zenone) : « Naturam modo dicunt, eam quæ Mundum continet ; modo illam quæ gignit producitque super terram. » Prima illa dictio, est nostra : et Cicero palam huc adspexit, immo vertit, quum scripsit (II De Natur. deor.) : « Natura est igitur quæ Continet Mundum omnem, eumque tuetur : atque ea quidem non sine sensu atque ratione. » Sine sensu quomodo possit, quum ipsa sit illa « sentiens et intelligens », id est, Deus ? Idem scriptor : « Mundum et ejus partes Natura sentiente teneri, in qua Ratio perfecta insit, quæ sit eadem sempiterna. Quam vim animum esse dicunt Mundi, eamdemque esse Mentem Sapientiamque divinam. » Vides clare, hanc Naturam, Mentem esse Dei et Rationem, uno verbo Deum : quid enim in illo, nisi nostra distinctione, distinctum ? Seneca (IV De Benef. cap. 7) : « Quid aliud est Natura, quam Deus, et divina Ratio, toti mundo et partibus ejus inserta ? » Et alibi (II Quæst. Natur. cap. 45) causam etiam appellationis adjungit : « Vis Deum et Naturam vocare ? non peccabis ; est enim ex quo nata sunt omnia. » Lactantius ponit hoc, et approbat (lib. II,

Digitized by Google

cap. 9) : « Melius igitur Stoicorum omnium acutissimus Seneca, qui vidit nihil aliud Naturam esse, quam Deum. » Ipsum hoc Plinius (lib. II, cap. 7), plurimum sane Stoicus : « Declaratur Naturæ potentia, idque esse quod Deum vocamus. » Et iterum : « Hic est Deus, per quem intelligitur eadem, et parens rerum omnium et magistra, Natura. » Sed in verbis Lactantii etiam erat, « Mundum a Stoicis Naturam vocari. » Quod verum est, ut in Seneca (Consol. ad Helv. cap. 8) : « Quocumque venerimus, eadem rerum Natura utendum est. » Plinio (lib. II, cap. 1) : « Idemque mundus rerum Naturæ opus, et rerum ipsa Natura. » Quid ita ? quia Mundus et a Deo prima Natura factus est ; et ipse illi insertus, facit Mundum dici Deum. Confundunt igitur, ut Manilius (lib. I), obscuriusculo aliter versu :

Materiæque datum est cogi, sed cogere Mundo :

quod est, Materiam pati ; Deum agere, qui dicitur et Mundus. Atque eadem ista Natura rerum, *Communis* etiam Stoicis dicitur, ut a Particulari cujusque rei abjungant. Sic Seneca (Consol. ad Helv. cap. 8) : « Duo nos pulcherrima, quocumque movebimur, sequentur, Natura Communis et propria Virtus. » Chrysippus apud Plutarchum : « Quod si aliqua Communis Natura, et Communis etiam ipsius Naturæ Ratio, nec Antipodas quidem latet. » Observa. Communis est Natura, atque etiam Ratio in ea Communis, quæ omnia digerit et format. Longe enim Stoici nostri ab illis, qui brutam aliquam et sine sensu Naturam statuebant, omnia gignentem ac conservantem. Inter quos Strato Physicus nobilis, apud Lactantium (lib. De Ira Dei, cap. 10) : « Habere Naturam in se vim gignendi et minuendi, sed eam nec sensum habere ullum, nec figuram. » Idem magnus ille Hippocrates videtur censuisse (VI Epidem.) : « Invenit, inquit, ipsa sibi Natura vias non ex ratiocinatione. » Et iterum : « Indocta est Natura, ex seipsa gnara eorum quæ facere debet. » Profecto hi tales Divinitatem concutiunt aut evertunt : « et quum vellent persuadere », ait Lactantius (lib. III, cap. 28), « nihil esse divina mente perfectum, Naturam dixerunt esse rerum omnium matrem : quasi dicerent, omnia sua sponte esse nata. » Et de iisdem ipsis : « Probabile est, inquiunt, Materiam rerum et habere

Digitized by Google

et habuisse Naturam suam et vim. » Quasi igitur in ipsa Materia tale insitum quod produceret : sed brutum et sensus expers, ut Materia ipsa. Quod refellit idem egregie : « Quam vim potuit habere, nullo dante? quam Naturam, nullo generante? Si habuit vim, ab aliquo eam assumpsit : a quo autem assumere, nisi a Deo potuit? » Sed et Plato ostendit, olim sic fuisse qui desiperent plures. « Hoc multorum dogma est, inquit (In Sophista, et X De Legib.), Naturam omnia gignere sua sponte et vi, et sine Ratione aliqua producente. » Quid autem tu, Plato? Ego vero assero, inquit, « quod cum Ratione fiant, et divina Scientia, et ab ipso Deo. » Iterumque alibi (In Phileto) : « Naturam juxta Rationem, et cum Ratione ac Mente, cuncta adornare. »

DISSERTATIO VI.

Definitio Communis Naturæ, id est, Dei. Ignem esse, et dici Stoicis, atque etiam priscis.

Sed quæ est igitur Stoicis ista Natura, et quomodo definitur? Habes apud Laertium (in Zen.) : « Censent ipsi Naturam esse ignem artificialem, via progredientem ad generationem, quod est, Spiritus ignis et artis similitudinem præ se ferens. » Ipsa hæc finitio Zenoni tribuitur a Cicerone (II. de Natur. Deor.) : « Zeno naturam definit, ignem esse artificiosum, ad gignendum progredientem via. » Quare *Ignem?* quia Stoici vim et vitam omnem Mundi, atque ipsum adeo Deum in igne ponebant, immo Deum esse. Sed ignem non quemcumque, non hunc nostrum corruptorem et corruptibilem ; sed *artificiosum :* id est, artificem atque opificem, condentem ratione et velut arte, vegetantem ac servantem. Dixi *velut arte,* et Laertius bene interpretatur : simile duntaxat aliquid in eo spiritu ignis et artis esse. Cicero hoc explicat (II Nat. Deor.) : « Artis enim maxime proprium esse creare et gignere : quodque in operibus nostrarum artium manus efficiant, id multo artificiosius Naturam. » Itaque dicitur ab iisdem « Natura, magistra artium reliquarum : » item, « provida et solers : » denique, « qua nihil potest esse callidius. » (Cic. pluribus

Digitized by Google

loc.) Ideoque iidem Stoici plurimum generationi rerum *Rationem* præficiunt, et sic loquuntur ; ut Seneca (de Vit. beat. c. 32) : « Quæ Ratio mersa et confusa diduxerit. » Iterum : « Incorporalis Ratio ingentium operum artifex. » Quia scilicet artifice hac ratione administrante Deus e confusa et rudi Materie omnia formavit. Hæc igitur Natura : atque adeo hæc est Deus. Semel enim et serio hoc disce, Ignem istum et *Naturam* ἐξόχως et eximie, supra Materiam, dici; eumdemque Deum : et fieri omnia ab illo, atque etiam (ita locuti nostri supra, si observasti) ex illo. Nihil enim est sine mixtione hac aliqua Ignis. Itaque Stoici iidem hanc dictam definitionem tribuunt etiam Deo. Plutarchus et Stobæus aperte : « Deum Stoici dicunt εἶναι πῦρ τεχνικὸν· ὁδῷ βαδίζον ἐπὶ γενέσει κόσμου, ἐμπεριειληφὸς πάντας τοὺς σπερματικοὺς λόγους, καθ' οὓς ἕκαστα κατ' εἱμαρμένην γίγνεται· esse ignem artificiosum, via vadentem in generatione Mundi, continentem intra se omnes seminales rationes, juxta quas singula Fato deinde fiunt. » Ait, ἐπὶ γενέσει, quod tamen in Athenagora (de Resurr.), ubi eadem hæc descriptio, legitur, ἐπὶ γενέσεις, *in generationibus*, quod non rejicias, immo eligas pro Stoica mente, qui plures mundos, alium post alium, a conflagratione constituebant. Dicit et *Mundi*, non rerum singularium *generationem :* quia primarium Dei opus illud est, et in eo, occultis Fati seminibus, singularium rerum ortus abortusque, et quod adhæret, inclusi. Nam ignis ille *complectitur*, inquit, *in se rationes omnes seminales :* id est, rerum omnium Ideas, sive exemplaria formasque, ut Plato appellat. Sed nostri *Seminum* comparatione magis utuntur : quia inclusa in iis et occulta, quæ mox producuntur. Placuit et Trismegisto (cap. 14) hæc imago. « Vides, inquit, agricolam, semen in terram projicientem, ibi frumentum, ibi hordeum, ibi aliud? Tale est Deus, qui in cælo quidem seminat immortalitatem, in terra mutationem, in universo motum et vitam. » Ecce seminales *Rationes :* et ipsa ea voce Damascenus noster utitur et agnoscit (de Orthodoxa fide, cap. 13) : « Deus, inquit, omnium auctor est, et omnium quæ sunt Rationes in se et causas jam ante habet. » Ipse, inquam, et habet et continet : ideoque bene e Stobæo et Athenagora ἐμπεριειληφὸς protuli, etsi in Plutarcho ἐμπεριειληφότος editur, *continentis*, ut ad *Mundum* referatur. Ultimum deinde

Digitized by Google

erat, « juxta eas rationes Fato omnia fieri, » quæ est implexa series causarum, et rebus insita, locis suis et temporibus proferenda : de qua dictum alibi et dicendum. Jam hæc, opinor, capis. Aud. Capio, non etiam probo; nam quis Deum ignem censeat, aut quæ ratio huc duxit? Lips. Neque nimis tamen hæc aliena a Ratione, immo a religione nostra cense, cui dictio ista alludit : non enim dicam, assentit. De Ratione, movit eos quod a calore aut igne omnem vigorem aut vitam viderent, ut tetigi; in ipso etiam Animo nostro acrimoniam et sensum. Itaque jamdiu ante Parmenides et Hippasus dixerant, « principium rerum Ignem esse; » quid nisi Deum? Heraclitus etiam apertius, Deum definivit : « Ambientem et circulantem ignem æternum, » id est astra et ætherem. Homerum etiam eo trahere possis, qui « divinum ignem » ideo dixisse videatur. Nam Hippocrates quidem apertissime (de Princip.) : « Videtur mihi id quod Calidum, sive Ignem, dicimus, immortale esse, et intelligere omnia, et videre, et audire, et scire omnia præsentia et futura. » Potest aliquid, ante natos Stoicos, magis Stoicum? Tribuit enim Æternitatem, Sensus, Intellectum, Scientiam et Præscientiam. Neque dissimilia Plinius de Deo : « Quisquis est, inquit, Deus, totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui. » Quid mirum tota hæc in eo esse, a quo sic largiter dimanant, partita omni ævo in omnes? Sed profanos ut omittam, sacri scriptores huc etiam eunt. Liceat Ter-maximum inter eos recensere, cujus philosophia valde cum Mosaica (in multis quidem) consentit. Ille passim Deum φῶτα, sive *Lumen;* et Dei filium φωτεινὸν λόγον, *Lucidum verbum* appellat. Ille autem Stoicorum ignis Lux et Splendor verius est, cum calore tamen, quam densus aliquis Ignis. Enimvero ipse Moises imaginem istam Deo donat : et *apparuisse sibi* scribit, *in rubo ardente;* Israelitis præivisse, *in columna ignis;* sed et *Ignis consumens* alibi appellatur. Quid, quod sacer ille Spiritus in Apostolos venit et se ostendit, *in Linguis igneis?* Non quod Ignem Deum dicamus, absit : sed quod illæ « divinæ proprietatis (verba Dionysii Areopagitæ, cap. 15 de Divin. Nom.) inter hæc, quæ sub oculos cadunt, plurimas imagines habeat. » Itaque Stoici haud nimis absurdi, si divinitatem illi dederunt : quod et

Digitized by Google

consensu pleræque gentes, velut natura præeunte, fecerunt, qui Vestam scilicet et ignem perpetuum coluerunt. De quo scripsimus aliquid in Syntagmate *De Vesta*.

DISSERTATIO VII.

Aliæ definitiones Dei, in quibus, Spiritus, Animus, Mens, Ratio dicitur, et per omnia diffundi.

At vero cautius etiam et veritati propius Stoici locuti, quum Deum definierunt non *Ignem*, sed *Spiritum Igneum*. Ita enim Posidonius, cujus hæc verba in Stobæo : « Deus est Spiritus intelligens et igneus, formam ipse non habens, sed in omnes se vertens, et omnibus assimilans. » Ait *Spiritum* esse, et quidem *intelligentem* : quis hæc abnuat? addit *Igneum*, et sensu aliquo feras, ut sit in illo puro et æthereo igne. Sic enim et Democritus : « Deum esse mentem in igne spherico. » Et Plato apud Justinum Martyrem, Deum locat « in ignea substantia. » Addit : « Formam non habere », verissime ; et huc Lactantius adspexit, dum scripsit : « Stoici negant ullam formam habere Deum. » Sed quanquam ipse formam non habeat, non certe ullam adspectabilem, tamen omnes formas format, atque in iis se ostendit. Ipsa hæc Posidonii ita Trismegistus (cap. 11) : « Unam quidem Ideam et formam Deus habet, quæ propria est ejus, sed quæ humanis adspectibus non subjicitur, ut quæ sit incorporea : et omnes tamen formas per corpora ostendit. » Itaque bene dicitur, Deum nemo vidit : et, omnes in omnibus quotidie vident. Sed redeo ad *Spiritum*, ne crassulos ita fuisse Stoicos opinemur. Idem igitur Posidonio jam ante Zeno dixerat : « Deum esse Spiritum, pertinentem per totum Mundum. » Quod tamen Cicero vertit (I de Nat. Deor.) : « Rationem quamdam, per omnem Naturam pertinentem » : et ipsa hæc attribuit Zenoni. Nam *Rationem* aut *Spiritum* dicas, haud interest, aut leviter interest ; sicut si *Animam*, *Animum*, *Mentem* (nam et sic appellant) ; nisi quod illa nobilior Animæ pars *Animus*, *Mens*, *Ratio* magis suevit vocari. Ita enim iterum hoc ipsum aliter Cicero, sed Pythagoræ adscribit (Ibidem) : « Deum esse Animum, per Naturam rerum omnem intentum et commeantem. » E quo totidem verbis

Digitized by Google

Minutius Felix eleganti illo Dialogo transscripsit. Est igitur hæc omnia ; et sic Virgilius :

> Spiritus intus alit, totamque infusa per artus.
> Mens agitat molem.

Et Cicero (Acad. II, § 119) : « Mundum esse Sapientem, et habere mentem, quæ et se, et ipsum fabricata sit et omnia moderetur, moveat, regat. » *Mundum*, inquit, *fabricata est :* scimus, sed quod præit, *et se fabricatam* esse, quo sensu verum erit? Nam Mens quidem illa æterna : nisi velit, in exustione Mundi, hanc Mentem confusam cum Materie sedem et splendorem nondum habere ; fabricare ea sibi et disponere in condito jam mundo. Sed simplicius fortasse scribi : *quæ et ipsum fabricata.* At his etiam nominibus Julius Firmicus, juratissimus Stoicus, Deum describit (lib. I, Mathes.) : « Mens illa divina, Animusque cælestis per omne mundi corpus, in modum circuli collocatus, et nunc intrinsecus positus, cuncta regit atque componit : et propria originis generatione conceptus, se ad creanda et conservanda omnia, ignita et sempiterna agitatione perpetuat. » Quæ verba rebus fœta et gravida, aperienda et educenda leviter in lucem sunt. *In modum circuli* collocat : quia in Æthere *Principale* hoc (mox dicendum) ponunt. Addit, *intrinsecus et extrinsecus* esse, id est, in Mundo, et extra eum in Vacuo ferri : atque ut Seneca loquitur (I Natur. Quæst. in Præfat.) « Opus suum intra et extra tenere. » Deinde, *propria originis generatione conceptum :* quod sane illa Tullii affirmat, aut explicat, et jam nil mutemus. Ita enim et Seneca in Fragm. XII. Conceptus et genitus, sed a se dici potest : quia in Chao, ut dixi, quum in Ignem omnia versa, et ipse deinde Ignis in Aquam (infra, lib. II, explicanda) opus habet sese educere, et puritati pristinæ asserere, atque ita quodam sensu, generare. Sed ut in re pergam, his ipsis vocibus Seneca afficit, et Jovem appellat « Animum ac Spiritum mundani hujus operis, » et quare omnia ista? quia ire volebant et commeare per omnia, atque ut verbis illorum dicam (in Laertio) : « per omnia Mundi membra Mentem pertinere, ut in nobis hanc Animam. » Nota, nota ; est magni hujus Mundi sua quædam Anima, ut in

Digitized by Google

parvo hæc nostro : atque illa rector est, et Deus. Est Academicorum vetus sententia, et ponit ita Cicero (I Acad.) : « In Natura sentiente Ratio perfecta inest : quam vim Animum dicant esse Mundi » : et assignificat Stoicos tenuisse. Cleanthes quidem et Œnopides ex iis, apud Stobæum : « Deum esse mundi animum. » Et Lactantius universe : « Ita Stoici interdum confundunt, ut Deus sit ipsa Mens Mundi, et Mundus corpus sit Dei. »

DISSERTATIO VIII.

Mundum ipsum Deum etiam Stoicis dici, sed proprie tamen ejus Animam.

Et sane Stoici sæpe sic loquuntur, etsi parum sane ; atque adeo ipsum Mundum, hoc adspectu, faciunt Deum. Manilius :

> ..... Vivere mundum
> Et rationis agi motu : quum spiritus unus
> Per cunctas habitet partes, atque irriget orbem,
> Omnia pervolitans, corpusque animale figuret.

Vult Animal esse Mundum, Ratione regi, Spiritu vegetari et irrigari. Hoc jam ante Plato : « Animal est Mundus, et Rationale et Anima præditum. » Posidonius Stoicus : « Mundus, natura animata et sentiens. » Talem igitur naturam, dicebant Deum. Iterum Manilius (lib. I) :

> Qua pateat Mundum divino numine verti ;
> Atque ipsum esse Deum.

Didymus apud Eusebium (XV de Præpar. Evang.) : « Stoici totum Mundum, cum partibus ejus, appellant Deum. » Ipsa hæc noster Seneca (Epist. XCIV) : « Totum hoc, quo continemur, et unum est, et Deus est : et socii ejus et membra sumus. » Iterumque alibi (Epist. XCVII) : « Totum hoc, quo divina et humana conclusa sunt, unum est : membra sumus corporis magni. » Et Lactantius eos refutans (lib. VII, cap. 3) : « Nam si hæc omnia quæ videmus, Dei membra sunt, jam insensibilis ab his constituitur Deus. » Multa enim in Mundo scilicet, aut plurima, sine sensu. Tamen hanc sententiam iterum Seneca asserit (II Quæst. N. cap. 45) : « Vis Deum

Digitized by Google

Mundum vocare? non falleris; ipse enim est totum quod vides, totus operibus suis inditus, et se sustentans vi sua. » Itaque pro hoc sensu, in parte vera Tertulliani scriptio (Apolog. cap. 47): « Platonici et Stoici corporalem statuunt Deum : » scilicet Mundum. Etsi Plato primam Mentem magis pro Deo agnoscit, Deo, inquam, primo. Ita Seneca in fragmento quodam, apud Augustinum (VI De Civit. cap. 10) : « Ego feram aut Platonem, aut Peripateticum Stratonem : quorum alter (Plato) Deum sine corpore fecit, alter sine animo? » Plato enim supremam Mentem architectricem agnoscit, liberam et secretam ab omni contagione mortali; atque ut Cicero loquitur, « Deum statuit ἀσώματον, incorporeum » : at Strato eumdem sine Animo, id est, Naturam hanc rerum et Mundum, sine Mente gubernante. Hæc sententia Stratonis est, quam Manilius tangit :

At neque terra patrem novit, nec flamma, nec aer,
Aut humor, faciuntque Deum per quatuor artus,
Et mundi struxere globum, prohibentque requiri
Ultra se quidquam.

Id est, Sive quatuor elementa non habent auctorem et originem, ipsa sunt et faciunt juncta Deum, nec alium præter se, aut supra se, habent. Sed ad Stoicos; quia igitur Mundus Deus, dabant etiam ei globosam formam. Seneca (Epist. XCIV) : « Si rotundam illis, qualem Deo, dederint formam. » Idem in Claudium ludens : « Die nobis, qualem Deum istum fieri vultis? Stoicum? quomodo potest rotundus esse, ut ait Varro, sine capite, sine præputio? » Observa hæc postrema, jocose in Epicureos dicta, qui Deum faciebant humana specie : at Stoici negabant, et animal quidem esse : « sed non humana aliqua forma. » Hæc est sententia, quam neque nos, neque item Plutarchus sanam habet : et iis objicit : « quod Deum, qui principium est, Corpus tamen intelligens et Mentem in materia faciunt; atque ita non purum, neque simplicem, neque incompositum, sed ex alio et per aliud constituunt. » Tamen Varro mitigare et ad veritatem magis flectere videtur, si bene exaudimus. Pulchra hæc ejus in Augustino (VII De Civit. cap. 6) : « Varro de Naturali Theologia præloquens dicit, Deum se arbitrari animam

Digitized by Google

mundi : et hunc ipsum mundum esse Deum. » Sed discrimen deinde addit, quod valde velim notes. « Sicut hominem sapientem, quum sit ex Animo et Corpore, tamen ab Animo dicimus sapientem ; ita Mundum Deum dici ab animo, quum sit ex Animo et Corpore. » Hoc vult, Mundum a se aut per se non esse Deum ; tantum a parte meliori, id est, Mente illa æterna, quæ tamen insita Mundo, ut illa aliqua in Homine. Non igitur Mundus οὐσιωδῶς et sua natura Deus, sed κατὰ μετάδοσιν, ut dicunt Græci, et quia communicat et participat illam Mentem. Tale omnino etiam Chrysippus, apud Tullium : « Vim divinam in Ratione esse positam, et universæ naturæ Animo atque Mente : ipsumque Mundum Deum dici, et ejus Animi fusionem universam. » Id est, Primo quidem et vere Deus est ratio sive Mens : secundario tamen et Mundus, per quem Animus ille se *fudit*, et cui infudit. Seneca eo collineat (I Quæst. N. Præf.) : « Quid est Deus? Mens universi. Quid est Deus? totum, quod vides, et quod non vides totum. » Primo et hic Mens est Deus, secundo hæc Mentis sedes et universi moles. Trismegistus etiam clarissime (cap. 8) : « Secundarius Deus, Mundus, et animal immortale. » Et subjicit pulcherrime : « Primus enim omnium, revera est Deus, ille æternus, et ingenitus, et omnium conditor atque opifex. » Itaque et Stoici sæpe sic attollunt, et a corpore Mundi isto avellunt ; ut Seneca (I Quæst. in Præf.) : « Quid inter naturam Dei et nostram interest? nostri melior pars est Animus : in illo nulla pars extra animum. » Sed et superiora, quæ attulit, eodem eunt : sequamur. Nam quod illos longius duxit, et induxit, hoc fuit, quod sociabant hunc Animum cum Mundo, ut partem, et formam : at nos scimus cum Lactantio (lib. VII, c. 6) : « Divinum Spiritum esse ubique diffusum, eoque omnia contineri : nec tamen ita, ut Deus ipse, qui est incorruptus, gravibus et corruptibilibus misceatur elementis. » Continetur rebus, non confunditur ; format eas, non forma ; animat, etsi non anima. Bene, ut pleraque, Damascenus (cap. 16) : « Deus ipse omnia pervadit, sed sine mixtione, et omnibus vim et efficaciam suam participat, sed pro cujusque aptitudine et captu. » Concludimus denique, et in parte tuemur Stoicos Plutarchi hisce verbis : « Deum Stoici

Digitized by Google

dicunt, et Mundum, et Stellas, et Terram; sed supremum illum, mentem in æthere. » (I De Placit. cap. 7.) Ipsa est intima mens eorum, alia posse dici Deos, et Divinitatem communicare : sed unum, verum, summum esse *Mentem :* atque eam in *Æthere*. Non enim otiosus hoc quoque audi; quia Principale istud Animæ sive Græcis ἡγεμονικὸν, in Æthere sedem habet. Etsi cum aliquo inter eos dissensu; nam « vulgo Stoici, ait Laertius (Lib. II, cap. 6), Ætherem faciunt mundi ἡγεμονικὸν, at Posidonius Cælum, Cleanthes Solem. » Cleanthis opinio placuit Plinio, qui scripsit : « Mundi totius Solem esse Animum, ac planius mentem : hunc principale (agnosce τὸ ἡγεμονικὸν) naturæ regimen ac numen credere decet, opera ejus æstimantem. » Neque hæc tamen ita læve capies, quasi ipsa illa sint Deus; sed, ut dixi, domus ejus et sedes : ut arx ista capitis Mentem nostram (Platonicis quidem) habet. Tertullianus calumniam, liceat dicere, Zenoni struxit, quum impingit (Advers. Marc. I, cap. 13), « Aera et Æthera deos statuisse. » Nunquam, illo quidem sensu, fecit : neque, opinor, Chrysippus, etsi Cicero etiam de illo (De Nat. Deor. I), quod « disputarit Æthera esse eum, quem homines appellant Jovem. » Imo in æthere, et rem dixisti.

DISSERTATIO IX.

Obscura aut impenetrabilis Dei notitia : sermones ancipites; attribui tamen quædam recte a Stoicis, et primo unitatem.

Vides Animam Mundi igitur Deum iis esse; atque illam Ignem, aut verius in Igne. Quod Philo etiam Judæus prorsus haud abnuit, distinguitque (de Allegoriis) : « Universi animam Deum esse quodam intellectu. » Quo? quia nos et omnia vivimus, et movemur, et sumus in Deo. Siquid verbis aliter dixerunt, abeat; et miremur in via, et sic prope metam Veri fuisse; nec insultemus in communibus Orbis tenebris non pervenisse. Quis enim a se, et ingenii solius luce, videat et noscat illum « infinitum, immensum, et soli sibi quantus est notum? » (Minut. Felix.) Imo vero, ait Damascenus argute : « Solum hoc ejus comprehendi potest, quod comprehendi

Digitized by Google

non potest. » Et hoc Seneca vidit, et fortiter extulit (Ep. XXXI) : « Nemo novit deum. Multi de illo male existimant impune. » Quin et causas alibi inquirit, et promit (VII Quæst. cap. 31) : « Sive illi tanta subtilitas et claritas est, quantam consequi acies humana non potest; sive in sanctiori secessu majestas tanta delituit. » Piæ et bonæ rationes : addo et tertiam e Damasceno : « Cognitio eorum est quæ Sunt; at Deus super ipsum Esse Est : ergo et supra atque extra notitiam, quia supra Essentiam. » De natura itaque ejus propria omittamus, nec ipsi Christiani ejus gnari, nisi quatenus divinæ litteræ nos docuerunt, leviter et in gustum. Nam, ut iterum Damascenus : « Quod ex usu nostro scire erat, aperuerunt; quod non tale, et ferre aut capere non poteramus, tacuerunt. » Iis igitur missis, magis quæ de ipso dici et attribui solent, lustremus : et per ea in amorem simul et admirationem ejus ducamur. Enimvero sagaces in istis Stoici, sed et veraces. Sunt autem trium fere generum, quæ de illo usurpamus; primum negando, et ἐξ ἀφαιρέσεως, ut dicunt Græci : sicut quum Infinitum, Immensum, Incorporeum dicimus; nihil enim adstruimus, nec esse significamus, sed aliquid non esse. Alterum, κατὰ σχέσιν, *juxta habitum*, ut quum Dominum, Rectorem, Patrem appellamus : significantes tale agere, et taliter affectum esse. Tertium denique, quod κατὰ φύσιν, *secundum naturam* dicunt : quum aliquid conamur ei insitum et amicum ostendere, ut Justum, Bonum, Sapientem esse. Primum genus tutissimum est, et admirationi, si non notitiæ, facit : alterum tenue, et non nisi a nostri, aut operum ejus, adspectu ductum : tertium conatur adire, sed arcetur; et aliquid circa naturam, si non ipsam, libat. Plura in his talibus sunt, Stoicis etiam tractata : sed ego eximia tria tangam, quæ valide et utiliter adstruxerunt : *Unum* esse, *Bonum* esse, *Providum* esse. De primo, præiverant jam alii Philosophi, et pulchre Pythagoras : qui non *Unum* proprie vult et *Solum* dici, sed *Solitatem* et *Unitatem*. Optime : non enim oportet specie accidentium de illo dicere, aut sentire : sed magis et deceat et doceat, ut substantiam efferri. Philo Judæus (in lib. Quod Deus sit immutab.) : « Substantia est quidquid de illo concipimus, et extra substantiam nihil. » Ergo Justitia magis Deus et Sapientia est, quam Justus et Sapiens :

Digitized by Google

etsi modulo nostri captus non damnamus sic loqui. Teneamus tamen illud Arnobii : « Quidquid de Deo dixeris, quidquid tacitæ mentis cogitatione conceperis, in humanum transilit et corrumpitur sensum : nec habet propriæ significationis notam, quod nostris verbis dicitur, atque ad negotia humana compositis. » Sed pergamus in re, et addamus : Stoicos quoque Deum unice Unum sensisse, etsi nominibus pluribus affecerunt. Laertius inter Zenonia : « Unum quid esse Deum ; sed tamen Mentem, et Fatum, et Jovem aliisque pluribus nomenclaturis solere efferri. » Hoc et Minutius noster Felix de iis attestatur : « Zeno, inquit, et Chrysippus, et Cleanthes, sunt et ipsi multiformes, sed ad unitatem Providentiæ omnes revolvuntur. » Aliter alii de Deo, sed de Uno omnes loquuntur et affirmant. Multitudo autem illa nominum (non enim numinum) ortum habuit a vi aliqua et peculiari affectu vel effectu, quem volebant expressum. Seneca (IV de Benef. cap. 7.) : « Quæcumque voles nomina propria Deo aptabis, vim aliquam effectumque cælestium continentia : tot appellationes ejus esse possunt, quot munera. » Sed ejus, et unius. Ecce (idem alibi II Quæst. cap. 45) : « Vis illum Fatum vocare? non errabis ; hic est ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. Vis illum Providentiam? recte dices, est enim cujus consilio huic Mundo providetur, ut inconcussus eat, et actus suos explicet. Vis Naturam vocare? non peccabis ; est enim ex quo nata sunt omnia, cujus Spiritu vivimus. Vis mundum? ipse est enim totum quod vides totus suis partibus inditus, et se sustinens vi sua. » Atque idem loco priore subjicit eumdem esse *Liberum patrem* et *Herculem*, itemque *Mercurium :* et quæ talia Stoici e mythica historia ad mysticos sensus referebant : et operose referebant, satis sibi in istis allegoriis, sive ut ipsi appellabant ὑπονοίαις, placentes et plaudentes. Cicero (III de Natur. Deor.) : « Magnam suscepit molestiam, et minime necessariam, Zeno primus, post Cleanthes, deinde Chrysippus, commentitiarum fabularum reddere rationem ; et vocabulorum, cur quidque ita appellatum sit, causas explicare. » Culpat et Lactantius Stoicos (I cap. 17) : « quod quum non perviderint quid in vero sit, conentur fabulares Deos cum rerum naturalium ratione conjungere. » Et vero tenuia hæc plurimum, aut infirma, et argutiis sæpe ri-

Digitized by Google

dendis. Exemplum et gustum e Laertio habe. « Deus pluribus nominibus appellatur, ut sunt potestates. Nam et Dia Græci dicunt quod per eum sint omnia; et Zena, quatenus vitæ est auctor, vel quod per vitam transivit. Athenam etiam sive Minervam, quod in Æthere Principale ejus sit extensum. » O viri graves et serii! magis talia licebat agere. Sed in verbis Laertii obiter moneo, quod legitur διὰ τοῦ ζῆν κεχώρηκεν, falsum videri, scribendumque τοῦ ζεῖν. Duplex enim etymon assignant, vel a *vita*, vel a *fervore*: atque hoc postremum de iis Athenagoras: Ζεὺς, ἡ ζέουσα οὐσία, κατὰ τοὺς Στωϊκούς· « Zeus, fervens essentia, juxta Stoicos: » id est, Ignis.

DISSERTATIO X.

Eumdem Bonum et Beneficum esse; et hanc velut propriam ejus notam, et nomen.

Unum igitur jam Deum donant: sed qualem illum? dixi, *Bonum Providumque*. Quæ duo pluribus verbis, sed eodem fere spectantibus, eximie aperuit ille inter Stoicos eximius Cleanthes qui *Theogoniam*, sive *Deorum genituram*, inter alia scripsit. Versus sunt in Clemente Alexandrino (nam versibus pleraque ille usus) plane aurei, imo de Deo divini.

Εἰ τὸ ἀγαθὸν ἐρωτᾷς μ' οἷον ἔστ', ἄκουε δή.
Τεταγμένον, δίκαιον, ὅσιον, εὐσεβές,
Κρατοῦν ἑαυτοῦ, χρήσιμον, καλὸν, δέον,
Αὐστηρὸν, αὐθέκαστον, αἰεὶ συμφέρον,
Ἄφοβον, ἄλυπον, λυσιτελὲς, ἀνώδυνον,
Ὠφέλιμον, εὐάρεστον, ἀσφαλὲς, φίλον,
Ἔντιμον, ὁμολογούμενον.....
Εὐκλεὲς, ἄτυφον, ἐπιμελὲς, πρᾷον, σφοδρόν,
Χρονιζόμενον, ἄμεμπτον, αἰεὶ διαμένον.
Ἀνελεύθερος πᾶς, ὅστις εἰς δόξαν ἐλέπει,
Ὡς δὴ παρ' ἐκείνης τευξάμενος καλοῦ τινός.

Eos ita reddimus:

Si quale sit bonum rogas, ita accipe.
Est ordinatum, justum, et est sanctum, pium,
Sui potens, commodum aliis, pulchrum, decens,

Digitized by Google

Rectum atque constans, semper autem conferens,
Expers metu, dolore, curis omnibus,
Juvans, benignum, stabile, amicum, amabile,
Honore dignum, confitendum.....
Et gloriosum, non superbum, quod gerit
Curam omnium, placens, et viribus valens,
Ævi vetus, culpæ inscium, semper manens.
Ah! vilis ille, Opinionem qui adspicit,
Tanquam duce hac venturus ad Veri scopum.

Considera, mi Auditor; sunt a profano sacri versus et sensus: ac negem aliquid tam sublime et augustum ab alio veteris ævi scriptum. Finis ipse et clausula, quam damnat non occulte receptas de Numine *opiniones?* vana illa gentilium, et a vero longinqua? Sed attributa ipsa et elogia si vides, quid uberius aut verius dici potest? Omnia autem in forma illa sermonis (observa) qua substantia notatur, ut ante attigi: « Deus bonum, utile, justum. » Et quum pluscula sint, id quoque observes, omnia fere ad duo hæc capita revocari, *Bonum Providumque*. Prima est ipsa Bonitas: quam quot nominibus describit, et inculcat? Ἀγαθὸν, χρήσιμον, συμφέρον, λυσιτελὲς, ὠφέλιμον, φίλον, πρᾷον: atque ipsum Deum initio *Bonum* appellat. Recte, nam et Dionysius Areopagita consentit (de Divin. nominib., cap. 4): « primarium et peculiare hoc Dei nomen esse: ipsamque substantiam divinam, bonitatem appellari. » Trismegistus pariter (cap. 6): « Bonum, inquit, in nullo nisi in Deo esse. Imo vero ipsum Bonum est deus. » Quare? quia Natura ejus Bonitas; nec potest aliter esse. Noster Seneca (de Ira II, cap. 27): « Quædam sunt, quæ nocere non possunt, nullamque vim nisi beneficam et salutarem habent: ut Dii immortales; qui nec volunt obesse, nec possunt. Natura enim illis mitis et placida est, tam longe remota ab aliena injuria, quam a sua. » Iterumque alibi (Ep. xcv): « Quæ causa est Diis bene faciendi? Natura. Errat, si quis illos putat nocere velle: non possunt, nec injuriam accipere queunt, nec facere. » Et vis argumentum Bonitatis certius, quam quod pessimis, et in se ingratis, imo maledicis atque impiis, non cessant quotidie bene facere? « Ecce sceleratis Sol oritur, et piratis patent maria. » (Sen. IV. de Benef. c. 26.) Quid amplius? « Beneficia sua ignorantibus dare

Digitized by Google

incipiunt, ingratis perseverant.» (VII de Benef. c. 31.) Ignorantibus? vide pueritiam nostram, fateberis : bona percipimus, ante eorum sensum. Ingratis? reliquum omne ævum. Et quotusquisque agnoscit, immo cogitat? quam multi dubitant, disputant, abnuunt? « Et nihilominus, more optimorum parentum, qui maledictis suorum infantium arrident, non cessant beneficia congerere de beneficiorum auctore dubitantibus.» (Ibidem.) Omnibus, inquam, sine discrimine : non aliter quam Sol ille in promiscuo lucet. Neque enim hic, ut in theatris, sparsio aliqua est aut missilia, in paucos et apprehensuros : est in omnes, est in immerentes, est in abnuentes. « Æquali tenore bona sua per gentes populosque distribuunt, unam sortiti potentiam, prodesse.» (Ibid.) Atque hoc dogma ita proprium Stoicis, ut Tertullianus ab eo errorem Marcionis derivet : « Inde, inquit, Marcionis *deus melior*, de tranquillitate a Stoicis venerat. » Quia scilicet Deum semper Bonum isti statuebant, et nihil ab eo mali manare; Ponticus ille fatue fabricandum alium statuit, hujus auctorem. Frustra, et longe a Stoicorum sensu.

DISSERTATIO XI.

Denique Deum Providum et curatorem omnium esse, atque etiam singulorum. Qui aliter, rejecti.

Sed tertium inter Attributa erat, *Providentia*, Deo semper a Stoicis asserta, et Cleanthis etiam illis versibus nomine ἐπιμελοῦς itemque συμφέροντος inserta. Asserta autem ab illis sic crebro, sic valide, ut ludus jocusque fuerint adversariis : qui hanc, *fatidicam Anum Stoicorum* appellabant. Sed ades, nostra Anus, ades, amanda nobis super omnes Veneres, et Venerum Amores. Te asserimus, et cum Seneca (De Provid. cap. 1) : « Præesse universis Providentiam, et interesse nobis Deum. » Ita sane; gubernat et præest illud Numen; sed adest etiam et interest, et scienter et cum inspectione nos regit. Cicero (II De Natur. Deor.) : « Providentia Dei Mundum, et omnes ejus partes ab initio constitutas esse, et omni tempore administrari. » Nota duo Providentiæ ab eo subjici, Constitutionem rerum, et Ad-

Digitized by Google

ministrationem. Jungi enim hæc duo debent, et « Necesse est, ait Damascenus, eumdem esse Conditorem rerum et Administratorem: neque possunt, aut debent dividi. Sic enim imbecillitati alteruter esset obnoxius; quasi aut iste Condere non posset, ille non Administrare et conservare. » Sicut parentis boni est, et gignere prolem, et deinde alere atque educare : ita et magni illius nostri. Cicero igitur (III De Nat. Deor.) hæc duo bene jungit, ex nostrorum sententia : « Materiæ universæ fictricem ac moderatricem esse divinam Providentiam. » Quis enim credit, ait Seneca (De Provid. cap. 1): « Sine custode tantum opus stare, et hunc siderum cursum discursumque fortuiti impetus esse? » Quis tamen credet, hæc tam pugnantia servare ordinem et statum, nisi Rector ille sit, « cujus consilio huic Mundo providetur, ut inconcussus eat, actusque suos explicet? » (Sen. II Q. N. c. 45.) Sed vim hujus Providentiæ, et variantes etiam super ea sensus, pulcherrime Epictetus exsequitur, apud Arrianum (I Dissert. c. 12) : «Quod ad Deos attinet, sunt qui negent ullum Numen esse. Sunt qui esse donent, sed ignavum, incurium, et nulli rei providere. Sunt tertii, qui et esse, et providere, sed non nisi magnis et cælestibus, terrenorum autem nulli. Quarti, et cælestibus et terrestribus; sed universis dumtaxat, non autem singulis et unicuique seorsim. At quinti, in qua parte Ulysses et Socrates, asserunt statuuntque, quod te, o deus, nec in minimo motu lateam aut fallam. » Ecce pulchrum ascensum, et vere ascensum, a tenebris et impietate paulatim ad lucem et veritatem : quam quinta illa sententia est amplexa : id est, nostra. Ita enim et Platonici, et nostri, omnia, minima, maxima, Providentiæ subjici : « Nec sine Ratione, quamvis subita, accidere. » (Sen. De Prov. c. 1.) Nihil est a casu, ubi casus maxime apparet : sed occultum aliquid divini consilii est, quo diriguntur. Plato (In Epinom.) sermoni suo toti de Diis hoc velut fundamentum præstruit : « Quod curent omnia, magna ea sint aut parva. » Atque id ratione etiam scita docet alibi (Lib. X de Legib.), his fere verbis, aut sensu : « Quum Dii sint, non convenire ut otiosi degant : curare ergo res humanas. Quum autem omniscii sint, etiam minima videre et nosse censendum est, eaque igitur curare. Quid ni? procul enim ab iis ignavia et inertia :

Digitized by Google

nec minor potestas eorum in minutis, quam in magnis : neque indigna etiam majestate illorum hæc cura. Imo eam velut gradum ad majora illa habent. » Optime, et varia ac valida ratio in paucis verbis. Itaque apud Ciceronem (III De Natur. Deor.) Stoice dicitur : « Non universo generi hominum solum, sed etiam singulis, a Diis immortalibus consuli ac provideri. » Quid hominibus singulis? immo animalibus, immo animalculis et insectis : et iidem *Stoici* (idem Cicero II Acad.) « Dei majestatem usque ad apium formicarumque perfectionem deducunt. » Si perfectionem, etiam curationem. Bene et hoc Damascenus : « Providentia est divina voluntas sive sententia, per quam omnia quæ sunt convenientem ordinem et regimen habent. » Itemque Alexandrinus ille Clemens : « Est Providentia privatim et publice, et ubique. » Est et in actibus singulis singulorum, ut Lactantius (De Ira, c. 17) : « Curat hominum vitam Deus, ac singulorum actus animadvertit. » Nonne ipsum hoc est, quod supra nostræ partis Epictetus, « Te, Deus, nec in minimo fallo? » Atque hæc quum ita habeant, quidam Fortunæ omnia transscribunt : « neque hæc, ait Seneca (I Quæst. in Præf.), intra vulgum dementia est, sed Sapientiam quoque professos contingit. Sunt enim qui putent, sibi ipsis animum esse, et quidem providum ac dispensantem singula, et sua et aliena : hoc autem Universum, in quo nos quoque sumus, expers esse consilii, et aut ferri Temeritate quadam, aut Natura nesciente quid faciat. » Errant hic profecto, mi Seneca, etiam sapientiam professi : nec Epicurus ille solum, cujus nota deliria, et qui de Beata illa Natura profatur :

> Immortali ævo, summa cum pace fruatur,
> Semota a nostris rebus, sejunctaque longe;

longe semota, atque adeo extra Mundum etiam projecta. Non ille, inquam, solum : sed quod miremur, Plinius, ille in plerisque Stoicus germanus. At hic quam degenerat : « Irridendum, inquit (Lib. II, cap. 7), agere curam rerum humanarum illud, quidquid est, Summum. » Et causam addit : « An tam tristi atque multiplici ministerio non pollui credamus, dubitemusve? » Ne dubitemus quidem, Plini, adeo non credamus. Quid enim censes, humano more quo-

Digitized by Google

dam agere et curare, sollicitum, districtum, distractum, iratum? Erras; ille cum summa quiete, et placide agitans, hæc agit: « Non divisus, ait Clemens (VII Stromat.), aut distractus, non transiens e loco in alium, sed ubique semper existens, et nusquam circumscriptus, totus mens, totus lux, totus oculus, omnia videns, omnia audiens, omnia sciens. » Et quam pronum tibi hæc credere, si vel eadem his verba tuæ attendisses? « Quisquis est Deus (si Mundo est alius) et quacumque in parte, totus est sensus, totus visus, totus auditus. » Talem et tantum quum facias, quid metuis, cum Epicuro aliquo, pollui aut fatigari? Et tamen a Sapientia quum hoc dogma spernas, Prudentiæ transscribis, et ais: « Deos curam agere rerum humanarum, credi ex usu vitæ est. » Immo ex ratione est, quam, ut alios omittam, te quoque teste princeps ingeniorum, Homerus agnovit. Ille quam non sæpe, sed ubique eam adstruit! Alibi (Odyss. ν, v. 213), de Jove:

..... ὅστε καὶ ἄλλους
Ἀνθρώπους ἐφορᾷ, καὶ τίνυται ὅστις ἁμάρτῃ.

..... mortalia facta
Mortalesque videt, delinquentes quoque punit.

Ecce inspectionem, ecce et animadversionem. Quin idem apud eum Jupiter effatur:

..... μέλουσί μοι, ὀλλύμενοί περ·
..... habeo curæ et pereuntes.

Non potuit longius penetrare in adyta Providentiæ, quam ut diceret, tunc quoque quum perennt non negligi a Deo; sed bono aliquo fine perire, aut denique se disponente. Plura in illo sublimi poeta sunt, omitto: et Stoicis hoc testimonium a Tullio attribuo, « Rationem de Providentia deorum ab illis sanctissime et providentissime esse constitutam. » (III De Natur. Deor.)

Digitized by Google

DISSERTATIO XII.

E Providentia Fatum consequi; quid illud? et quomodo libertatem Deo non tollat.

Est ita; et gradum ab hac ad *Fatum* convenienter profero; quia illud ab ista est, et valde cum ea nexum, immo innexum. Itaque ab ipsis Stoicis confunduntur hæc sæpe: si tamen discerni placet, sic fiet. Ut Providentia in ipso Deo sit scientia, vel sententia omnium; hæc distinctius lex ipsa et decretum singulis datum. Itaque a Deo est istud, magis quam in ipso. Addo, quod illa velut Proconsul est, qui decernit et statuit; istud, velut Lictor, qui sententiam illam facto promit, et omnibus propalat. Ita Apuleius, ex sententia Platonis: « Fatum esse, per quod inevitabiles cogitationes Dei atque incepta complentur. » Nota *cogitationes*: Ita enim *Primam Providentiam* (summi Dei) definiebant Platonici, ut esset « supremi Dei cogitatio sive voluntas. » (Plut. de Fato.) *Secundam* autem volebant dici « secundorum Deorum, cælum permeantium, per quam inferiora et mortalia omnia dispensarentur, generi cuique sive speciei ipsi tuendæ et servandæ. » *Tertiam* denique, « quæ Genios circa terram tangit, humanorum actuum arbitros et custodes. » Ita per gradus distinguebant, et ad nos derivabant: « ut prima Providentia Fatum contineret; secunda, ipsa esset Fatum; tertia, quod ex Fato esset. » Plutarchum, sodes, vide libello huic rei proprio: et Apuleio (De Dogm. Platon.), qui ista conformiter, sed brevius, lucem ab eo mutuare. Nos ad Stoicos imus, tot discriminum incuriosos. Ab uno Deo ista omnia; immo confundunt sæpe cum Deo. Seneca (II Quæst. Natur.): « Vis illum Fatum vocare; non errabis; hic est, ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. » Optime, optime; ratione tamen et intelligentia distinguimus, ut sæpe dixi. *Lex* est a Deo; ut ipse Seneca (De Provid. cap. 5): « Omnia certa, et in æternum dicta Lege decurrere. » Id est, Fato. Cicero: « Omnia æternæ Legis imperio » fieri. Plato, « Adrastiæ Legem » dixit (X De Rep.). An non et Pindarus intellexit, quum νόμον πάντων βασιλία,

Digitized by Google

θνατῶν τε καὶ ἀθανάτων εἶναι· « Legem omnium Reginam, mortalium immortaliumque esse », puto, intellexit. Et certo jam Manilius (Lib. I):

> Sed nihil in tota magis est mirabile mole,
> Quam ratio, et certis quod legibus omnia parent.

Habes Providentiam, quæ *Ratio* est; et ejus prolem, Fatum, *Legum* nomine dictam. Homerus pulcherrime βουλὴν Θεοῦ statim initio operis:

> ..... Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή·
> ..... Jovis est perfecta voluntas:

sive potius, *consilium* et *decretum*. Atque o divinum vatem! qui caput hoc Sapientiæ humanæ (ita mihi videtur) statim operi præscripsit, suæ indicem vel testem. Narrabo, inquit, et canam hæc atque ista: iras, bella, funera: sed jam nunc prædico et moneo, ab hominibus ista, sed ex Dei voluntate, administrata. Neque enim quæ vel fortuita putantur, ab hac lege secludimus: neque incidunt ea ipsa, sed veniunt. « Causa pendet ex causa; privata ac publica longus ordo rerum trahit. » (Sen. de Provid. cap. 5.) Sophocles (Ajace Flagell.) μάλα Στοϊκῶς, id est, σεμνῶς· *valde stoice*, i. e. *graviter*:

> Ἐγὼ μὲν οὖν καὶ ταῦτα, καὶ τὰ πάντ' ἀεί
> Φύσιν οἰμ' ἂν ἀνθρώποισι μηχανᾷν θεούς.
> Ὅτῳ δὲ μὴ τάδ' ἔστιν ἐν γνώμῃ φίλα,
> Κεῖνος τ' ἐκεῖνα στεργέτω· κἀγὼ τάδε.
>
> Ego quidem igitur ista, et alia item omnia,
> Accidere nobis censeam Fato Deum.
> Quod si quis hæc in mente non probat sua,
> Ille alia teneat et sequatur; ista ego.

Sed aiebat Seneca (III De Benef.): « Longum ordinem rerum esse. » Quid ita? quia « causarum implexa series est, » ut idem alibi: sive ut Stoici, apud Laertium: « αἰτία τῶν ὄντων εἱρομένη, causa rerum implicata »; quia scilicet εἱρμὸς quidam est, et nexus ac catena. Id quo sensu dicant, Chrysippus apud A. Gellium (Lib. VI, cap. 2) explicet, seria definitione: « Fatum esse, naturalem compositionem universorum, ab æterno, mutuo sese consequentium immutabili et inviolabili hac complicatione. » Observa et scrutare.

Digitized by Google

Est « naturalis compositio : » nempe rebus insita a Communi et prima illa Natura, id est, Deo ; ideoque et *Naturam*, Fatum appellant. Sed quia (nostro intellectu) *Ratione* quadam et discretione Deus hoc facit, et applicat ; plurimum *Rationem* (uti ipsam *Providentiam*) dicunt. Ut quum definiunt (Laert. in Zen.) « Fatum, Rationem secundum quam mundus administratur. » Itemque diffusius (In Stob. Physic.) : « Rationem, per quam facta, sunt facta ; fiunt, quæ fiunt ; fient, quæ fient. » Et discernentes deinde a Providentia, « Rationem eorum quæ in Mundo Providentia administrantur. » Anteriorem causam hic vides, et istam ex ea natam, aut subsequentem. Sed additur in Stobæanis : « Mutat interim (Chrysippus) et pro ratione supponit Veritatem, Causam, Naturam, Necessitatem. » Ut sit Fatum nempe *Veritas*, *Causa*, *Natura*, *Necessitas* eorum quæ sic fiunt. Sequebatur, *ab æterno*. Ita ; nam in Dei mente hæc constitutio, et cum Æterno illo æterna. De *complicatione immutabili* additur : quod ad ordinem seriemque causarum facit. Prima illa causa (Deus) alias atque alias subserit, muro et incomprehenso nobis nexu : sic, ut quæ Fato eveniunt evenire per Naturam et Rationem videantur. Hæc est illa Sapientia inscrutabilis : « a qua est omnis modus, omnis species, omnis ordo, mensura, numerus, pondus : a qua est, quidquid naturaliter est, cujuscumque generis est, cujuscumque æstimationis est : a qua sunt semina formarum, formæ seminum, motus seminum atque formarum. » (August. V, De Civit. cap. 11.) Quid opus perissologia? a qua est, quidquid est : Peccatum autem ab ea non est, quia nec est. Pelagus hoc, mi Auditor, immo abyssus, immo chaos, si ingrederis : et sic se habere potius, quam quomodo habeat, scimus. Est igitur *series et connexio*, atque ea immutabilis, quia ab immutabili Deo : ideoque et *Necessitas* cohæret ; quæ soror est, ut sic dicam, et gemella Fati. Trismegistus (Ad Ammonem) : « Omnia Natura et Fato fiunt, nec est Locus vacuus a Providentia. Est autem Providentia, in se perfecta Ratio cælestis Dei, cui duæ sunt cognatæ facultates, Necessitas et Fatum. » Pulchre distinguit, et has ex illa deducit. Quid ergo? inquiunt. Necessario hæc sic fiunt? et nec Deus mutat? nec Deus. Asper initio sermo, sed examinatus, Stoicorum etiam vero sensu

Digitized by Google

mitescit. Voces quidem aspernamur, quæ dicunt : « Destinatam sortem nec Deo fas effugere. » (Herodot. I.) Item :

> Δοῦλοι βασιλέων εἰσὶν, οἱ βασιλεῖς θεῶν,
> Ὁ θεὸς ἀνάγκης. (Philemon.)
>
> Sunt regibus servi, rex servus est Deo,
> Deus Necessitati.

Etiam noster doctor (De Provid. cap. 5) : « Eadem Necessitas et Deos alligat : irrevocabilis divina pariter atque humana cursus vehit. Ille ipse omnium conditor ac rector scripsit quidem Fata, sed sequitur. Semper paret, semel jussit. » Hæc talia, parum decore ex dignitate Dei dicta ; etsi, ut tetigi, interpretatione ad verum liquidumque deducas. Hoc enim volunt, semel statuta Deum non mutare.

> Finxit in æternum causas : qua cuncta coercet
> Se quoque Lege tenens. (Lucan. II.)

Non quia imbecillitas aliqua in Deo sit, aut Fatum dominetur : sed quia placuit ei stare Decreto. Nimirum (ut noster Seneca, Quæst. Natur. I), « imminutio majestatis sit, et confessio erroris, mutanda fecisse. Necesse est ei eadem placere, cui nisi optima placere non possunt. » Dic mihi, nonne « vir bonus (quatenus bonus) non potest non facere, quod facit? non enim erit bonus, nisi fecerit. » (Sen. VI De Benef. cap. 21.) Simile (siquid tamen simile) in Deo : qui ut Deus, nihil mavult, aut mutat. « Magnum hoc argumentum est firmæ voluntatis, ne mutare quidem posse. » Quod si aliunde eveniret, aut cogeretur, sane impotentia esset; at jam « non externa deos cogunt, sed sua illis in legem æterna voluntas est. » (Ib. c. 21.) Itaque non possunt videri non posse, quia nec volunt. An tamen non ista servitus est? minime. Seneca egregie (I Quæst. Natur.) : « Nec Deus ob hoc minus liber aut potens est : ipse enim est Necessitas sua. » Vides pium sensum : nec fortasse aliter (apud germanos Stoicos) in tota ista re Fati fuit. Quod Augustino etiam arbitro dicam, qui rejecto *Fato Astrologorum*, infert (V De Civit. c. 8) : « At qui omnium connexionem seriemque causarum, qua fit omne quod fit, Fati nomine appellant (ii sunt nostri) : non multum cum

Digitized by Google

eis de verbi controversia certandum atque laborandum est : quandoquidem ipsum causarum ordinem et quamdam connexionem, summi dei tribuunt voluntati. » Addit alia (Eod. lib. cap. 9), et alibi ex ipso Seneca approbat hanc eorum mentem esse.

DISSERTATIO I II.

Objectiones contra Providentiam et Bonitatem Dei : quæsitumque primo, Unde Naturalia mala ?

Aud. Attenta equidem aure jamdiu bibo : sed quid si animo non nihil renitenti alibi, aut assensum certe retinenti? Nam sunt in istis spinæ vel aculei, qui pungunt : et das mihi operam in evellendis? Lips. Curiosum ingenium hic asperner, ut rem dicam : et cum Damasceno moneam (Lib. II Fid. Orth. cap. 29) : « Omnia admirari, omnia laudare, omnia sine inquisitione suscipere Providentiæ opera ; etiamsi multis injusta videantur ; quia scilicet ignota est, imo comprehendi nobis impotens divina Providentia. » Audin, hoc et tutius sanctiusque sic esse? Alioqui pelagus est, ut dixi : et cymbulam ingenii si immittis, fluctuabit, aut merget. Aud. Curiosam inquisitionem tecum abdico : sed quæ prima fronte omnibus occurrunt et obturbant, quæ culpa sit me attigisse, te rejecisse? Neque enim alio fine quæro : et favebo equidem Dei causam agenti. Dic igitur, sodes ; si a Providentia et a Deo omnia bona : unde Monstra, unde Venena, et Noxæ in isto orbe sunt? Unde in nobisipsis interna hæc vere mala, et Vitia ac pestes animorum? quis genuit, quis sustinuit et servavit? Denique in ipsa gubernatione, quanta iniquitas apparet? quum boni tolluntur, aut premuntur ; mali vivunt, vigent ; et præmia ac pœnæ injusta plurimum lance pensantur. Hæc quantumvis sedatum ingenium excitent, compositum turbent : utique sic in oculos sensusque incurrentia, et quotidianis exemplis prompta. Remove, obsecro, quamvis levi manu : et quod iterum testor, pronum ad finem me habe et sequentem. Lips. Vetera moves, remota pleraque aliis, et alibi (De Constant.) ipsi mihi ; certe in parte. Nunc tamen ordine, quia valde vis, faciam : sed compendio, qua

Digitized by Google

potest, et ut dicta non iterem, quod odi. Tria visus objicere Bonitati et Providentiæ, *Naturalia* mala, *Interna*, et *Externa*. *Naturalia*, quæ primo et per se a Natura videntur; eaque duplicia, *Rara* et *Vulgata*. *Rara*, quæ non via solita, nec semper, sed ob causam eveniunt: ideoque *Monstra* aut *Prodigia* vocamus. Ea fere sunt, in *Excessu*, *Defectu*, *Mixtione*, *Modo*. *Excessu*, ut homo biceps, quadrimanus, tripes. *Defectu*, ut Unipes, aut Unimanus. *Mixtione*, ut Homo porcino capite, Vitulus humano. *Modo*, sive in Magnitudine et mensura, magna nimis, sive parva: ut Gygas, ut Nanus; sive etiam in *Situ* membrorum partiumque, ut Caput in femore, Oculi in pectore: et uno verbo, quidquid extra communem ordinem legemque profertur. At *Vulgata* sunt, quæ semper et sua indole talia; et facta nataque videntur in malum aut noxam, ut sunt Serpentes, Feræ quædam, Venena, et quæ ejus sortis occurrunt. Hæc objicis, et jam olim alii: breviter et leviter refutamus. Primum de *Raris*: fatemur ea contra, aut præter Particularem cujusque generis naturam esse, sed non contra Communem. Aristoteles (IV De Generat. Animal.): « Monstrum est aliquid præter Naturam, sed omnem, illam tantum quæ solens et usitata est. Nam præter illam Sempiternam, et quæ ex Necessitate est, nihil omnino fit. » Hoc dicit, respectu cujusque speciei, Homo aut Vitulus talis, Monstrum et Malum videtur: Communem illam si adspicis, et Deum, non est, immo velut lusus aliquis ejus, aut oblectamentum. Itaque ille idem scriptor hos appellat Naturæ quasdam παρεκβάσεις, *exerrationes* aut *excessus*: non aliter quam in longo magnoque cursu, extra lineam leviter, nec indecore, licet transilire. Et causas tamen hæc suas habent, faciles indagari: a Materie nimia, aut pauca; sic aut sic disposita; a Gignentium affectione aut habitu, in opere aut post opus. Plura sunt, non hic inquirenda: sed Universum si spectes, mala aut fœda hæc negamus, immo in ornatum esse, et plenis perfectisque illis magis agnoscendis. De *Vulgatis* autem, scio apud Ciceronem esse (IV Acad.) qui inclamet: « Cur omnia nostri causa Deus quum fecerit, tantam vim natricum viperarumque fecit? cur mortifera multa, multa perniciosa terra marique dispersit? » E Sacris nostris prompta erat responsio: te

Digitized by Google

faciente, ô homo, fecit. In prima origine hæc omnia sine noxa erant nobis obnoxia : in Deum surrexisti, communem conditorem : ergo illa etiam in te, ut vindicatura, et a prima sua natura demutarunt. Sed pro communi etiam Philosophia hoc licet dicere : ista tam diversa, tam varia, facere et requiri ad ornatum perfectionemque magni Mundi. Mundi? etiam ad Dei potentiam sapientiamque notificandam. Potes tu illas araneorum subtiles et intextas telas intueri, sine admiratione conditoris? potes viperæ colores, volumina, indolem? potes vel molestum illum et susurronem culicem, sine ipso hoc cogitationis fructu? At enim, aiebat, nostri causa Deus hæc fecit : contra nunc est, et nocent. Nostri? secundario quidem, sed primum, sua. Gloriæ ejus hæc serviunt, mundo toti serviunt : nec solius hominis aspectum haberi, verecunde quidem petas. Tamen an non et ista humanis usibus se præbent? Omitto; quod imperium in hæc tam aspera, et calide nocentia, exercemus, et cuncta a natura nos fugiunt : sed vim etiam et usum occultum habere, prior et hæc ætas docuit, ac postera docebit. Ne stulte et propere damna : sed, ut Naturæ quidam peritus venator, indaga magis et inquire. Augustinus eo vocat (XI De Civit., cap. 22) : « Divina, inquit, nos admonet Providentia, non res insipienter vituperare, sed utilitatem rerum diligenter inquirere : et ubi nostrum ingenium vel infirmitas deficit, ibi credere occulta : sicut alia, qua vix potuimus invenire. Atque hæc ipsa aut humilitatis exercitatio est, aut elationis attritio. » Pulcherrima clausula; quid vis, ô homo? stuporem tuum divinæ Sapientiæ opponere? quidquid non capis, carpere? Demitte et inclina te potius : et scito arcana hæc Naturæ adyta, magno illi Pontifici adeunda tantum : fortasse minoribus etiam sacerdotibus, id est, Geniis, haud semper aperta. Quid nobis profanis? caligamus, et in primam illam Causam frustra oculos immittamus.

Digitized by Google

DISSERTATIO XIV.

Secundo quæsitum, Unde Interna mala, id est, Peccata? Stoicos etiam a Fato et Deo removere: et quomodo.

Sed *Naturalia* hæc in parvo sunt, nec nisi obstreperi opponant: *Interna*, id est, vere Mala, magis angunt. Peccata et scelera sunt, fuerunt, et erunt: unde ea, si non ab omnium factore? Quin et Plutarchus Chrysippo objicit, dixisse: « nullam esse intemperantiam, nullam fraudem, cujus non sit Jupiter architectus. » Sed hæc vane objici, et a parte non a judice dici, ex ipso Chrysippo liquet. Palam ille detestatur: « et ad eos se applicat potius, ait Cicero (De Fato), qui necessitate motus animos liberatos volunt. » Apud Ciceronem, sed et A. Gellium, excerpta etiam sunt eorum, quæ Chrysippus pro hac sententia scripsit: in affirmatione certa, in explicatione involuta. Cicero ait, Causas eum distinguere *Perfectas et Principales*, aliasque *Adjuvantes et Proximas*. Secundum illas igitur, principium quidem motus et actionis dari; sed talis talisque motus, a causis Proximis, id est, a Voluntate et nobis. « Ut, inquit (Cic. ibid.), qui cylindrum protrusit, dedit ei principium motus, volubilitatem autem non dedit: sic visum objectum imprimet in animo suam speciem, assensio autem erit in nostra potestate: eaque, quemadmodum in cylindro dictum est, extrinsecus pulsa, quod reliquum est, suapte vi et natura movebitur. » Sed quod in *Viso* Cicero dicit, et hæret, parum pro interiore ipsa re videtur: et credo plura addidisse, quæ ævo exciderunt. A. Gellius magis accedit, aut init, nisi fallor: et Chrysippea hæc sic compendio refert, hausta e libris ejus De *Providentia*, qui utinam exstarent! etsi nec Laertius eorum meminit, notabili in hac parte defectu. Sic, inquam, refert (Lib. VI, cap. 2): « Quanquam ita sit, inquit Chrysippus, ut ratione quadam principali necessario coacta atque connexa Fato sint omnia; ingenia tamen ipsa mentium nostrarum proinde sunt Fato obnoxia, ut proprietas eorum est ipsa et qualitas. Nam si sint per naturam primitus salubriter utiliterque facta, omnem illam vim quæ extrin-

Digitized by Google

secus ingruit, inoffensius tractabiliusque tramittunt. Sin vero sunt aspera, et inscita, et rudia, nullisque artium bonarum adminiculis fulta; etiamsi parvo, sive nullo, Fatalis incommodi conflictu urgeantur, sua tamen sævitate et voluntario impetu in assidua delicta et errores ruunt. Idque ipsum, ut ea ratione fiat, naturalis illa, et necessaria, rerum consequentia efficit, quæ Fatum vocatur. Est enim genere ipso quasi fatale et consequens, ut mala ingenia peccatis et erroribus non vacent. » Additque ipsum illud exemplum, sive imaginem, de cylindro. Hæc si bene examinas, signate ab illo et ἐνεργῶς scripta : hoc colligas Chrysippum Fatum in causis primis constituere, ut qui talis et talis a natura et ingenio suo est, talia faciat excipiatque : qui alius, alia. Sed ipsum illud sic facere, a voluntate sit, quam tamen bonitas aut sævitas naturæ huc illuc inclinat. Ut lignum illud rotundum, sive turben, in pronum labatur suopte ingenio; quadrum non item, et resistat. Et addebat amplius, non debere « ferri audirique homines aut nequam, aut ignavos, et nocentes, et audaces; qui quum in culpa et maleficio revicti sunt, perfugiunt ad Fati necessitatem, tanquam in aliquod asylum : et quæ pessime fecerunt, ea non suæ temeritati, sed Fato attribuenda esse dicunt. » Hæc ex illo : ipsum, uti dixi et itero, utinam legisse fas nobis sit! Sed hæc non alio (mihi quidem) videntur ire : quam per *Naturam*, sive Deum (quæ prima causa est) homines alios aliter factos, ideoque ad bona aut mala inclinare; sed tamen causas illas primas et insitas temperari, aut flecti leviter a *Voluntate* posse, quæ inter proximas juvantesque censetur. Quum ergo inclinamus; aut præmium nobis jure esse, si ad Bona; aut pœnam, si ad Mala. Manilius his interpres, aut assertor. Omnia, inquit (Lib. IV), Fato eveniunt :

Nec tamen hæc ratio facinus defendere pergit,
Virtutemve suis fraudare in præmia donis.
Nam neque mortiferas quisquam minus oderit herbas,
Quod non arbitrio veniunt, sed semine certo :
Gratia nec levior tribuetur dulcibus escis,
Quod natura dedit fruges, non ulla voluntas,
Sic hominum menti tanto sit gloria major,

Digitized by Google

Quod cælo gaudente venit : rursusque nocentes
Oderimus magis in pœnam culpamque creatos.

Satis aperire mihi Stoicorum mentem germanus Stoicus videtur, etsi nimis fortasse ad fatalia sua astra nos ligat. Sed heus, Chrysippe, si a Natura hæc constitutio aut devergium : Deum a malo qui excusas? quomodo non ille *Naturæ* auctor, atque ipsa Natura, malum malosque genuit, si tales fecit? Hoc caput est, et arx, ut sic dicam, causæ, nunc adeunda et occupanda. Aio Stoicos Mali principium non in Deo, sed in Materia (quæ tamen Deo, ut ipsi aliique voluerunt, ævo æqualis, et æterna), in Materia, inquam, constituisse. Itaque quum Deus homines aliaque faceret, omnia bona et in bonum finxisse : sed repugnantem aliquam vim et malitiosam in illa fuisse, atque esse, quæ alio traheret : atque hinc *Interna*, atque etiam *Externa*, mala exstitisse. Valde notabile, et vetus dogma, inter religionis etiam nostræ proceres decertatum. De Stoicis, Seneca aperte dixerit (I Quæst. Natural. in Præf.) : « Utrum Deus quod vult efficiat, an in multis rebus illum tractanda destituant : et a magno artifice formentur prava multa, non quia cessat ars, sed quia id in quo exercetur (Materia) inobsequens arti est. » Nota, Materiam *inobsequentem*, et ab ea *Prava* esse. Plato sæpe hæc tangit, et huc transit : ut quum dixit Materiam, aut in ea Animam, « incompositam et mali auctorem, sive maleficam. » Iterumque : « adversariam et rebellem Beneficæ Naturæ », id est, Deo. Animam sive Vim in Materia dicit : neque enim ipsam per se vult malam, sed latens in ea aliquid, quod in generatione se exserit et promit. Immo duas « Mundi animas ab eo statui, natu jam grandiore, in Libris de Legibus ; et quum diu fluctuasset, Beneficam ac Maleficam » ; Plutarchus est auctor. (De Iside et Osir.) Non abit ab hoc sensu etiam Trismegistus (cap. 14) : « Ipsi factori Deo nullum malum aut turpe assignandum ; nam hæ sunt affectiones generationis asseclæ, sicut ærugo æris, sordes corporis. » Paria Tyrius etiam Maximus, inter Platonicos, Sermone huic argumento. Verba hæc pauca ejus habe (Serm. XXV) : « Sicut in opificio manualium artium, aliud ipsa ars ex professo facit, intendens operis sui finem ; alia consequuntur

Digitized by Google

opificio, non artis opera, sed materiæ affectus (ut scintillæ ex incude exsilientes, ut fuligo e fornace, et aliud ex alia materia), quæ necessario adhærent operæ, nec tamen artificis proposito : tale nimirum in his quæ circa terram eveniunt, quæque incursus humanorum malorum vocamus. In quibus innoxiam et inculpatam artem censendum, sed esse hæc Fabricæ totius Universi velut necessarias quasdam et consequentes naturas. » Quæ ad *Externa* etiam, aut *Naturalia* mala ex mente ejus ducas : sicut et Senecæ ista : « Quare tamen Deus tam iniquus in distributione Fati fuit, ut bonis viris paupertatem, vulnera, et acerba funera adscriberet? Non potest artifex mutare materiam; hæc passa est. » (De Provid. cap. 5.) Itaque, ut addit, languida et ignava ingenia « inertibus nectuntur elementis; ut efficiatur vir cum cura dicendus, fortiore fato opus est. » Neque abnuit, in principiis Fati aliquid esse, id est, in natura ipsa singularum rerum quod huc aut illuc ducat : sed in malum, a Materie sic affecta. Vetus, ut dixi, hoc dogma : et an non Pythagoræ etiam? cujus illud traditur : « Principiorum alterum esse Unionem, id est, Deum et Bonum : alterum infinitum Binionem, id est, Dæmonum, et Malum, circa quam Materialis multitudo est. » (Euseb. De præpar. lib. XIV.) Sed et prisci aliquot in Ecclesia nostra, sive extra eam, tenuerunt; ut Hermogenes, Tertulliano oppugnatus : qui (ut hujus verba sunt, cap. 10 et alibi) « Materiam æternam cum Creatore proponebat, ut Malum a Materia, non a Creatore deduceret. » Oppugnavit et Maximus libello, ut apparet, docto et arguto : cujus magna lacinia Eusebianæ *vesti* (Stromat.) est inserta : et digna videri. Tangit hanc sententiam et Arnobius (De Præparat. Evang. lib. VII, cap. ult.), eruditus ille Afer; sed parum fortiter rejicit, immo propior videtur adhærenti. Scribit alibi (lib. I) : « Quid si prima Materies, quæ in quatuor rerum elementa digesta est, miseriarum causas suis continet irritationibus involutas? » (Ita enim prisca lectio, antehabenda editæ, *in rotationibus;* quia significat, aliquid in ea esse occultum, quod mala provocet et irritet. Siquid tamen mutandum, *in rationibus* magis vellem.) Hoc ibi, velut assentiens; sed alibi spernit, et impugnat (Lib. II). « Mala ergo, dicitis, unde hæc omnia? Ex elementis, inquiunt, et ex eorum

Digitized by Google

inæqualitate, sapientes. Quod qui fieri possit, ut quæ sensum et judicium non habent, malitiosa esse perhibeantur et noxia; aut non potius ille sit malitiosus et noxius, qui res pessimas, et nocentissimas futuras, in alicujus operis assumpsit affectum; eorum est, qui asserunt, pervidere. » Bene, dico, impugnat; quomodo enim bruta et insensa materia sic prava? viditque Plato, et fugit: qui *Vim* in ea et *Animam* maleficam ponit. Tamen iterum Arnobius judicium a se abdicat, et alibi fatetur libere, Non liquere. « Quid ergo nos? inquit (eodem libro): mala unde? Responsionis necessitas nulla est; sive enim possumus dicere, sive minus valemus, nec possumus: utrumque apud nos parum est: nec in magnis ponderibus duximus vel ignorare istud, vel scire, unum solum posuisse contenti; Nihil a Deo principe, quod sit nocens atque exitiabile, proficisci. » Vides fluctuationem ejus in Mali causa: assertionem tamen Boni semper et solum Dei.

DISSERTATIO XV.

Alia responsio nostra, et firmior, super istis. Distincta Mala Supplicii et Delicti: et quibusque suus auctor assignatus.

Quanto autem clarius hæc gentilis ejus, et ævo paulo anterior, Tertullianus, o magnum Ecclesiæ lumen, nisi caduca stella fuisset! Is distincte admodum objectiunculis et Gentilium, et Hæreticorum, respondet, quorum assidua ista, Unde mala Interna, aut Externa? Et Marcion ille famosus, ut elideret, duos Deos inducebat, Bonum et Malum: et utrumque, talium auctorem. Quod sumptum a Magis Chaldæorum aliquis dicat: quorum fuit, « Duo principia rerum esse, Bonum Dæmonem, et Malum: quorum ille Jupiter, sive Oromasdes, illorum lingua; iste Pluto, sive Arimanius diceretur[1]. » Ab illis, inquam, propius et vicinius hoc sumpserit, quam a Stoicis; qui Materiam causam Mali, sed non Deum, faciebant. Sed ad rem in illum ita scribit (lib. II, cap. 14): « Mala dicuntur, et Delicta, et Supplicia. Sed adhibita distinctione utriusque formæ,

[1] Vid. Plutarch. de Isid. et Osirid. Laert. in Præfat. aliique.

Digitized by Google

separatis malis Delicti et malis Supplicii, malis Culpæ et malis Pœnæ : suum cuique parti definimus auctorem. Malorum quidem Peccati et Culpæ, Diabolum ; malorum vero Supplicii et Pœnæ, Deum creatorem. Ut illa pars, Malitiæ deputetur ; ista, Justitiæ, mala condentis judicia, adversus mala Delicti. » Optime. Mala culpæ, vere mala, non sunt a Deo ; mala pœnæ, dictione et opinione mala, sunt (audacter dicimus) ab illo. Damascenum audi (lib. IV, cap. 20), Græcum Afro congruentem : « Dupliciter Malum dicitur. Natura, quod virtuti adversatur, et divinæ voluntati. Opinione, quod sensu nostro tale est ; ut sunt calamitates, et afflictiones. Nam hæc in specie mala, re bona sunt, sapientibus conversionis et salutis causa. » Addit deinde scitum corollarium : « Sciendum, quod et horum nos causæ simus. Nam malorum quæ a voluntate sunt, hæc quæ contra eam, sunt proles. » Quid potest verius aptiusque ? Externa mala tu accusas ? te potius et interna tua, quibus hæc provocasti, et (illius metaphora) procreasti. Ante sanctum virum, quam sapienter hoc magnus ille Homerus ? Apud quem Jupiter :

> Ὦ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιάωνται.
> Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κακ' ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
> Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν. (Odyss. α.)
>
> Vah : quam nunc homines injuste numina culpant !
> Ex nobis namque esse mala aiunt, at sibi ipsi
> Nequitia propria, præter Fatum, mala gignunt.

Potuisse aliquem profundum hoc Providentiæ penetrare, si non a cælesti aura provectum ? profecto fuit. Stulti, inquit, mortales Deum inscribunt cladibus auctorem : sese debent. Non enim ille, nisi ob proprias eorum culpas, hæc immittit ; nec Fato simpliciter, nisi attextu causæ talis, destinavit. Punit, sed quia peccarunt. Nexa hæc sunt : et ideo Zeno noster olim, servo in furto deprehenso, quum castigaret, atque ille reclamaret, « Fatale mihi erat furari : Et cædi, inquit. » Igitur non hæc Mala, sed Opinione tantum, sive ut Seneca, *Specie*. Ita enim alibi (Epist. xcv) : « Dii nec dant malum, nec habent : cæterum castigant quosdam, et coercent, et irrogant pœnas, et aliquando specie mali puniunt. » Jam hæc capis, et assentiris ? Aud. Capio, assentior : nec vel jus est in hos testes refra-

Digitized by Google

gari. Tamen explicatius, quæso, Malorum culpæ da auctorem. *Diabolum*, aiebas ex Tertulliano. Sed quid? an non et hunc Deus fecit? ergo malum, et mala. Lips. Respondeo, Diabolum auctorem sui sibi mali fuisse, nostri suasorem. Quomodo? nam Deus hunc quoque bonum fecit primitus, sed liberi sui arbitrii et spontis : elegit autem malus esse. Itaque si quæris, Unde malum? cum Damasceno dicam : « Spontaneæ voluntatis Diaboli inventum. » (Lib. IV, cap. 21.) Ipse sibi, et ex se, fecit : si eo verbo in re nihili est utendum. Malum enim non est aliquid *quod Est;* haud magis quam Tenebræ, aut Cæcitas : sed duntaxat privatio et deliquium boni. Et inde aptissima voce Latini *Delictum* dicunt. Ergo non proprie dixerim *Factum*, aut *Productum :* magis admissum et inductum : sicut luci tenebræ, Soli nox succedit. Creationem igitur non quære : causam potes; atque ea est Voluntas. Augustinus subtiliter (XII De Civit. cap. 6), ut solet : « Mala voluntas est efficiens, operis mali; malæ autem Voluntatis efficiens, est nihil. » Iterumque (cap. 6) : « Nemo quærat efficientem malæ Voluntatis; non enim est Efficiens, sed Deficiens : quia nec illa effectio est, sed defectio. » Tenebras nemo videt; silentium nemo audit : intelliguntur absentia contrariorum, quæ sunt; ita hic, quod Malum est, non vides, neque proprie subsistit; neque omnino, ut verbo dicam, est. Ecce in exemplo. Fornicatio actus est, et malus, subsistit et est aliquid, sed ea parte non malus, qua est amor, conjunctio, actio : ea tantum, qua præter aut contra Deum ejusque legem exercetur. Itaque initium habet, Boni absentiam; auctorem, Voluntatem; incitatorem, Diabolum. Heu subtilia, et nostræ Theologiæ! inquies. Sunt, et non sunt; nam et Plato, et Platonici sic adstruxerunt. Ille alibi (lib. X de Rep.), in oratione Lachesis : « Virtus dominum non habet, libera est; quam ut quisque colit, aut negligit, plus minusve ex ea habebit. Causa eligentis : Deus autem extra culpam. » In arbitrio et voluntate utrumque est nostra, Virtus Vitiumque : « Et malitiam (ait Tyrius Maximus) libertas animæ et parturit, et parit. » Satis jam dedi Deum non auctorem : et cum Platone hoc claudimus : « Deus, et omnia quæ a Deo, semper et ubique optime habent. » (In Timæo.)

Digitized by Google

DISSERTATIO XVI.

Tertio quæsitum de Malis Externis : et responsum. Videri etiam minima illorum a Deo esse.

Aud. Et satis accepi equidem : sed de *Externis* malis levi sermone, et ut transiens, libasti. Non tanti sunt? Atqui, Deus bone, quam culpant? Poetæ, oratores, ipsi Philosophi inclamant, et ab hoc aspectu non Providentiam tantum, sed Deum pæne tollunt. Juvenis aliquis obiit? vir bonus, et vita dignus, obiit? audi voces.

..... Ignoscite fasso,
Sollicitor nullos esse putare Deos. (Ovid.)

Alterius : « Convalesce, ne optimi Senatoris longa vexatio faciat fidem, Nihil curare cælestes. » (Symmachi lib. VIII.) Quid mulierecula, quæ e sepulchro clamat? « Procope manus levo contra Deum, qui me innocentem cito sustulit. » Quid ergo? melius erat *nocentem?* iterum alius (Quadrigar.) : « Hæc maxima versatur Deorum iniquitas, quod optimum quemque non sinunt diurnare. » Jam ubi boni jacent, mali florent et vigent; quot querelæ?

Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo,
Pompeius nullo : credimus esse Deos?

Jason ad Medeam, in scelere felicem :

Testare nullos esse, qua veheris, Deos. (Sen. in Med.)

Alius Tragicus :

Τολμῶ κατειπεῖν, μή ποτ' οὐκ εἰσὶ θεοί,
Κακὸν γὰρ εὐτυχοῦντες ἐκπλήττουσί με·

Audeo profari : Suntne vel regnant Dei?
Namque improborum me attonat felicitas.

Iterum poeta :

Quinetiam infelix Virtus, et Noxia felix;
Et male consultis pretium est, Prudentia fallit :

Digitized by Google

Nec Fortuna probat causas, sequiturque merentes :
Sed vaga per cunctos, nullo discrimine, fertur. (Manil. IV.)

Feratur : quid deinde infertur?

..... Jamjam neque Dii regunt,
Neque profecto Deum summus rex omnia curat.

Non sit finis ejusmodi sermonum : quos impios scio, et exspuo : sed cogitationum umbras istas quis potest statim et fortiter pellere, nisi Ratione munitus? quam a te exspecto. Lips. Ego vero transivi, ut ais, et attigi : quid enim opus dicta mihi aut aliis iterare? Olim in *Constantia* satis ostendi causas suas et justitiam hæc omnia habere, quæ in prima fronte alienissima ab ea videntur. Quid ipse noster Seneca, nonne proprio libello *Prooidentiam* satis asseruit contra ejusmodi vellicationes, aut morsus? Et pleræque istæ Affectuum voces sunt, non Judiciorum. Matrem tu illam audies, ut ratione loquentem, quæ amisso filio,

Atque Deos, atque astra vocat crudelia?

audies, sed ut matrem. Tale in aliis, qui de immatura aliqua morte queruntur : in qua sensus et rationis compotes gratulari et gaudere debebant. Nugatoria hæc sunt. At floret, et dives est aliquis malus. Magnum! habeat sibi, in curam, angorem, ruinam. Pauper, bonus. Quid mali? nisi iis qui « hæc sola mala autumant, quæ non faciunt malos : et magis erubescunt (ab Augustino mutuor III De Civit. cap. 1) si Villam malam habeant, quam Vitam. » Alibi distinctius de causis diximus : sed semel nunc et universe, in istis omnibus opinione Malis, aut Punit Deus, aut Exercet. Punit malos aut junctos malis : exercet suos et firmat. Junctos dixi; nam sæpe contagione quadam, ut mali bonorum, sic boni malorum consortes fiunt, utrique ob utrosque. Nec Homerus hoc nescivit, qui de Græcis afflictis causam reddit,

.... ἐπεὶ οὔτε νοήμονες, οὔτε δίκαιοι
Πάντες ἔσαν· (Odyss. γ.)

.... quia nec sapientes, sed neque justi
Omnes vivebant.

Audis, *omnes?* ob mixtos malos, male fit igitur et probis : sed ob

Digitized by Google

probum aliquem finem. Augustinus (IV De Civit. cap. 3) : « Justis quidquid malorum irrogatur, non est pœna criminis, sed virtutis examen. » Stringo, etsi in lato ad cursum campo : alia nos vocant. Aud. Ego tamen leviter teneo, aut tuus Seneca : hunc audi, et te indulge. Ille vero in his *Externis* non agnoscere, aut approbare Providentiam videtur : certe non semper. Verba ejus perpendenda (Epist. xcv) : « Deos esse, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curiosi singulorum. » Scis eum verba bene librata dare : quid hoc est, Deos *Universa* curare ; *Generis* totius humani tutelam gerere, etiam *Singulorum*, sed *Interdum ?* Quid, inquam, nisi interdum negligi et seponi? Consequitur, quoquo te vertas : nec aliud in mente sensit. Est nempe hoc quod Balbus ille Stoicus apud Tullium adfirmat, « Deum singulos homines curare » : sed cum exceptione, quam addit : « Nec vero hoc ita refellendum est, ut si segetibus, aut vinetis cujuspiam tempestas nocuerit, aut si quid e vitæ commodis casus abstulerit ; eum, cui quid horum acciderit, aut invisum Deo, aut neglectum a Deo judicemus. Magna dii curant, parva negligunt ; magnis autem viris prospere eveniunt semper omnes res : siquidem satis a nostris (Stoicis) et a principe Philosophorum Socrate dictum est, de ubertatibus Virtutis et copiis. » (II De Natur. Deor.) Hæc illuc eunt, ut Deus insuper habeat, et quasi conniveat, dentur Externa, non dentur singulis, Bona sive Mala : et satis, si Virtus adsit ; in qua una Felicitas et beatæ vitæ summa. Et Cotta in refellendo (lib. III, extr.) prorsus hoc apprehendit, *Singulos non curari* semper a Diis, ex Stoicorum sensu : in hac, dico, Externorum parte. Ubi ergo, Lipsi, Providentia tua omnium et singulorum ? Lips. Immota, nec hic Austellus turbarit. Seneca, et alii, aliquid vacillant : sed non ut nesciri ista a Deo faciant (non opinor), sed patiente eo, et velut connivente evenire. In Materia hæc insita erant, ut dictum est, ideoque quadamtenus a Providentiæ lege exempta : si ita accipis, ut nolis immitti ea, sed permitti. Non aliud hic video : immo illud video, Senecam toto libello *De Prooidentia* huic neglectui adversum, et ex destinato omnia, et consulto, et bono etiam nostro fieri. Sed jam ad planiora et minus aspera.

Digitized by Google

DISSERTATIO XVII.

Triplex objectio contra Fatum ; ordine solvuntur singulæ.

Aud. Nec nunc dimittam. In Providentia acquiesco, fluctuo etiam in Fato. Immobile dixisti : quomodo potest, triplici ista injectione? Primum, Magia, et Genii inferi vel aerii mutant, aut incidunt : usu notandum, et Lucano alibi clare scriptum. Deinde, Deus ipse mutat, qui precibus exoratur ; et flectitur, atque adeo pœnitet : quod ipse in Sacris de se dicit. Tertio, si pertendis omnino immutabile ; Peccata ab eo non excludes, quidquid ante dixeris, et necessario evenient ex Præscientia illa divina. Has quoque nubeculas si pellis ; o te meum Solem, et fato mihi quoque datum ad animum serenandum ! Lips. De Fati serie diximus : tu quoque videris eam nectere, et catenam struere interrogationum. Solvamus tamen levi opera ; nec fortasse implicata nimis, quæ offers. De Magia, commemini sane Lucanum scribere, ubi Thessala illa maga ad Pompeium filium :

> ..... conciditur arti,
> Unam quum radiis presserunt sidera mortem,
> Inseruisse moras : et quamvis fecerit omnis
> Stella senem, medios herbis abrumpimus annos. (Lib. IV.)

Hoc in singularibus fatis jactat, sed in publicis, abdicat.

> Nam simul a prima descendit origine Mundi
> Causarum series, atque omnia Fata laborent,
> Si quidquam mutasse velis, unoque sub ictu
> Stat genus humanum : tunc, Thessala turba, fatemur ;
> Plus Fortuna potest.

Hæc poeta ille ita divisim, qui amat quidem Stoicus sæpe esse : in hac tamen sententia hæreo, nec temere decido. Quid vult? singularia Fata ab æterno et a *prima origine Mundi*, ut loquitur, non definita apparet : aut saltem seorsim causas suas habere, nec cum aliis implexas. Itaque sollicitari et moveri, sine confusione aut turba Universi. Aliter in Publicis ; quæ plures tangunt, et pluribus nexa sunt et injuncta. Ista, dico, mens videtur : sed vana. Nam quan-

Digitized by Google

tumvis subitum aliquid, aut inopinatum a Magia intervenit (neque enim negamus), nostro tamen sensu id fit, Deo jam ante visum et scitum. Talis, dico, illa subita causa, inter medias est, et adjutrices illius Fati. Quod autem de Publicis ait, non mutari, id sane verum, nec magis tamen minusve, quam Privata : sed hoc singulare habent, quod noluerit minutos istos Genios hic inseri, et totum illud notabile et nobile regimen sibi, aut altioribus Geniis, asservavit. Itaque mirum satis est, omnem Genialem collatam operam nihil in Regum consilia vel arcana, nihil in Judicum decreta aut pœnas : addo, parum aut nihil in rem nummariam, aut thesauros, posse. Vim illorum et subtilitatem si vides, quid facilius, quam in cubicula Principum irrumpere, litteras tollere, aut supponere? in arcam meam aut Crassi potius alicujus penetrare, et vim pecuniæ auferre, clientulis suis largiri? Non possunt : refrænat benignus, et nostri curator Deus; ne si hæc talia faciant, magis ad se alliciant, et in barathrum secum trahant. Atque hoc de Magia igitur, ex vero si vides, non refellit Fatum : si ex Lucani sensu, dubito, et ne ille quoque voluerit (supra dictum) cum patruo suo negligi interdum res, aut Fata *Singulorum*. Altera injectio, de Precibus, et Deum flecti ac mutari. Pro vulgo satis hic loqueris, et altius ire te volebam, et præivi. Quid? Deum tu censes mutare sententiam? ira aut miseratione, humanum in morem, tangi? Immutabilis est : et Sacra quod sic loquuntur, pro captu nostro est, et figurato duntaxat quodam sermone. Augustino hoc credes, sic scribenti (XIV De Civit. cap. 11) : « Deus etsi dicitur statuta mutare (unde *tropica* locutione in Scripturis sanctis etiam pœnituisse legitur) juxta id dicitur, quod homo speraverat, vel naturalium ordo causarum gestabat : non juxta id, quod se omnipotens facturum esse præsciverat. » Item alibi (XXII De Civit. 1) : « Quum Deus mutare dicitur voluntatem, ut quibus lenis erat, verbi gratia, reddatur iratus, illi potius, quam ipse, mutantur : et eum quodammodo mutatum, in his, quæ patiuntur, inveniunt. Sicut mutatur Sol oculis sauciatis, et asper quodammodo ex miti, et ex delectabili molestus efficitur, quum ipse apud seipsum maneat idem qui fuit. » Tale in Hieronymo, quum ad hanc objectionem respondet

Digitized by Google

(In Ezech. cap. 33) : « At prædixit aliquid Deus », addit : « Non enim prædixit, ut veniat, sed ne veniat : et ideo comminatur, ut convertatur ad pœnitentiam cui minatur », et alibi (In Daniel cap. 2) planissime cum Augustino : « Ad preces Ezechiæ et Ninivæ Dei sententia commutata est : non vanitate judicii, sed eorum conversione qui meruerant indulgentiam. » Jam tertium quod opponebas, est a Præscientia Dei, quasi eventus alligante, et sibi adstringente. Id firmum quum primo videatur, infirmissimum est inspectum et exploratum. Qua Præscientia? nego in Deo esse. Non enim præscit proprie, sed scit; nec prævidet, sed videt. Nostræ imbecillitatis verba sunt, qui tempora partimur, nec aliter intelligimus : Deo omnia juncta, nexa, unita, Præteritum, Præsens, Futurum. Omnia, inquam, in præsente et in oculis habet, et Æternitas illi est momentum. Imagine aliqua hoc discrimen Maximus Tyrius ostendere voluit (Serm. I), comparatque « Divinam mentem Soli, qui uno intuitu, quod ubique est lustrat : hominem Viatori, qui longa mora, et temporum intervallo hæc et illa videt, et non videt. » Tenuis comparatio, sed illustriorem unde sit dare? Itaque fæx et sordes nostri intellectus sunt, quum argutamur de hac Præscientia : cogita autem vere Scientiam esse : et simul capies, quam nulla necessitas ab ipsa impressa. Ecce ego te in convivio potantem, saltantem, amplexantem : certo quidem video, nec fallor : numquid ergo causam præbeo, aut cogo? Negabis, et hic nega. Illud magis urgeat aliquis : An non vult igitur illa fieri? Vult, non vult : et distinguo. Est Voluntas in Deo, quæ Græcis Theologis κατ' εὐδοκίαν dicitur : id est, *voluntas juxta id quod libet, et placet:* atque ea est vere et proprie voluntas. Est altera κατὰ συγχώρησιν, *ex permissione et concessu:* qua habet se in modum sinentis magis, quam assentientis. Illa prior in Bonis est, aut Mediis : hæc altera in vere Malis, id est, Peccatis, quia videt fieri, et patitur (quid enim illo invito fiat?) sed causas medias liberas et sui juris fecit, nec immutat. Iterum curiosulus : At potuit fecisse hominem in bono firmum, nec malo flexilem : cur non fecit? Stulte causa a causa ipsa petitur : aliquid tamen, ut homo, dicam. Liberum fecisse voluit, et decuit illum sublimem inter omnia animalia, illum

Digitized by Google

Deo propinquum. Perfectus homo non erat, si liber non erat. Denique sic placuit; cui nisi optimum placere non potest: quid inquitis? « Et quamquam præscierat (Tertullianus Adv. Marc. II, c. 7) hominem male institutione sua usurum: quid tam dignum Deo, quam gravitas, quam fides institutionum qualiumcumque? » Sed gradum jam refræno. Providentia et Fatum verbis satis asserta sunt, magis seipsa quotidie factis. Teneamus utraque manu, amplectamur toto animo, omnibus et singulis hæc intervenire. Homerus clamat:

.... Μοῖραν δ' οὔτινα φημὶ πεφυγμένον ἀνδρῶν,
Οὐ κακὸν, οὐδὲ μὲν ἐσθλὸν, ἐπὴν τὰ πρῶτα γένηται.

.... Fatum sic nullum vitasse virorum
Pravum, sive bonum, quum primum venit in orbem.

Quis fructus erit? Patientia, et Constantia. « Ad hanc legem animus noster aptandus est, hanc sequatur, huic pareat: et quæcumque fiunt debuisse fieri putet, nec velit objurgare Naturam. » (Ep. CVII.)

DISSERTATIO XVIII.

Genios etiam esse, Dei et Providentiæ ministros; eorum genera, et sedes, ac de Heroïbus primo, Laribusque.

Deum supremum, et divina, vidimus: ad ministeria ejus imus, sive Genios, quos non auxilium (quid opus erat?) sed ornamentum, et testandæ bonitati, sive magnitudini, assumpsit. Atque etiam ordinem assumpsit. Nam quum « Mundus Deorum hominumque sit civitas, » ut Stoicis placet: decorum et ordo voluit ubique eum coli; et ab iis, qui gradibus et dignitate distinguerentur. Plato et Platonici quam multa de istis; sed mihi lubet et convenit in Porticu hærere: quæ ita definivit (apud August. VII De Civit. c. 6), Varronis verbis. « Mundum dividi in duas partes, Cælum et Terram. Et Cælum bifariam, in Æthera et Aera. Terram vero, in Aquam et Humum. Quas omnes quatuor partes animarum esse plenas: in Æthere et Aere, immortalium; in Aqua et Terra, mortalium. A summo autem circuitu cæli, usque ad circulum Lunæ, Æthereas animas esse, Astra ac Stellas, eosque Cælestes Deos non

Digitized by Google

modo intelligi esse, sed etiam videri. Inter Lunæ vero gyrum, et nimborum ac ventorum cacumina, Aereas esse animas : sed eas animo, non oculis, videri : vocarique Heroas, Lares et Genios. » De Aqua et Humo omittit, in quibus sunt mortale genus, Homines et Bruta. Hæc vero pulchra, et Varrone digna, examinemus, atque ad ea Stoicum præcipue sensum aptemus. Dividit *Cœlum* in *Æthera et Aera*. Ita enim nostri, nec nisi purissimum illum et cælestem ignem, non alium subtus Lunæ circum agnoscunt. *Aera* autem *Cœli* voce comprehendunt et Hebræi passim, quod e Sacris nostris est notum. Addit mox, « Eas omnes partes Animarum esse plenas. » Plenas? Æneæ Gazæi verbis (In Theophrasto) hoc adstruendum est, pii et docti scriptoris. « Atqui potestatum intelligentium (id est, Spirituum) plenum totum cælum, plenus æther angelorum et dæmonum, plenus aer, plena terra, et mare, et omnia quæ sub terra. Atque ut dixit aliquis [1] nostrorum Sapientum, nihil vacuum, ubi vel capillum in Æthera Aeraque jacias. » Vera dicit; infinitæ, nostro sensu, myriades myriadum sunt, Bonorum Malorumque; Deo finitæ. Memini in veteri quopiam legere, « Non aera æstate tam plenum muscis, quam Geniis esse. » Addit Æneas amplius : « Si Deus donet hunc Mundum decem millia annorum etiam stare, et homines vivere assidue ac mori : numquam tamen Angelorum Dæmonumque numerum Animæ superstites possint æquare. » Pergamus in Varrone, qui ait : « A summo cælo ad circulum Lunæ Æthereas animas esse. » Paulo alia distinctio in Martiano Capella (lib. II), qui « Deos, quos ignitæ substantiæ flammantisque suspicimus, ab ipso Æthere sphæræque superioris ambitu, usque solarem circulum » deducit et locat : eosque « Deos simpliciter, itemque Cælites perhiberi et causarum arcana componere. Illic Jovem ipsum regnare. At intra Solis meatum, usque Lunarem globum, secundæ Beatitatis numina, supparisque potentiæ esse : per quæ Vaticinia, Somniaque, ac Prodigia componuntur. » Itaque et Genios ibi locat, non in Aere; aliter ac nostri, et Plato ipse. Unde hauserit, non nunc quæro : ad meum redeo, qui in *Æthere Ani-*

[1] Aliquis e Patribus Christianis.

Digitized by Google

mas ponit, *Astra ac Stellas*. Quod in parte Stoicum, atque etiam Socraticum, Sidera aut Animas, aut animata esse. Pergit : « At vero inter Lunæ gyrum, et nimborum ventorumque cacumina. » Observa : ergo tantum in media aut supera Aeris regione *Heroas*, *Lares*, *Genios* locat? Apparet e verbis : si tamen satis plena Augustinus ea retulit, aut exscriptor dedit. Nam ego, hercules ambigo, et controverto : jure. Quid? *Genii* nulli in Aere infero, et circa terram? sunt vero, et innumeri : atque ipsi nostri omnes tutelares. Quid *Lares*, in Aere supero? imo inferum istum colunt, atque adeo domos et focos. Denique communis opinio, qui de Genjali hac re scripserunt, totum Aera iis assignat. Quid ergo in Varronis scripto aut sensu hic sit, plane haud dixerim : exempla videamus. *Animas* ibi esse, quæ *vocentur Heroes*, *Lares*, *Genii*. Tria genera dat, situ etiam diversa ; nam Heroes in supero Aere, Lunæ vicini ; Lares in imo, Terræ ; Genii, per totum eum sparsi agunt. Licet autem distinctius dividere, *Geniorum* alios (communi nomine) *Animas* quidem esse, sed quæ aliquando in corpore fuerint : uti sunt *Heroes*, *et Lares*. Alios, præstantiore dignitate, qui semper a corporis compedibus ac nexibus liberi egerunt : ut sunt *Genii* proprie dicti. Et qui sunt *Heroes?* Alii nobis, alii Platoni, qui eos ἡμιθέους, *Semideos*, vocat *ex Aqua natos* (In Epinomide) : quod scilicet crassiore quadam substantia, quam Genios Aereos, constare ac confici censeret. Hos ἀπὸ τοῦ ἔρωτος derivat (In Cratylo), « quod ex amore immortalis Dei in fœminam aut immortalis fœminæ in virum, procreari videantur. » Cujus sententiæ et Hesiodus fuit, quum scripsit (in Ἔργοις) :

> Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος, οἱ καλέονται
> Ἡμίθεοι·
> Divinum genus Heroum, quos et vocitamus
> Semideos.

Alii ab ἥρας, id est, *Junonis*, aliique ab ἔρας *Terræ* voce Heroas formant : quod « Heram veteres (ait Marcianus) Terram dixerunt » : quasi terrestres quosdam Deos. Atque ita Prisci Latini *Semones* dixerunt, velut *Semi homines* : nam *Hemonem* illi *hominem* efferebant. Sed Augustinum pro Stoico sensu audiamus (lib. X, c. 21) :

Digitized by Google

« Herois nomen a Junone dicitur tractum, quod Græce Juno ἥρα appellatur : et ideo nescio quis filius ejus Heros fuerit nuncupatus. Hoc videlicet, veluti mysticum, significante fabula, quod Aer Junoni deputetur, ubi volunt cum Dæmonibus Heroas habitare, quo nomine appellant alicujus meriti animas defunctorum. » Apuleius consentienter (De Deo Socr.) : « Deos appellant (hos minores) qui ex hominum numero juste ac prudenter vitæ curriculo gubernato, pro numine postea ab hominibus præditi[1], fanis et cæremoniis vulgo admittuntur : ut in Bæotia Amphiaraus, in Africa Mopsus, in Ægypto Osiris, alius alibigentium. » Plutarchus : « Stoici Heroas dicunt, τὰς κεχωρισμένας ψυχὰς τῶν σωμάτων : animas a corporibus abjunctas. » Nec tamen omnes : et restringit merito Laertius, inter Zenonia : « Heroas esse, relictas animas Sapientum. » Lucanus (lib. IX, v. 6 seqq.) :

Quodque patet terras inter Lunæque meatus,
Semidei manes habitant; quos ignea virtus
Innocuos vita, patientes ætheris imi
Fecit, et æternos animam collegit in orbes.

Plura nos, ubi de Anima : libasse nunc satis est. Qui autem *Lares?* Seneca a Geniis separat (Ep. xc) : « Quid sint inferi, quid Lares, et Genii » : sed Apuleius clarius aperit. « Animum humanum, exutum, et liberum stipendiis vitæ, hunc, inquit, vetere Latina lingua Lemurem reperio dictitatum. Ex hisce ergo Lemuribus, qui posteriorum suorum curam sortitus, pacato et quieto numine domum possidet, Lar dicitur Familiaris. Qui vero, propter adversa vitæ merita, nullis bonis sedibus in terra, vagatione, ceu quodam exilio punitur, inane terriculamentum hominibus, cæterum noxium malis; hunc plerique Larvam perhibent. Quum vero incertum est quæ cuique eorum sortitio evenerit, utrum Lar sit an Larva; nomine Manem Deum (sic legendum) nuncupant. » Nemo melius descripsit : etsi breviter etiam Marcianus Capella (lib. II) : « Lemures, si vitæ prioris adjuti fuerint honestate, in Lares domorum urbiumque vertuntur : si autem depravantur ex corpore, Larvæ perhibentur ac Maniæ. » Ecce igitur duas *Animas*, quas in Aere

[1] Lego *postea hominibus præbiti.*

Digitized by Google

Varro locat : itemque Capella, « sed superiorem partem esse Heroum, inferiorem Manium. »

DISSERTATIO XIX.

De Geniis proprie dictis, Bonis Malisque. Singulis eos esse, item locis, et regionibus : et eorum curæ, aut opera.

Ar jam *Genios* ipsos, quos distinximus a duplici priore genere, videamus. Unde ordiar, ubi desinam? nam verè licet dicere, adeo hæc Græcis Latinisque « frequentata et celebrata esse; ut nemo ea commemorare adortus sit, quin multo plura omiserit, quam recensuerit. » (Apul.) Ingens copia rerum, et sensuum : nec miremur, quia certe ingens hoc Naturæ et arcanum ministerium, quod per omnia ejus membra se spargit, insinuat, penetrat; secundæ a primo Deo causæ, et quæ miranda nobis, aut stupenda conantur quotidie, aut patrant. Magne et occulte Deus, tales etiam tui famuli : quos sine veneratione et metu vix est tangere, adstantes hic nobis, spectantes, et arbitrantes. Date veniam : liceat cum pace vestra libare, aut iterare dicta aliis : sed compendio et dilectu, ut rei nostræ et sectæ convenientia videbuntur. Esse igitur tales, Stoici asserunt, eosque Græce Δαίμονας dici; et definiunt, οὐσίας ψυχικάς, *substantias animatas :* id est, Animæ in materie similes, usu et fine distantes. (Plut. I De Plac. cap. 8.) Pythagoras ante eos : « Esse totum aera plenum animis : easque et Dæmonas, et Heroas existimare. » (Laert.) Nam *Lares* Græci non distinguunt, imo, cum *Heroibus* confundunt : atque ita Glossæ, ἥρωας, *Lares*, non semel interpretantur. Sed *Dæmones* igitur illis hoc genus dicti. Quare? « aut quia sunt δαήμονες » (Macrobii verba I Saturn. cap. 23) id est, scientes futuri; aut, « ut Posidonius scribit in libris quibus titulus est περὶ ἡρώων καὶ δαιμόνων, quia ex ætherea substantia parta (lego *partita*) atque divisa qualitas illis est; sive ἀπὸ τοῦ δαιομένου, id est, καιομένου seu ἀπὸ τοῦ δαιομένου, hoc est, μεριζομένου. » Vides hominis Stoici (Posidonii) super verbo sententiam, quæ fere est et Platonicorum : sed ipse ex *Ætherea substantia* fingit, isti ἀερεὸν γένος (ipse ita Plato, in Epinom.) *Aereum genus* faciunt; non tamen ex « hac fæculenta et

humida caligine conglobata corpora, sed ex illo purissimi Aeris liquido et sereno elemento coalita.» En aliquod discrimen in materie; et Stoici consentienter reliquæ suæ doctrinæ ex *Æthere* formant, ex quo et Animas humanas. Sed hi sunt, quos Latini *Genios* dicunt. Tertullianus (Apolog. cap. 32): « Nescitis Genios Dæmonas dici, et inde diminutiva voce Dæmonia? » Lactantius (lib. II, c. 14): « Hi spiritus sibi Geniorum nomen assumunt: sic enim Latino sermone Dæmones interpretantur.» Festus etymon dat, «Genium esse Deum, qui vim obtinet rerum genendarum[1].» Addit deinde: « Aufustius inquit, Genius est Deorum filius et parens hominum ex quo homines gignuntur: et propterea Genius meus nominatur, quia me genuit. Alii Genium esse putant, unius cujusque loci Deum.» Varia miscet: secernamus, et illustremus. Quin *Genius* a *genendo*, non dubium: sive quia genuit nos, sive, ut Apuleius, « quia nobiscum genitur.» Aufustius aiebat, « *Deorum filium esse*: » quorum? immo unius Dei, Jovis; ex ipso Festo: «Tages Genii filius, nepos Jovis,» qui disciplinam aruspicii dedit. Igitur supremi Dei filius, et (nisi fallor) Varronis interpretatione Mundus. Augustinus: « Quid est Genius? Deus est, inquit (Varro), qui præpositus est ac vim habet omnium rerum gignendarum.» Subdit Augustinus: « Quem alium hanc vim habere credunt, quam Mundum, cui dictum est, Jupiter omnipotens, progenitor, genitrixque? Et cum alio loco Genium dicit esse uniuscujusque Animum rationalem, et ideo esse singulos singulis: talem autem, Mundi animum, Deum esse: ad hoc idem utique revocat, ut tanquam Universalis Genius ipse Mundi animus esse credatur.» Haud dubie in his doctissimi Varronis Stoica aliqua sententia est: et qualis? Genium duplicem esse: *Singularem*, Animum suum cuique; *Universalem*, Animum Mundi. Hic igitur Animus, sive « Incorporalis Ratio (ut Seneca) ingentium operum artifex,» Genius ille est a genendo. Nec inepte *Dei filius*, quia ab eo est, et idem ipse. Itaque vides duplicem ab iis Genium statui: quod item a Capella. « Ex superiorum, inquit, Deorum arbitrio, et secundorum comitatu, et Generalis omnium præsul,

[1] Ita leg. non *gerendarum*.

Digitized by Google

et Specialis singulis mortalibus Genius admovetur, quem et Præstitem, quod præsit[1] gerandis omnibus, vocaverunt. Nam et populi Genio, quum Generalis poscitur, supplicant; et unusquisque gubernatori proprio dependit obsequium. » Ubi tamen *Generalem* illum ad populos tantum singulos, provinciasque : sicut *specialem* ad homines, urbes, loca alia certa, videtur allegare. Sed Varroniana mens alia fuit : etsi apta et vera etiam hæc divisio, quosdam Geniorum sub illo magno Imperatore, velut Legatos aut Tribunos, populis regionibusque curare; alios iterum quasi Centuriones, collegiis, oppidis, vicisque; denique et gregales milites, singulis hominibus, locisque. Ita templum *Genii publici*, sive *Genii p. r.* scimus in Urbe fuisse : item Coloniis, suos Genios : ipsi Principi seorsim suum, grandiorem aliquem grandiori. Panegyricus scriptor, « Habes profecto aliquod cum illa Mente divina, Constantine, secretum, quæ, delegata nostri diis minoribus cura, uni se tibi dignatur ostendere. » Ostendere, per astitem et præstitem Genium aliquem digniorem. Nota superstitio, an adulatio vetus Romana, per Genium Principis religiose jurantium. At nobis, inquit, Dii minores sufficiunt. Vulgatissima autem hæc sententia Genios, a natali die, cuique asserentium. Menander :

> Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαραστατεῖ
> Ἐυθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βίου·
>
> Cuique Genius jungitur mortalium
> Statim edito, moderator ut vitæ siet.

Mystagogum ille dixit, Seneca noster *Pædagogum*. « Sepone, inquit (Epist. CXI), in præsentia, quæ quibusdam placent : Unicuique nostrum Pædagogum dari Deum, non quidem Ordinarium; sed hunc inferioris notæ, ex eorum numero quos Ovidius ait, de plebe Deos. » *Quibusdam* placere hoc ait : quibus? *Stoicis* suis; nam jungit : « Ita tamen hoc seponas volo, ut memineris majores nostros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuisse. Singulis enim et Genium et Junonem dederunt. » Genium, nempe viris, Junonem, fœminis : id erat, marem Genium, fœminamque, pro sexu. Plinius (lib. II, cap. 7) :

[1] Ideo et Græci τύχην *Genium* vertunt.

Digitized by Google

« Singuli ex semetipsis totidem Deos faciunt, Genios Junonesque adoptando sibi. » Itaque vere Lactantius (lib. II, c. 15): « Adhærent singulis hominibus, et omnes ostiatim domos occupant. » Quo tamen fine? jam dicto, ut curatores quidam essent, et inspectores. Hesiodus:

> Τοὶ μὲν δαίμονες εἰσὶ Διὸς μεγάλου διὰ βουλὰς
> Ἐσθλοὶ, ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.
>
> Sunt Genii, ex mente et nutu Jovis omnipotentis,
> Approbi, et in terris hominum genus accurantes.

Plato hunc talem vocat: « custodem vitæ, et adjutorem consummatoremque, quæ quisque elegisset. » In tabula Cebetis ingeniosa, *Senex* depingitur *Genius*, « qui Vitæ adstat, Chartam una manu tenens (e qua salutaria Monita legat) et altera quiddam veluti monstrans. Mandat autem ingredientibus, quid, ubi in Vitam venerint, faciendum sit, et cui viæ se committere debeant, si velint esse salvi. » Est ipsum dogma Stoicum: atque audi Epictetum. « Deus, inquit (I Dissert. cap. 14), nos curat: sed nihilominus curatorem unicuique addidit suum cujusque Genium, et custodiendum eum sibi commisit: atque eum, qui nec conniveat, aut dormiat, quique decipi non possit. » Sed et Zeno fatetur: « esse Dæmones quosdam, sive Genios, qui erga homines afficiuntur, suntque inspectores actionum humanarum. » Inspectores? usque eo, ut etiam forma humana se misceant, et singula ignoti ipsi norint. Homerus sapientia, qua solet:

> Καί τε θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι,
> Παντοῖοι τελέθοντες, ἐπιστρωφῶσι πόλησι,
> Ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντες·
>
> Atque Dei, hospitibus peregrinis se assimilantes,
> In specie diversa, urbes atque oppida oberrant,
> Et malefacta hominum, simul et benefacta notantes. (Odyss. p.)

Quid Plautus ille ab humili socco, nonne huc assurgit? *Arcturum* sidus facit præloqui (in Rudente):

> Ita sum, ut videtis, stella splendens, candida
> Hic atque in cælo: nomen Arcturo est mihi.
> Noctu sum in cælo clarus, atque inter deos:

Digitized by Google

Inter mortales ambulo interdius.
Qui est Imperator divum atque hominum Jupiter,
Is nos per gentes alium alia disparat,
Hominum qui facta, mores, pietatem, et fidem
Noscamus; ut quemque adjuvet opulentia.
Qui falsas lites falsis testimoniis
Petunt, quique in jure abjurant pecuniam,
Eorum referimus nomina exscripta ad Jovem:
Quotidie ille scit, quis hic quærat malum.

Et pluscula, quæ comiter addit. Quanquam hi Genii magis alti et sublimes sunt, et velut exploratores quidam ab Æthere, et Prætorio ipso, missi. Sunt igitur Genii observatores aut adstites, nec sortis tamen affectusque unius. Alii enim Boni sunt, alii Mali. Atque hos Trismegistus πονηρούς appellat, *Pravos*: κακοδαίμονας Plutarchus, et scriptorum vulgus. Clemens Alexandrinus (I Strom.): « Jam etiam Phocylides, Angelos vocans Dæmones, quosdam eorum Bonos, quosdam Pravos his versibus ostendit. Sicut et nos (Christiani) Desertores quosdam spiritus suscipimus, et notos habemus:

Ἀλλ' ἄρα δαίμονές εἰσιν ἐπ' ἄνδρασιν, ἄλλοτε ἄλλοι.
Οἱ μὲν, ἐπερχομένου κακὸν ἀνέρος ἐκλύσασθαι.

Miscentur Genii mortalibus, at diversi.
Hi quidem, ut a nobis clades et tristia pellant. »

Quasi dicat, alii autem ut immittant adjuventque. Atque hi mali, culti etiam antiquis, sed ut *Vejoves*, ut *Læva* numina, et « quos (Plinii verbis) placatos trepido metu cupimus: » nec ut adsint, sed absistant. Homerus sæpe agnoscit:

..... κακὰ μήδετο δαίμων·
..... Genius mala mente agitabat. (Odyss. μ.)

Item:

..... τίς τοι κακὸς ἔχραε δαίμων;
..... Malo quo dæmone es usus? (Odyss. κ.)

Iterumque:

Ἆσί με δαίμονος αἶσα κακὴ, καὶ ἀθέσφατος οἶνος·
Læsit me dæmon malus, et mala copia vini. (Odyss. λ.)

Satis de Privatis istis sive Singulorum Geniis: de Publicis aut Pas-

Digitized by Google

sivis aliquid addamus. Aud. Imo unum requiro tactum magis, quam plene dictum, de *Animo*, qui Genius suus cuique. Lips. Attigi, perficiam. Apuleius : « Quodam significatu Animus humanus, etiam nunc in corpore situs, Dæmon nuncupatur. »

> .... Dine hunc ardorem mentibus addunt
> Euryale, an sua cuique Deus fit dira cupido?

Igitur et Bona cupido animi Deus bonus est. Unde nonnulli arbitrantur, Εὐδαίμονας dici Beatos[1], quorum Dæmon bonus, id est, animus Virtute perfectus est. Quem nostra lingua, haud scio an bono, certe quidem meo periculo, poteris Genium vocare : quoniam is Deus, qui est Animus suus cuique, quanquam sit immortalis, tamen quodammodo cum homine genitur. » Satis plene atque etiam plane istic habes. Respexit Epicharmus :

> Ὁ τρόπος ἀνθρώποισι δαίμων ἀγαθὸς, οἷς δὲ καὶ κακός.
> Mores homini Genius bonus est, aut e diverso malus.

Etiam Heraclitus, quum dixit : « quod Ingenium homini Genius sit. » Atque ita quidam *Socratis* illud *Dæmonium* celebre interpretantur (Plut. et Cicero) : ut quoniam : « Animus illi purus, et a corpore maxime abstractus fuit, facillime audiret atque intelligeret monita Deorum. » Quanquam alii vere ad Privatum Genium ejus referunt, qui se ei conspicuum etiam dederit, paucis factum. Ammianus, de Constantio Imperatore (lib. XXI) : « Post hæc confessus est convictoribus proximis, quod, tanquam desolatus, secretum aliquod videre desierit, quod interdum squallidius adfuisse sibi æstimabat. Et putabatur Genius quidam, tutelæ ejus appositus, eum reliquisse, citius digressurum. Ferunt enim Theologi, in lucem editis hominibus cunctis, salva firmitate fatali, hujusmodi quædam, velut actus rectura Numina sociari : admodum tamen paucissimis visa, quos multiplices auxere virtutes. » Dat deinde Homerum auctorem, in cujus libris Genii cum viris fortibus versantur, et loquuntur : item « Pythagoram horum adminiculis præcipuis enituisse, et Socratem, et Numam Pompilium, et superiorem Scipionem,

[1] In Manuduct. lib. II, Dissert. XIX.

Digitized by Google

et Marium, atque Octavianum.» Sed omitto *Speciales*, sive Privatos: aliud genus est quod *Generale* diximus, et publice atque etiam privatim multiplices usus et pericula sui præbet. « Horum de numero curant, singuli, ut est cuique tributa provincia, vel Somniis confirmandis[1], vel Extis fissiculandis, vel præpetibus gubernandis, vel Vatibus inspirandis, Fulminibus jaculandis, ceterisque adeo, per quæ futura prænoscimus. » (Apul.) Uno verbo, Magiam totam isti suggerunt et administrant: nostris quoque Doctoribus scriptum. Ut Tertulliano (Apolog. cap. 23): « Per hos Magi phantasmata edunt, etiam defunctorum inclamant animas, pueros in eloquium oraculi eliciunt, multa miracula circulatoriis præstigiis ludunt. » Ut Minutio Felici: « Magi quoque non tantum sciunt Dæmonas, sed quidquid miraculi ludunt, per Dæmonas faciunt. Illis aspirantibus et infundentibus, præstigias edunt, vel quæ non sunt videri, vel quæ sunt non videri. » Denique vario prædictionum (sæpe fallaci) genere, « æmulantur divinitatem, dum furantur divinationem. » (Tertull. cap. 22.) Pythagoras hoc quoque observavit, et prodidit: « Ab his immitti hominibus somnia et signa, atque morbos etiam et sanitates: nec solum hominibus, sed pecudibus ac jumentis. Ad hos referri Lustrationes et expiationes; ad hos Divinationem totam, et Omnia, et similia. » Tertullianus et his addicit (cap. 22): « Corporibus et valetudines infligunt, et aliquos casus acerbos; animæ vero repentinos, et extraordinarios per vim excessus. » Minutius: « Vitam turbant, omnes inquietant, irrepentes etiam corporibus occulte, ut Spiritus tenues, morbos fingunt, mentes terrent, membra distorquent. » Quid dicam poma, vites, fruges præcipitari ab iis, aut lædi? quid alio traduci? quid pluvias, nimbos, ventos induci? et plurimum mala, ab his scilicet malis. Sed bona etiam a bonis, si non provenire, promoveri, est confitendum. Artes præeunt, aut docent: et quædam humano ingenio nunquam eruenda, ostendunt. In medicina, exempli causa, quis ambiget occultas multas herbarum vires ab iis proditas? quis Chemiam, novæ subtilitatis artem, his non deleget? et magis, quia ambiguam,

[1] Lego, *conformandis*.

Digitized by Google

et hædere aut fasciaure etiam pronam. Quis Horologia ferrata illa, cum tot ponderibus rotisque reperit? quis Magnetem ad nauticum usum suggessit? quis Typographiam? quis Bombardas? Boni isti, aut alii : sed cum Apuleii cauta admonitione, ut « cuncta hæc fiant Cælestium (imo *Cælestis* unius) voluntate, et numine, et auctoritate; sed Dæmonum obsequio, et opera, atque cura. » In bonis, inquam, *Voluntate et auctoritate* Dei; in aliis, permissione et concessu. Sustineo, et a vorticibus me removeo, ad ripam appello. Aud. Heus tu, neque ego auctor multa hic inquirendi : universe aliquid scire satis sit, vereri etiam totum genus aut revereri. Sed estne vitæ etiam aliquis in hoc fructus? Lips. In illis de *Custodia* magnus, Epicteti verbis suggerendus. « O homines, inquit (lib. I Dissert. XIV), scitote diligenti et præstanti cuidam Custodi unumquemque nostrum esse commissos. Quum igitur fores adduxeritis, et tenebras intus feceritis, mementote nunquam dicere, quod soli sitis. Non enim estis, non : sed Deus intus est, et vester Genius intus est. Et quid lumine istis opus est, ut facta omnia vestra videant? nihil. » Quid autem? vitæ solum curant, aut assistunt? Immo Plato autumat, non solum tunc « adesse, nemini conspicuos, omnium non modo actorum, verumetiam *cogitatorum* testes » (Apul.): sed et, « ubi vita edita, remeandum est, eumdem illum, qui nobis præbitus fuit, raptare illico et trahere velut custodiam suam, ad judicium, atque illic in causa dicenda assistere : si qua commentiatur, redarguere; si qua vera dicat, asseverare; prorsus illius testimonio ferri sententiam. » Quis homini hominum hæc suggessit, aut potuit, Sacrorum nostrorum arcanis sic alludentia, aut vicina? Miror hoc satis.

DISSERTATIO XX.

Pluscula etiam De Geniis. De origine, de malitia, de varietate munerum : et quædam huic rei e Sacris.

Aud. Et ergo in tota re habeo, quod mirer satis. Multa non multis (morem tuum novi) dixisti : recogitanda mihi in otio, aut ruminanda. Et pleraque hercules probasti : sed auctoritatem tamen

Digitized by Google

Sacrorum nostrorum, in re hac sacra, non sæpius advocari; id quoque mirabar. Nam absque ea, nec credens, ut sic dicam, credam. Lips. Ergo alibi aliquid ambigis? prome: fortasse confirmabo. Ann. Ego vero: primum in principio et conditu istorum Geniorum. Esse dixisti: sed quo auctore? qua materie, aut sine ea? et unde quibusdam hæc pravitas? Divisionem deinde dixisti, et munera: quid opus istis tot generum velut Adjuvis illi omnium potenti Imperatori? Per se numquid sufficit, publice privatimque, Mens illa per omnia diffusa, omnia gubernare? Hæc oratus expedi; sicubi etiam hæsero, orandus. Lips. Cymbam alligabam: solvis, et in fluctus iterum deducis. Pareatur tibi, atque etiam argumento; quod tractare quum cœpimus, pertractandum est. Quæris originem, et auctorem horum Geniorum. Auctorem? et quem, nisi illum omnium Deum? Ipse condidit: ante orbem, et omne opus; an statim ab orbe; disputant Theologi: nam Sacra siluerunt. Quod ante hominem, id consentiunt: et Græci fere etiam, quod ante omnem creaturam: « Decebat enim primo Intellectualem substantiam condi, et tum denique Sensilem »: ut adstruit ex Gregorio Nazianzeno Damascenus. (De Fide lib. I, cap. 3.) Condidit autem sola cogitatione: atque ea, opus illi fuit. De Materie deinde quæris. Theologiam nostram, id est veram, si attendis, non habent. Spiritus et Animi sunt, incorporei. Si Platonicam; corpora sunt, et quidem Aerea. Haud longe a nubium concretione: nisi quod « fila corporum possident (Apuleii scriptione) magis rara et splendida, et tenuia usque adeo, ut radios omnes nostri tuoris et raritate transmittant, et splendore reverberent, et subtilitate frustrentur. » Quid Stoici nostri? etiam corpora, sed *Ætherea*, id est, ignea, assignant. Et id sane convenientius nostris etiam Sacris. Ecce rex Hebræus (Psal. CIII): « Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. » Nec semel ita nominantur, aut comparantur: et Græcorum aliquis pulchre πῦρ ἄυλον, *Ignem immaterialem*, eos vocat. Nam agilitatem, levitatem, fervorem, lucem si vides: cum nulla rerum melius assimilentur. Hoc fateor, Aereum sæpe aliquid circumdare et assumere; scilicet ut nobis appareant, aut aliquo vestigio se ostendant. Sed tunc quoque (notatum) quum dissolvuntur, ignis aut sulphuris odorem ali-

Digitized by Google

quem sive signa ostentant. Sed de apparitione, *Chaldæorum Magi* asserebant, « Imaginum sive, sive Dæmonum, plenum esse Aera, qui velut fluxus quidam evaporationis, acute cernentium oculis se insinuent. » (Laert. in Præf.) Et Homerus ea mente alias cum ἀύτμου πνοῇ, *ventuli aura*, alias cum ὀμίχλῃ, *nebula tenui*, comparavit. Sed et Magi hodie fatentur, et infelices fæminæ libidinis Genialis victimæ, tactu frigidos plurimum esse : ab Aere et vapore scilicet isto circumfuso. Sed et idem poeta conspici a quibusdam, non ab aliis qui adsunt, facit : quod Magi etiam volebant :

> Οὐ γάρ πω πάντεσσι Θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς;
>
> Non etenim apparent Divi cunctis manifesti. (Odyss. π.)

Ubi illud mirabile, et ex Naturæ sinu excussum : Telemachum, qui aderat, Minervam non vidisse; canes vidisse;

> Ἀλλ' Ὀδυσεύς τε κυνές τε ἴδον· καὶ ῥ' οὐχ ὑλάοντο,
> Κνυζηθμῷ δ' ἐτάρωσε διὰ στάθμοιο φόβηθεν.
>
> Vidit Ulysses, atque canes : hi nec latrabant,
> Sed blando gannitu aliorsum diffugiebant.

Vides sensum numinis habuisse, et reveritos cum *gannitu*, non autem *latratu*, diffugisse. Et tale etiam hodie observatum, ad naturam sagacissimi animalis; haud frustra Hecatæ, id est, Lunæ, Geniorum præsidi, attributi. Sed inhibeo : de Materie satis dixi. Quærebas amplius, Unde pravi etiam facti? Id notum tibi oportuit. Litteræ sacræ nostræ tradunt, initio bonos omnes (quomodo aliter a Bono Deo?) conditos : sed in libertate arbitrii, ad fastum et prava inclinasse, et Deo adversantes, dejectos e cælo, sparsosque varie per hanc machinam esse. Illud notabile, quod Damascenus ait : « Ex angelicis potestatibus, illum qui Præses rectorque erat Terrestris ordinis, et cui Terra a Deo custodienda permissa erat » : illum, inquam, Deo rebellasse, et cum suis a cælesti felicitate, in hanc terram et tenebras decidisse. Tanquam ille non fuerit supremi (quod alii plerique Theologi) Ordinis angelus, sed hujus inferioris : et ideo in Terram suam relegatus, quam non curat nunc, sed turbat. Athenagoras etiam, paulo altius philoso-

Digitized by Google

phatus, et ad *Animam Materiæ* [1], malorum causam Platoni, adspiciens, etsi Christianus, ita tradit. « Angelorum, inquit, alii mansere quales a Deo facti erant, Boni, et munera sua fideliter curantes; alii, res sibi creditas proterviter habuerunt, et a Deo defecerunt: » Isti fuerunt, « Materiæ et Formarum in ea Princeps ac Rector, et alii qui circa primum [2] hoc firmamentum erant. » Iterumque postea vocat, « Materiæ Principem: atque illum Dei bonitati, sua procuratione et administratione, adversari. » Procedit longius, et ait: « quosdam ex istis, captos amore virginum, et libidine victos, defecisse. Ex quibus Gigantes, qui vocantur, nati sint: eorumque Gigantum animæ, circa terram obversantes, motus affectionesque similes parentum suorum edant. » Immo et Latini aliqui vetustiores in hoc sensu; ut Lactantius: « Deus Angelos misit, inquit (lib. II, cap. 15), ad tutelam cultumque generis humani; sed illos, cum hominibus commorantes, dominator ille terræ fallacissimus paullatim ad vitia pellexit, et mulierum congressibus inquinavit. Tum in Cælum ob peccata, quibus se immerserant, non recepti, ceciderunt in Terram. Sic eos Diabolus ex angelis Dei suos fecit satellites ac ministros. Qui autem sunt ex his procreati, quia neque Angeli, neque Homines fuerunt, sed mediam quamdam Naturam gerentes, non sunt ad Inferos recepti, sicut nec in Cælum parentes ipsorum. Ita duo genera Dæmonum sunt facta, unum Cæleste, alterum Terrenum. » Ipsa hæc talia Justinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Eusebius, Tertullianus, Sulpicius Severus: e quibus Eusebius etiam Poetarum fabulam de Gigantum rebellione petit et ducit. Horum igitur sensu, duplex Dæmonum lapsus, et discretis temporibus: alter statim initio Mundi; alter iste, paullo ante Diluvium, ut narratio Moysis docet. Vides etiam istos palam genituram Geniis adscribere, et fœminis jungere, easque implere: aliis Theologis fortiter negatum. Exempla aut testimonia etiam hodie multa illuc eunt: rationes abnuunt, et Spiritus si sint, unde iis semen, et qua effundant? At corporati sunt, et

[1] Supra, Dissert. De Resurrect.

[2] *Terræ proximum.*

Digitized by Google

Aerei, inquiunt Platonici. Sunto; quæ mixtio aut comprehensio inter tam dispares? non magis, quam inter hominem et piscem. Tamen, ut tetigi, exempla nos turbant, et istæ quotidianæ Genialium libidinum victimæ, infelices mulierculæ, de mixtione et cœta omnes asserunt: etiam de liberis aliquæ: et sunt in hac Lovanio urbe exempla. Quid dicam? pro me Plutarchus aliquid, qui judicio videtur censuisse: « Tam Gignere, quam Gigni, alienum a Deo esse. » (Quæst. Convivial. VIII, cap. 1.) Exceptionem tamen, aut interpretationem aliquam adhibet: fieri posse, « ut vi aliqua occulta, Materiæ principium fœtificum infundat, a quo moveatur illa et vertatur. Neque absurdum, inquit, autumno, si non humano more Deus congrediatur fœminæ et se jungat, sed aliis quibusdam contactibus, et per alia contrectationibus moveat et implent mortale corpus semine divinione. Neque mea est istæc sententia, sed Ægyptii Apim hoc modo concipere et parere tradunt, Lunæ contactu: atque adeo prorsus Deo cum mortali fœmina consuetudinem donant: sed non contra, nec admittunt virum mortalem Deæ fœminæ initium partus aut prolificationis præbere; quoniam Geniorum natura in Aere, et Spiritibus, et Caloribus quibusdam, et Humoribus consistit. » Similia quædam idem scriptor (In Numa), ubi de celebrato congressu Numæ regis, cum Egeria nympha: atque ait: « Ratio suggerit, Deum non equorum aut avium amore, sed hominum teneri: ideoque iis, qui excellenter boni sunt et virtute inclyti, nihil absurdum, adesse illum, et consortio jungi. At quod corpore etiam aut forma humana fruatur, capiaturque vel Deus vel Genius, difficile hoc quidem creditu est. Etsi Ægyptii videntur non improbabiliter dicere, quod spiritus sive afflatus Dei mulieris partibus accedat et titillet, et principia inserat generationis; viro autem cum Dea congressum mixtionemque nullam esse. » Ista ille vir satis scite: non ultra a me scrutanda, aut protrahenda, quia aut fœda omnia, aut tenebrosa. Unum dixero, non opinari me, ullo retro ævo, tantam copiam Satyrorum et salacium istorum Geniorum se ostendisse; quantam nunc quotidianæ narrationes, et judiciales immo sententiæ, proferunt: quo infelicis sæculi fato? Sed ad ultimum quæsitum tuum venio, quod erat, Cur auxiliares istos gubernationi

Digitized by Google

Deus assumeret? Respondeo, non quia egeret, sed vellet : vellet autem, quia bonus, et « non contentus (ait Damascenus) sui contemplatione, fecit etiam quibus bene faceret, et qui bonitatis suæ participes essent, Angelos, Mundum, Homines. » Quid, quod decorum et ordo sic videtur postulare? Seneca rationem eam ingerit (apud Lact. I, cap. 4) : « Deus, quum prima fundamenta molis pulcherrimæ jaceret, ut omnia sub Ducibus suis irent, quamvis ipse per totum se corpus intenderat, tamen ministros regni sui Deos genuit. » Genuit, id est, fecit. Quid magis pie, pulchre, et vere potest? nam et agnoscit sub initium conditos, ut Theologi fere nostri. De multiplici autem divisione eorum, et munere, non turbet; turba esset, nisi esset. Immo vero Deus pulcherrimo ordine, et ut cujusque natura aut dignitas erat, sparsit per hoc corpus Universi : « curantes (ait Damascenus) Terræ certas partes, præfectosque Gentibus, et locis. » Sacri nostri libri hoc ostendunt : et Hieronymus aperte (In Ezech. cap. 28) : « Traditæ sunt Angelis ad regendum Provinciæ, quasi Judicibus ab Imperatore. » Rufinus (Exposit. Symbol.) : « Ab initio præfectæ quædam virtutum cælestium Potestates, quibus regeretur et dispensaretur mortalium genus. » Immo et singulis assignati. Hieronymus in illud Evangelii (Matth. 28) : « Angeli eorum vident faciem Patris; » scribit : « Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat, ab ortu nativitatis, in custodiam sui Angelum deputatum. » Immo et ante ortum; ex Tertulliano, (De Anima, cap. 37), « Omnem hominis in utero serendi, struendi, fingendi paraturam aliqua utique Potestas, divinæ voluntatis ministra, modulatur. » Desino, hoc admoneo, pulchra quædam et digna legi, a *Trismegisto* super tota hac re scripta : qui Dæmones tamen astris assignat, et sub eorum velut signis ordinat : mira et occulta alia, proprio libro, a *Michaele Psello*, qui ante annos paullo plus quingentos *Michaelis Ducæ* Imperatoris doctor et institutor fuit. Is mira et recondita, ut dixi, tradit auctore quodam *Marco;* qui, diu et familiariter cum Geniis versatus, consultissimus talium habebatur. Si voles, vide.

Digitized by Google

DISSERTATIO XXI.

De Loco Dei obiter, qui ubique est, sed conspicua tamen sede in Cœlis.

Ego me abjungo; et vos, boni malique Genii, favete, aut valete: ad Humana jam imus. Aud. Leviter me sistente, et super Dei sede et loco aliquid requirente. Genios disposuisti: hunc omittes? Lips. Feci vero, ut condignum ipso erat: ubique disposui: qui est intra omnia, qui extra omnia, sine loco, sine motu, semper. Aud. Atqui Stoicum nempe nunc agis, et hanc doctrinam revelas. Lips. Ago, revelo. Aud. Aliena igitur ab ea, quæ dixisti, et dicis. Tertullianum audi (Apolog. cap. 47): « Stoici Deum extra Mundum statuunt, qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc: Platonici autem intra Mundum, instar Gubernatoris in navi. » Viden' palam extra Mundum esse? Lips. Dici, non esse: et a Tertulliano dici, atque hoc impingi Stoicis, planissime nec dictum iis nec cogitatum. Quomodo possint? toties audisti, « Mentem per omnia commeantem, diffusam, omnibus insitam: » et quæ non opus iterare. Quæri sane hoc solere ab aliis, non abnuo et Seneca ostendit (De Vit. Beat. cap. 31): « Deus utrum extrinsecus operi suo circumfusus sit, an toti inditus? » atque altera hæc pars, mens ipsa est Stoicorum. Planius etiam eidem expressa alibi (I Quæst. Natural. in Præf.): « Solus est omnia, opus suum intra et extra tenet. » Quid potest clarius? Atqui Tertullianus aperte; quid ad rem? scio Patres illos parum inquisite sæpe aliquid adstruere, et sectarum decreta permiscere. In exemplo alio illustri. Theophilus Antiochenus Patriarcha, Tertulliani ævo fere compar, ad Autolycum scribit (lib. II): « Stoici, Deum esse in universum abnegant: aut si sit, asserunt eum nullius quam sui, curam gerere. » O improvidentiam! non enim malitiam; et potest quidquam adversius eorum menti dici? Et ne errorem verbi putes, addit, « Hæc eadem Epicurum et Chrysippum dicere. » De Epicuro, scimus et agnoscimus; de Chrysippo, tam falsum, quam Solem hunc nigrum esse. Sed

Digitized by Google

ad rem præsentem ; illi vero Deum ubique locant et inserunt, totum in toto, totum in partibus, partiumque partibus : usque eo ut Tatianus, vetus scriptor, Zenoni objiciat, quod eum etiam in cloacis et fœtudinis constituat. Verba (Advers. Gentes) : « Et Deus juxta Zenonem malorum factor erit, si etiam in cloacis, et vermiculis, et nefandis operibus aliis insit et versetur. » Tua venia, Tatiane ; ego non video hanc sequelam : nisi si vis nec minuta illa et sordida a Deo auctore esse. Atquin et Clemens Alexandrinus damnat ; Deum istis inversari ; et una nostros : « Sed nec, inquit (in Paranetico), Stoicos præteribo, qui Deum per omnem substantiam, etiam vilissimam pertingere aiunt : et valde Philosophiam dehonestant. » Bono sensu, non puto ; immo et Theologi Deum essentia, potentia, præsentia ubique, et in omnibus ponunt. Dicimusque audacter, cum Arnobio (lib. VI) : « Proprium hoc Dei, complere omnia vi sua, non partiliter uspiam, sed ubique esse totum. » Cum Damasceno : « Divinum illud sine partitione, totum totaliter ubique esse, et in omnibus esse, et super omnia esse ; » iterumque (lib. I, cap. 16) : « Deum omnia implere, et super omnia esse, et omnia continere. » Quæ verba satis palam dicunt, quod et Stoici, illum « intra et extra suum opus esse. » Quomodo extra? in Vacuo, quod nostri ponunt, in loco dicendum. Vis magis non argute, sed vere efferam? Deus est ipse sibi locus. Ecce ante Mundum conditum, quum nihil esset, ubi Deus erat? apud se, et in se. Quid tamen? nonne etiam signate in Cælo esse dicitur, ut sua sede? Dicitur, et bono suoque sensu. Damascenus : « Dicitur et Dei locus ubi manifestatur magis operatio ejus et gratia, et gloria. » Tale est Cælum, ubi beati illi Spiritus, ubi beatorum animæ ; et velut cumulus, et splendor, majestatis. Iterum Damascenus : « Dicitur Dei locus, qui plurimum ejus operationis participat et gratiæ : ideoque Cælum ei sedes. » Nec inepta comparatione Lactantius (De Opific. Dei, cap. 15) : « Videtur Mens, quæ dominatum corporis tenet, in summo capite constituta, tamquam in cælo Deus. » Est enim et ipse Stoicis, Mens Mundi. Quo aspectu Statius docte :

Arcem hanc æternam, mentis sacraria nostræ. (III Theb.)

Et *Cælum* nempe sic vocat ipse Jupiter, ubi ἡγεμονικὸν illud ; supra

Digitized by Google

dictum. Sed nihil hoc tamen (absit, absit) Providentiæ ejus, aut et præsentiæ, in locis nostris inferis deroget : quod Aristoteles, Euripides, et tales alii videntur censuisse. Primus ille quidem aperte, in libello *De Mundo*, ubi vel maxime Providentiam debebat adstruere, sic tamen sentit : « ut Deus sit in Cælo et loco illo summo, tum proximis quibusque suum numen et vim participet, usque ad hunc locum et sedem nostram. Sed Terram et terrena, quam longissime a beneficentia ejus et adminiculo abesse, ideoque ea hic ἀσθενῆ (verbo ponenda sunt) καὶ ἀκατάλληλα εἶναι, καὶ πολλῆς μέστα ταραχῆς : infirma, et male inter se hærentia aut congrua esse, ac multæ perturbationis plena. » O mi sophe, ne dixeris. Deus ut hominem hunc negligat, aut minus quam cælis aut aeri intendat : cujus causa omnia fecit? Aut Deus sic angusta mentis acie sit, ut non nisi proxima videat curetque, longius sita paullatim negligat? Inscitia hoc totum, aut impietas : et prisci sane auctores objecerunt. Plutarchus (De Placit. II, cap. 3) : « Aristoteles censet, neque animatum mundum, neque providentia gubernari. » Atticus apud Eusebium : « Aristoteles usque ad Lunam Deos collocans, reliqua Mundi excludit a Providentia. » Tatianus, et alii Patrum nostrorum, culpant : etsi non aperte in libris qui exstant id scripsit; sed vel ex iis tamen hauritur. Omitto diducere : at Stoici quanto clarius hoc totum, et sanctius? quin Deum videri omnia et omnes, et curare, atque etiam cogitationibus interesse voluerunt. Quid ipsos homines? attolli ad Deum, et patrem illum, servatorem, ac quotidie beneficum, laudibus precibusque venerari. Epicteti verba, quæso, audiamus, et stupeamus ad ea, an et rubeamus? utrumque. « Si sani simus, quid aliud nobis agendum, et publice et privatim, quam Numen celebrandum, et laudandum, et gratias persolvendum est? Nonne et inter fodiendum, et arandum, et edendum, hymnus hic cantandus est Deo? Magnus est Deus, qui nobis instrumenta hæc, quibus terram colimus, dedit. Magnus Deus, qui manus dedit, qui vim diglutiendi, qui stomachum; qui efficit, ut latentes adolescamus, ut dormientes respiremus. Hæc singulis in rebus cantanda sunt; et hymnus divinissimus cantandus, quod intellectum rerum dederit, quod vim rationemque utendi. » (Lib. I, Dis-

Digitized by Google

sert. CXVI.) Et mox, velut ex instinctu, proclamat : « Si luscinia essem, lusciniæ munus fungerer ; si olor, oloris. Nunc, quum rationale animal sim, Deus mihi laudandus. Hoc meum munus est, hoc facio. Neque stationem hanc deseram, quoad licuerit, vosque ad eamdem cantilenam hanc exhortor. » Claudam Senecæ brevi, sed alti-loquio : « Magnum nescio quid, majusque quam cogitari potest, numen est, cui vivendo operam damus. Huic nos approbemus. » (Apud Lact. lib. VI, cap. 24.) Abi, indormi, aut invigila potius his verbis : habes quod rumineris.

Digitized by Google

Digitized by Google

JUSTI LIPSII

PHYSIOLOGIÆ

STOICORUM

LIBER SECUNDUS.

DISSERTATIO PRIMA.

Anteloquium; de Morte aliquid, et eam cogitationem utilem ad vitam et robur animi esse.

Aud. Ah, quam oculis et animo volupe est, meliorem commodioremque te videre! Lips. Paullo quidem, licebat addere. Nam ne erres, amice, etsi morbus abiit, languor etiam habet, et vacuum valde virium me reliquit. Aud. Deus reddet, meo et publico voto: sed quando tu nobis reliqua sermonum, quos jucunde et utiliter serebamus? Lips. Frontem etiam habes? et te hominem ad laborem ducere, cui severa quamvis castra dent commeatum? Laxem animum, vires instaurem, si Deo visum: et tum ludo huic, non ludo, me include. Nunc quidem aliæ mihi istis cogitationes sunt, aut curæ. Aud. Quæ illæ? Lips. Mortuales, ut verbo te percutiam, neque nunc videor mihi bona fide ab Orci limine rediisse. Aud. Hæc sunt, a quibus abductum igitur te imus: pabula tui morbi, atræ illius bilis germina et fœtus. Pone ista de morte aut morbo etiam, et jam vales. Lips. Tune dicis: Philosophiam igitur ponere me jubes, quam nuper definiebamus, *meditationem esse*

Digitized by Google

mortis? Et vero, mi adolescens, quid homini magis convenit, quam hanc habere in animo et oculis, quæ semper imminet, et tacito quodam pede surrepit? Pone de morte, inquis. O quam aliter sapientes! Vel Græcum illum audi (Musonius apud Stob. Serm. I): « Non est præsentem diem recte transigere, nisi statuis eam quasi ultimam transfigere. » Quid noster Seneca? vide, quam consonet (Ep. LXI): « Id ago, ut mihi instar totius vitæ sit dies. Nec mehercules tanquam ultimum rapio, sed sic aspicio, tanquam esse vel ultimus possit. Hoc animo tibi hanc epistolam scribo, tanquam quum maxime scribentem mors evocatura sit. » Salutaria dicta, et sensa. Surgo, possum non ire cubitum: decubui, possum non exsurgere. Antverpiam eo, an domum redibo? ad hanc redii, an illam revisam? At, inquies, tristis hæc cogitatio super morte, et ipsam adducit. Falleris; sapiens cum tranquillitate de ea cogitat: non aliter, quam in mari et navi, ventos et vela spectat, quibus fertur in portum: nec tamen ipsa cogitatio eum transfert. At hæc stultitia, et omnis error noster est; in fluctibus et inter undas jactari volumus; reformidamus, quo natura et ratione ducimur, pervenire. De Natura, scimus:

Omnes eodem ducimur, omnium
Versatur urna.

sed et de Ratione, quis ejus compos abnegabit? Quid nisi hic jactationes, curæ, miseriæ, corporis atque animi dolores sunt? Ecce finem: quid reformidas? ecce portum: cur non intras? Sed revera ut ii qui in carcere sunt, elabi velint et possint, nisi custos teneat: sic in hac vita nos sistit ille velut commentariensis, Amor vitæ. Pellendus est; et ut possit, sæpe cogitandum, quod semel faciendum est. « Supervacuum forsitan putas id discere, quo semel utendum est? Hoc est ipsum, quare meditari debeamus; semper discendum est, quod an sciamus experiri non possumus. » (Sen. Epist. XXVI.) Animus hoc modo fortior, vita emendatior, immo et lætior; quid enim terreat aut turbet, quem

..... ille timorum
Maximus haud urget, leti metus? (LUCAN.)

Digitized by Google

Itaque, mi Auditor, non avoca te a tam salutari meditatione : ipse potius eo veni. « Junior es, quid refert? non dinumerantur anni. Incertum est, quo te loco mors expectet : itaque tu illam omni loco expecta. » (Sen. Ep. xxv.) Philosophia autem, ut tetigi, eo ducet, et hanc meditationem, et ab ea robur, animo tuo indet. Aud. Quin tu igitur, mi Doctor, porro me ad illam? Nam ducere cœpisti, sed in via etiam destituisti. Lips. Morbus fecit, quod non ignoras : et nunc, etsi haud firmissimus, tamen cœptum spatium tecum decurram, et (Deus annuet) ad candidam calcem sistam.

DISSERTATIO II.

Materia prima, alterum Principium, descripta; Æternam esse; Non augeri, non minui; Non item pati.

Dicebamus igitur ante sex menses (hanc comperendinationem valetudo dedit) duo esse Stoicis rerum Principia, Deum et Materiam. De illo, quod licuit, diximus : hæc pervidenda est, et quæ ex iis fiant. Materiam ita notificat Laertius (In Zen.), ex scitis Stoicorum : « Essentiam sive naturam, omnium quæ sunt primam statuunt, Materiam. Materia autem est, ex qua quidlibet conficitur. Dupliciter autem dicitur et Essentia, et Materia ; nempe Omnium, et Singulorum. Illa omnium, sive Universalis, neque crescit, neque decrescit : illa Particularis contra, augmenta et decrementa habet. Corpus autem est, secundum Stoicos, atque item finita. Est et patibilis ; nam si immutabilis ; non ea quæ fiunt, ex ea sint facta. Hinc et illud consequens, quod sectio illius in infinitum fit. At non ipsam infinitam, Chrysippus dicit. Non enim est dare infinitum, in quod sectio cadat. Est autem continua. » Hæc ille stricte et caliginose alibi : licet uberius clariusque nobis effari. Est, inquit, « prima essentia. » Sane prima : unde alioqui Principium et æque primam æternamque eam faciunt, atque ipsum Deum. Zenonis verba reperio (In Stob. Physic.) : « Essentiam omnium rerum primam esse, Materiam : atque eam totam æternam nec majorem nec minorem fieri. » Hæc consensu fere veterum doctrina. Si enim nata factaque Materia, ex aliquo factam necessum est ;

Digitized by Google

atquin id ipsum Materia sit. Nam illud Democriti effatum omnes receperunt : « Nihil ex nihilo gigni, nihil in nihilum reverti. » Et tamen, quod mirere, Seneca dubitat, an Deus Materiæ auctor. Ita enim in Quæstionibus Naturalibus : « Quam utile existimas ista cognoscere et rebus terminos ponere? quantum Deus possit? Materiam ipse sibi formet ; an data utatur? » Dubitat ecce, quod Christianos quosdam non est puditum contra affirmare, et cum priscis Materiam æternare. Ii fuere Marcion et Hermogenes hæretici, quos *Materiarios* ideo Tertullianus appellat. Sed Seneca etsi dubitat, non tamen ut Stoicus, quorum perpetuum hoc dogma, ut fere philosophorum. Quos refutant apud Eusebium (lib. VII, Præparat. Evang.) Dionysius, Origenes, Philo, Maximus : Tertullianus (Advers. Hermog. lib. II, cap. 9), et Lactantius, et Latini nostri passim. Æternam igitur statuunt : sed illam Primam et Communem. Ita enim Laertius eam distinguit : « Duplicem esse, omnium et Singulorum. » Illa Omnium, est hæc Prima; Illa Singulorum, est Secundaria, in tale ac tale corpus formata. Quia igitur illa Prima æterna, additur : « Neque crescere, neque decrescere. » Etsi enim diffusior aut rarior fieri potest, ut in Ecpyrosi quum Vacuum omne implet : tamen ipsa non crescit, et extensio in modo est, non in essentia augmentum. Zeno (In Stob. Phys.) : « Illam æternam, neque majorem neque minorem fieri : at partes ejus non easdem manere, sed separari, et commisceri. » Separari, quum interitus ; misceri, ubi generatio consideratur. Nam totum hoc nasci aut perire, quid nisi formæ alius atque alius inductio est, Materia prima permanente? Philosophorum scholis hæc decantata, sed et versibus poetarum. Pythagoras apud Ovidium :

> Nec perit in tanto quidquam, mihi credite, mundo,
> Sed variat, faciemque novat; nascique vocatur
> Incipere esse aliud, quam quod fuit ante ; morique,
> Desinere illud idem. (XV Metamorph.)

Poeta alius :

> Cedit enim rerum novitate extrusa vetustas
> Semper, et ex aliis aliud reparare necessum est,
> Nec quidquam in barathrum nec Tartara decidit ima. (Lucret.)

Digitized by Google

Versu ultimo vult dictum, nihil perire. Addit Laertius, « Corpus juxta Stoicos esse. » Ita lego in Stobæanis Eclogis : « Stoici corpus, Materiam dicunt. » At quomodo, nisi Forma accesserit sine qua nec latitudinem, nec altitudinem, nec longitudinem habet? sine quibus non est Corpus. Respondeo, Stoicis late Corpus esse (de quo postea) quidquid est. Deinde, Materiam eaipsa tria habere, sed non finita, nisi accedente Forma, quæ circumscribit. Nec Platonici quidem alieni ab hac sententia, inter quos Plutarchus describit (De genitura Animæ) : « Materiam aut chaos, non incorpoream, neque immobilem, neque inanimam, sed informe et inconditum illud corporeum habuisse. » Iterumque (ibid.) : « Illud omnicapax et Materiale, magnitudinem quidem habebat, et intervallum, et locum ; pulchritudinem vero, et formam, et figurarum modificationem requirebat. » Universe igitur corpus erat ; tale et tale, designatui aptum, non erat. Apuleius Platoni haud aliam mentem, etsi aliis verbis, attribuit. « Neque corpoream, inquit (de Dogm. Plat.), Materiam, neque sane incorpoream esse concedit. Ideo autem non putat corpus, quod omne corpus specie qualicumque non careat. Sine corpore vero esse non potest dicere, quia nihil incorporale corpus adhibeat : sed vi et ratione sibi eam videri corpoream. » Neque Aristoteles est in alia mente, qui *Materiam substantiam esse* affirmavit (VIII Physic.) : sed sensu quem Posidonius Stoicus aperit (VII Metaphys. cap. 3) : « Differre substantiam quæ existit, a Materia, ratione et intellectu tantum. » Sed pergit Laertius, « Atque item finita. » Quod verum est : mundo enim clausa. Etsi infinitam etiam Platonici asserunt, alio aspectu. Apuleius (De Dogm. Plat.) : « Infinitam Materiam commemorat, quod ei sit interminata magnitudo ; nam quod infinitum est, indistinctum magnitudinis habet finem. » Utrique recte. Stoici, quia finiri potest, et finitur : Platonici, quia in se considerata (exempli causa, ante mundi conditum) fines certos non habet. Sequitur, « Patibilem etiam esse. » Male enim in Græco ἀπαθητὴ legitur, id est, *impatibilis :* et vel ex sequentibus falso. Illa vero afficitur ; mutatur, cogitur a Deo, qua lubet.

Materiæque datum est cogi, sed cogere Mundo.

Digitized by Google

Denique *Principium* τὸ πάσχον, *Patiens*, a Stoicis appellatur. Plato Materiam ait, « rationem habere Fœminæ et Matris : » quod verum est, et concipit formas omnes, et tertium aliquid ex his parit. Amplius in Laertio : « Sectio illius infinitum est. » Cicero (I Acad.) pro toto hoc sensu : « Materiam esse ex qua omnia expressa atque efficta sint : eoque etiam interire non in nihilum, sed in suas partes, quæ infinite secari ac dividi possunt, quum sit nihil in rerum natura minimum, quod dividi non queat. » Et consentiunt Philosophi ac Geometræ ; excipio Epicureos, quibus corpuscula quædam sunt individua, ideo ἄτομοι dicta. In ultimo, « Est autem continua. » In Græco est ἀκατάληκτος· nec scio cur *finitam* hic verterit interpres. Ego putavi eum dicere, *indesinentem et continuam* esse : quia hoc quærebatur a Seneca (Ibid. cap. 31) : « Individua sunt, per quæ struitur omne id quod natum futurumque est, an continua eorum materia sit, et per totum mutabilis. » Iterumque idem : « Continua sit omnis et plena Materia, ex qua cuncta gignuntur, an diducta, et solidis inane permixtum sit. » Vides quæsitum, et contra Epicureos a nostris assertum : quibus Materia *Individua*, itemque *Diducta*, id est, Atomi, esset.

DISSERTATIO III.

An non plura Principia? et de Ideis dictum, eæque asserta.

Sed hæc omittamus : illud magis quærendum, satisne plene Principia Stoici dederint, neque alia associanda? Nam Plato *Ideam* suggerat, Aristoteles suum *Idos* : ut *Privationem* (quæ Senecæ *Orbatio* est) nunc seponam, nec Peripateticis satis acceptam. Sed de *Idea* aliquid videndum est ; vel ad Senecæ nostri lucem. Ipse ita aperit (Epist. LVIII) : « Quid sit Idea, id est, quid Platoni esse videatur, audi. Idea est eorum, quæ natura fiunt, exemplar æternum. Adjiciam definitioni interpretationem, quo tibi res apertior fiat. Volo imaginem tuam facere, exemplar picturæ te habeo, ex quo capit aliquem habitum mens quem operi suo imponat. Ita illa quæ me docet et instituit facies, a qua imitatio petitur, Idea est. Talia ergo exemplaria infinita habet Natura rerum (id est, Deus)

Digitized by Google

hominum, piscium, arborum : ad quæ quodcumque fieri ab illa debet, exprimitur. » Satis clare aperit Platonicum sensum, et sincerius sane, quam discipulus ejus Lyceo fecit. Ille enim Ideas sic accepit et prodidit, quasi extra Intellectum per se subsistentes, et agentes in Materiam, ut sigillum in ceram solet. Alii abnuunt, et Plutarchus clare, ex Platonis mente describit : « Ideas separatas a Materie, in sensibus et cogitationibus Dei, id est, Mentis, consistere. » In Deo, inquam, Ideæ : et noster ita Seneca (Ep. LXV) : « Hæc exemplaria rerum omnium Deus intra se habet, numerosque universorum quæ agenda sunt, et modos mente complectitur. Plenus his figuris est, quas Plato Ideas appellat, immortales, immutabiles, infatigabiles. Itaque homines quidem pereunt, ipsa autem Humanitas, ad quam homo effingitur, permanet. » Sed dices, ergo varia ista in Deo et diversa, qui totus unitas est, et simplicissima natura? Nostro sensu, varia : sed in Deo una est Idea et exemplar, in rebus singulis tamen disparanda. Trismegistus hoc vidit (c. II) : « Unam habet Ideam Deus, quæ ejus est propria, quæ nec oculis subjacet, ut pote incorporea : et omnes Ideas per corpora tamen ostendit. » Audis? In corporibus Idea variat, in Deo est una. Nec ita ut in loco sita, quod idem Termaximus amolitur (Ibid.) : « Omnia sunt in Deo, non ut loco sita. » Quomodo igitur? « in cogitatione incorporea. » Consentiunt sane hæc cum Platone, atque adeo, cum Chaldæis, si forte ab iis hausit. Psellus : « Ideas censent, modo Patris cogitationes, modo Universi rationes naturales, animales, et intellectuales, modo etiam abstractas a rebus substantias. » Sed et cum Veritate ipsa consentiunt, probe accepta. Dionysius noster Ideas agnoscit, et definit : « præfinitiones et voluntates Dei » in rebus nempe condendis. Et certum, species in Deo rerum esse, ad quas formet. Boethius (lib. III De Consol.) :

> ..... tu cuncta superno
> Ducis ab exemplo : pulchrum pulcherrimus ipse
> Mundum mente gerens, similique in imagine formans.

Sed et Augustinus asseruit (Quæstion. XLVI) : « Sacrilegium quidem esse, existimare quod Ideæ sint extra mentem divinam ; si tamen Plato, inquit, in ipsa posuit, veras tum Ideas asseruisse ;

Digitized by Google

in Deo enim rerum omnium exemplar erat ab æterno. Joannis I: Quod factum est, in ipso vita erat. » Neque sane Tertullianus damnat (cap. 18), etsi videri possit, De Anima : ubi dumtaxat Gnosticos et Valentinianos rejicit, qui *Æones* suos, et alia deliria, e Platonicis Ideis prave hauriebant. Sunt igitur Ideæ : an et Principium? Platoni quidem ; eoque *Originales rerum species* Macrobius (in Somn. I, cap. 11), *Principales formas* Claudianus Mamertus dixit (De Stat. An.) ; et Ausonius *Datas formas*, id est, rebus a Deo impressas. Nam ejus hunc Gryphum non aliter interpreter :

In Physicis tria prima ; Deus, Mundus, data Forma.

Tria Platonis principia ponit, *Deum materiam* (hanc per Mundum signat, qui ex ea est) *Ideam*. Trismegistus etiam amplius, Exemplarem Formam, prius principium ipso principio interminato dixit (cap. 1) : id est Materia. Ratione prius, quia in Deo est, et prævenit facienda. Seneca quæsitum tamen hoc ostendit (Quæst. Nat. I in Præf.) : « Utrum Idea Materiæ prius supervenit, an Materia Ideæ? » Sed Mercurium illum recte decidisse arbitramur, et ideam antevenire. Illud tamen non omitto, in Senecæ eo loco quosdam libros scribere : « Ratio Materiæ prius superveniat, an Materia Rationi : » quod stoicum magis sit, et capis ex ante dictis. Sed Ideam igitur cum Seneca admittat, et agnoscat : etiamne ut Principium? Non facit, neque Stoici; nec sane est opus. Deum enim quum ponant : quid Ideas seorsim apponant, quæ sunt in Deo? Neque iidem etiam *Formam* Aristotelis, sive τό εἶδος accensent : quanquam nec eam sane tollant. Quid sit, et ab Idea differat, operæ putavit Seneca explicare (Epist. LVIII). « Quid intersit quæris? alterum (*Idea*) exemplar est, alterum (*Idos*) forma ab exemplari sumpta. Alteram artifex imitatur, alteram facit. » Plura addit, quæ non obscura sunt : eoque omittenda. Sed hæc forma, quum ad rem constituendam concurrat, faciatque maxime : cur non Principium Stoicis? Quia placuit iis prima Principia dare, et ante quæ nihil esset : quæque eadem æterna sint. At formæ auctor Deus est, et nascitur assidue ac perit. Vis inter seria etiam, quod rideas? Varro ut rem magnam, ut mysticam, religiose aperit, se tria Principia apud Samothracas reperisse. « In eorum, inquit (apud Augusti-

Digitized by Google

num. De Civ. lib. VII, c. 28), simulacris, multis indiciis collegi aliud significare cælum, aliud terram, aliud exempla rerum, quas Plato Ideas appellat. Cælum, Jovem intelligo; Terram, Junonem; Idéas Minervam. Cælum, a quo fiat aliquid; Terram, de qua fiat; Exemplum, secundum quod fiat. » Et tibi tria Principia, etiam Romæ in Capitolio consecrata. Quid si etiam in Circo? Tertullianus asserit (De Spect. cap. 8), « trinas ibi aras Diis parere magnis, potentibus, valentibus. Eosdem et Samothracas existimari. » Tres ibi, cum Varrone (IV De L. L.), nominat : etsi ipse Varro alibi duos tantum agnoscat, *Cælum ac Terram* pariter interpretatus. Sunt isti *Cabiri* : de quibus Dionysius, Strabo, alii.

DISSERTATIO IV.

De Corpore, quid Stoicis? late accipi, et omnem essentiam includere. Quænam etiam eorum, pro nostris scholis et sensis, nugamenta.

At Principia quum habemus, ad ea veniamus quæ ex his fiunt. Cicero (I Acad.) : « Quod ex utroque fit (Causa et Materia) id jam Corpus, et quasi Qualitatem quamdam nominabant. » Quidquid igitur Materiam habet, est iis Corpus, atque idipsum definiunt, « Corpus esse quod in tria dividitur, longitudinem, latitudinem, altitudinem. » (Laert. in Zen.) Atque hæc sane proprie Corpora sunt, pro aliorum etiam philosophantium sensu. At Stoici (notandum est) longius laxiusque hanc vocem tendunt : et communiter, quidquid omnino est, sic appellant. Ita non Genii solum et Anima (nam hæc iis materia sunt), sed Deus, et Materia, et Virtutes, Vitia, Affectus, et plura talia, Corpora dicuntur : quod Scholæ hodie rideant, sed sua hæc lingua iis fuit. Itaque Laertius, post eam finitionem, addit : « Atque hoc solidum etiam Corpus vocatur : quasi alia essent, extra eam agnominationem. Notare autem in Cicerone licuit, etiam *Qualitates* ea corpora appellari : quia scilicet « qualia et qualitate affecta » essent. Itaque statim « Qualitatum alias Principes facit, alias ex iis ortas Principes, elementa ipsa : ex iis ortas, animantium formas, quæque gignuntur e terra. Ubi palam est,

Digitized by Google

Corpora cum Simplicia intelligere, et mixta. Etsi ab ipsis Corporibus compositis abjungunt etiam *Qualitates*, et Materiam faciunt subjectam, et Formarum eas vices habere. Plutarchus adversus eos (In Contr. Stoic.) : « Etsi ubique Materiam, per se inertem et immobilem, Qualitatibus subjici prædicant : Qualitates autem spiritus esse, aliqui vigores et intentiones quasdam aereas, quæ partes, quibuscunque ingenerantur, forma afficiant, et figurent. » Ecce Qualitates palam Corpora : quidni? sunt enim *Spiritus*, *et aereum* quiddam. Et vero *Qualitates* pro Formis Trismegistus etiam usurpat (cap. 8) : « Affatim autem Idearum qualia Pater inseminans globo, tanquam in antro conclusit, omni qualitate exornare cupiens quod cum ipso erat quale. » Non aliud, quam varietatem Formarum acceperim, quas Mundo Deus inseruit, petitas a primis Formis, id est, Ideis. Atquin et hæc tales, ut dixi, corpora : quod Plutarchus dicit, et damnat. Ita enim contra istos : « Essentiam et Materiam subjici dicunt Qualitatibus : Qualitates autem rursus corpora faciunt. Implexa vero ista res ; nam si Qualitates essentiam suam propriam habent ex qua dicuntur et sunt corpora : non quærunt essentiam aliam : » et pluscula, quæ adjungit. Quin et Galeni libellus hodie, contra eosdem argumento et titulo : « Quod Qualitates sint incorporeæ. » Nec de formis solum essentialibus accipe, sed de Virtutibus, Vitiis, Affectibus, atque aliis, quæ Plutarchus enumerat item, et ridet. (Advers. Stoic.) : « Absurdum autem nimis, Virtutes, Vitia[1], Artes præterea, omnesque Memorias, item Phantasias, et Affectus, Appetitiones, Assentiones, corpora quum faciant, in nullo ea dicere posita esse ac subsistere : locum dumtaxat iis unum in corde exiguum, qui puncti instar sit, relinquere, ubi animi item Principale est. » Sunt fateor, in fronte hæc ridicula : sed subtiles illi viri, et vel maxime Dialectici, causæ aliquid habuerint sic judicandi, nobis in scriptorum illa raritate obscuræ. Chrysippus unus exstaret, in aperto res esset. Sed bene an male illi, non nunc quæramus : res quidem et sensus eorum ponendus est. Noster Seneca ad Lucilium (Ep. CVI) : « Non puto te dubitaturum, quin Affectus Corpora sint : »

[1] Idem Tertull. de Anim. cap. 8.

Digitized by Google

et enumerat subinde *Iram*, *Ambitionem*, *Tristitiam*, *Metum*, *Audaciam*. Quid? tam diversa in una illa (ut Plutarchus scripsit) « punctuali cordis sede? » Non pugnent igitur? nam et vitam, ecce habent, atque adeo *Animalia* esse affirmant. Aud. Haha, rideo: Animalia? Lips. Audi Senecam (Ep. cxiii): « Desideras tibi scribi a me, quid sentiam de hac quæstione jactata apud nostros, an Justitia, Fortitudo, Prudentia, cæteræque virtutes Animalia sint? » Et multis deinde adstruit Animalia esse. Aud. Sunt, sunt: quis abnuat? Videsne pictores, et id genus, Stoicis addicere, qui fœminas etiam efformant? Lips. Immo tu serium illorum argumentum audi. « Animum constat animal esse (ait Seneca, ibid.): quum ipse efficiat ut simus animalia. Virtus autem nihil est, quam animus taliter se habens: ergo animal est. » O Achillem! cedite, fugite, Trojani. Nec satis. Vitia etiam Animalia, quod sequitur: etiam Artes, et Physica, et Dialectica: quid? etiam partes earum *Enunciata*, *et Solæcismus*, et *Syllogismus*. Vides « quam multa (Senecæ irridentis verba) animalium millia habitent his angustiis pectoris? » Et de *angustiis*, e Plutarcho supra interpretare. Abjicit et alibi idem Seneca, et in vano aut levi habet. « Sunt, inquit (Epist. cvi), quæ scire magis juvat, quam prodest, sicut hoc, de quo quæris. An corpus bonum sit? » Respondet deinde: « Corpus esse, facit enim: quod facit, corpus est. » Ubi et axioma illud Stoicum observes, Quidquid facit, est corpus. Qua eadem illa ratione Vox corpus adstruitur, in Laertio: « Corpus est Vox, secundum Stoicos. Omne enim quod facit, Corpus est: facit autem Vox, quæ a loquentibus ad audientes accidit. » Quod tamen plenius diceretur, « Quidquid facit aut fit, est corpus: » id est, agit aut patitur. Ipse Noster ita effert alibi (Epist. cxvii), et Plutarchus inter Stoica: « Sola quæ sunt corpora appellant: quoniam id quod est, facit aliquid, aut patitur. » Sed de Voce quod erat, etiam Epicurei sic asserebant, ut Lucretius:

> Corpoream quoque enim vocem constare fatendum est,
> Et sonitum: quoniam possunt impellere sensus.

Plura, si quis volet, super hoc legat in Eustathio Homeri interprete, ad Iliados secundum. Nos ad Senecam, qui aiebat *Bonum*

Digitized by Google

corpus esse. Quid ita? ratio : « *Corporis bona, sunt corpora : corpora ergo sunt et quæ animi : nam et hic corpus est.* » Profecto mira hæc Logica est, in nostris scholis non audita, non audienda. Sed rationem omitto, rem concutio. Certe Stoici, apud Sext. Empiricum, negant *Bonum* corpus esse, sed *Bonitatem*. Ait enim (Advers. Mathem.) : « Veritatem nonnulli opinantur, et maxime Stoici, a Vero differre tribus modis, Essentia, Constitutione, Virtute. Essentia quidem, quia Veritas est Corpus. Verum autem incorporeum. » Amplius, « Nox, Dies, Vesper corpora sunt : » et quid verba ultra facio? initio dictum repeto, Quidquid est, censent corpus.

DISSERTATIO V.

Deum et Materiam Corpora esse Stoicis : et quatuor dumtaxat proprie Incorporea.

Aud. Fateor non invitum me hæc audire, etsi animo obhærenti. Si enim omnia hæc Corpora, cedo, quid igitur Incorporeum est? an id solum, quod non est, ut Chimæra et Centaurus? Lips. Et ego libere fateor diutile in hac inquisitione me fuisse, et obhæsisse. Seneca quidem expedire nos debebat, et cœperat, ubi divisionem *Corporum* et *Non-corporum* instituit : sed deseruit, et in vado reliquit. Verba ejus ista (Epist. LXXXIX) : « Naturalis pars Philosophiæ in duo scinditur, Corporalia et Incorporalia. Corporum locus dividitur in hos primum gradus, in ea quæ Faciunt, et quæ ex his Gignuntur. Gignuntur autem Elementa. Ipse Elementi locus, ut quidam putant, simplex est : ut quidam, in Materiam et Causam omnia moventem, et Elementa dividitur. Superest ut Rationalem partem Philosophiæ dividamus. » Ecce institutam divisionem, et unum caput exsequitur de Corporibus : alterum de Incorporeis nec verbo tangit. Consilio aut neglectu ejus omissum, an ignavia exscriptorum, non definio : sed hoc clare haurio, ipsa prima Principia Corpora esse, *Materiam et Causam*. Et de Materia quidem jam ante satis firmavimus (Dissert. II supra), ubi de ea dictum : sed Laertii etiam verba sunt, quæ de utroque principio evincunt. Inter Stoica,

Digitized by Google

ubi ab Elementis ea dividit : « Et corpora esse Principia, et formæ expertia. » Ubi tamen viri docti fidenter rescribunt : « Et incorporea esse Principia. » Quod pro communi nostra philosophia verum fateor, abnuo de Stoicorum. Ipse enim *Deus* iis corpus, id est, Senecæ « Causa, omnia movens. » An non Corpus sit, quum etiam Animal est? Ita enim idem Seneca dividit alibi (Epist. LIX.) « Corpus, in Animantia, et inanima; rursus Animalia aut Mortalia sunt, aut Immortalia. » Et sub hac specie Dii ac Genii continentur. Neque aliter alii : unus modo nodus me ligat ab ipso Seneca injectus, qui alibi primam illam Causam appellat *Incorporalem* (Consol. ad Helv. cap. 8) : « Quisquis formator Universi fuit, sive ille Deus est potens omnium, sive incorporalis Ratio ingentium operum artifex, sive divinus Spiritus per omnia intensus. » Profecto hæc ratio est Deus, aut Dei melior pars : et si illa incorporea ; cur non Fatum, Providentia, Justitia Dei et Sapientia, et denique ipsa in nobis Ratio, pars illius? Vix opinor hoc Stoice, sed potius Platonice dictum : aut si est, seorsim a Deo et ab Igne eam nunc aspicit et avellit, non alibi factum. Certe Ratio *Prima Causa* est, atque ea palam Corpus illi dicta. Est et axioma Stoicis certum : « Omne quod est, esse corpus » : an non Ratio est? Laertius (lib. XV) : « Corpus est juxta ipsos Essentia. » Numenii liber citatur ab Eusebio : « Quod non sit Corpus quidquid est, juxta Stoicos » : ubi eos scilicet refutavit. Sed et Tertullianus noster, hoc illorum dogmate imbutus, Animam, Angelos, Deum corpora facit : et alibi universe scribit (De Carne Christi), « Omne quod est, Corpus est sui generis : nihil est Incorporale, nisi quod non est. » Quo sensu Augustinus eum excusat de Deo et Angelis corporeis : quia « timebat, inquit (De Genesi ad lit. c. ult.), ne nihil essent, si Corpora non essent. » Neque Stoicorum nova hæc opinatio. Prisci quidam philosophorum (Platone teste in Sophista) aiebant « Justitiam, Prudentiam, itemque contraria, aut nihil eorum quæ sunt esse, aut corpora esse. » Tam lata igitur hac significatione, quid mirere dicta a nobis omnia comprehendi? AUD. Cedo equidem, et dono : sed quod injeci ecquid solvis? Ubi enim incorporea, nisi in imagine? LIPS. Non hoc cense ; sunt reipsa quædam, et reperie-

Digitized by Google

mus. Seneca palam divisit supremum illud τὸ ὄν : « Quidquid est, aut Corporale est, aut Incorporale. » (Epist. LVIII.) Et postea iterum ita dividit, sed exempla non donat. Ergo aliquod Ens dicimus Incorporeum : et axioma illud supra positum leviter restringendum est. Nam lego in Sexto Empirico : « Ex incorporeis Stoici enumerant quatuor species, Id quod dicitur, Vacuum, Locum, Tempus. » Primum illud Græce est (ex alio Empirici loco) τὸ λεκτόν. Senecæ inde lux (Epist. CXVII) : « Video Catonem ambulantem : Corpus est, quod video. Dico deinde : Cato ambulat; non Corpus quidem est quod nunc loquor, sed enunciatum de Corpore; quod alii effatum vocant, alii Enunciatum, alii Edictum. » Ecce τὸ λεκτὸν varie interpretatur : et ostendit esse quid quum vere dicitur (ut, Cato ambulat, sapit, desipit) : nec tamen Corpus, sed Incorporeum esse. Ab ea re apud eumdem Senecam (Ibid.) quæstio, « Quum Sapientia sit Corpus, an etiam Sapere? » et disputat εἰς ἑκατέρας, *in utramque partem* : sed non est profecto, pro dicto sensu. Plura in hac re non habeo, nisi illud Plutarchi (Contra Stoic.) etiam : istinc consequi, « Corpus Corporis esse locum, et Corpus penetrare per corpus » : quod verum est, si Qualitates sunt corpora, initio dictum.

DISSERTATIO VI.

De Mundo, optimo maximoque corpore. Varia vocis significatio. Differt ab Universo : quid Totum Stoicis? itemque de Vacuo.

Sed nos ad amœniora et simul graviora pedem promoveamus. E Principiis, Elementa et Corpora : ac præstantissimum Corporum, Mundus. De cujus nomine obiter videndum est : tum et res inquirenda, et pro illorum sensu aperienda. Nomen vel Græcis, vel Latinis, ab ornatu est; nam et illi κόσμον dicunt, primo ejus nomenclaturæ Pythagora auctore. Id enim ita Laertius : « τὸν οὐρανὸν πρῶτον αὐτὸν ὀνομάσαι κόσμον· hunc primum Cælum appellasse Mundum : » quod tamen alii ad Parmenidem, Zeno noster ad Hesiodum refert. Galenus cum Laertio : « Pythagoras primus appellavit hunc rerum ambitum Mundum. » Idem de eo Plutarchus, et

Digitized by Google

causam etiam addit : « ab ordine qui est in illo. » Ab *ordine*, inquam, sive a toto *ornatu*. Plinius : « Quem κόσμον Græci nomine ornamenti appellaverunt, eum nos a perfecta absolutaque elegantia Mundum. » Nam et muliebrem mundum obtinuit dici. Trismegistus interiorem nomenclaturæ causam dat (cap. 9) : « Merito Mundus sive ornatus dicitur; ornat enim omnia varietate generationis, continuatione vitæ, indefessa operatione, et ordine genitorum ; » et plura quæ addit. Quæ ratio Mundum proprie spectat, quatenus facit aliquid, et est Deus. Isidori nova originatio est, immo vetus ex Varrone : « Mundus, inquit (lib. XIII), quod in sempiterno sit motu, ut cælum, sol, luna, maria. Unde et animalia Varroni videntur Elementa, quoniam per semetipsa, inquit, moventur. » An bene ex Varrone transscripserit, nescio : neque Elementa proprie Animalia, sed Mundum dixerit, ex Stoico et Platonico sensu. Vides ex his *Cœlum* primo Mundum dictum, deinde latius vocem se fudisse. Notant autem Stoici : « Tripliciter dici Mundum. Primo ipsum Deum omnis essentiæ opificem, qui incorruptibilis est et ingenitus, architectus ipsius Mundi, et post temporum aliquas periodos iterum in se absumens et vertens omnem essentiam, iterumque ex se gignens. Secundo, ipsam astrorum ordinationem, id est, Cælum, Mundum dicunt. Tertio, quod fit ex utrisque. » (Laert. in Zen.) Quæ postrema verba satis tenebrosa sunt : et ex quibus utrisque ? ex Deone, et Cælo ? ita textus sermonis suadet, sed re abnuente. Putem magis, *Ex Deo et Essentia*, id est, Materia, eum velle dictum. Philo clarius ista extulit (De immor. Mundi.) : « Primo Mundus dicitur, compositio ex cælo et astris, terram ambientibus, et animantia ac stirpes. Secundo, solum ipsum Cælum. Tertio, ut Stoicis visum, Essentia quædam ad exustionem perveniens duransque, sive digesta sive indigesta, cujus motus intervallum Tempus esse dicunt. » Itaque tertia hæc sententia peculiaris Stoicorum est, quam ad *Deum* retulit Laertius, ad *Essentiam* Philo : uterque recte. Nam essentia illa tota, Deus est Stoicis : neque aliud quam Senecæ et Latinis *Rerum natura*, vel *Communis Natura*, de qua supra dixi. Ea igitur, sive in Mundum formata sit, sive indigesta, est iis Mundus. Et hoc sensu doctissime, ut solet, Ausonius *Mundum* pro

Digitized by Google

Materia supra dixit. Sed aliud igitur Stoicis κόσμος, καὶ διακόσμησις : sicut etiam τὸ πᾶν, καὶ ὅλον. Laertius discriminat (In Zen.) : « Universum dicitur et Mundus ; et alio modo, quod ex Mundo et exteriore Vacuo constat. Nam Mundus finitus est, Vacuum infinitum. » Itaque et Mundus etiam πᾶν sive *Universum* dicitur : sed magis erat : in scholis præsertim distingui. Plutarchus (II De Placit. c. 1) : « Stoicis differunt Universum, et Totum. Universum enim esse, cum Vacuo Infinitum, sine Vacuo Mundum. » Falsa hæc autem, rescribendaque : « Universum enim esse cum Vacuo infinito » : et ἀπὸ κοινοῦ advocanda vox, κόσμον. Recte ita Stobæanæ Eclogæ : « Stoici differre dicunt Universum et Totum Universum esse, cum Vacuo infinito ; Totum sine eo, Mundum. » Atque hæc ita apertissime etiam Empiricus (Advers. Mathem.), ubi de Toto. Hinc illud eorum effatum est, valde Plutarcho exagitatum (Cont. Stoic.) « Universum, corpus non esse. » Quidni dicerent? Inane enim complectitur : neque id sane est corpus. Itaque ipsius Plutarchi verbis hoc solvamus : « Vacuum enim infinitum exterius Mundo circumfundentes, neque Corpus Universum, neque Incorporeum affirmant. » Caute, et jure, o Plutarche : et tu hic atque alibi haud æquus arbiter eos culpas. Qua Vacuum continet, corpus non est ; qua Mundum, corpus. Atqui non est Vacuum. Sane quidem : « Abusque Thalete Physici (ut alibi tu scribis, I De Plac. cap. 18) ad Platonem, Vacuum ignorarunt » : quod fatemur, et ipse Plato ubique abdicat : sed qui Italicæ sectæ fuerunt, diu ante Platonem, Leucippus, Democritus, et ab his Epicurus, posuerunt. Atque illi quidem laxe, et ubique rebus mixtum : Stoici restrictius (Ibid.) : « in Mundo, nihil esse Vacui ; extra, infinitum illud esse. » Causa statuendi, Conflagratio sive ἐκπύρωσις, quia Mundus in illud resolvitur, post istam. Quid, quod ipse Pythagoras : « Tantum Vacui esse extra Mundum, ut respirare cælum possit, esse enim ipsum igneum. » Pythagoræ, inquam, hoc verius tribuetur, quam ut ab eodem Plutarcho alibi, Aristoteli ipsi. Nam ille nimium quantum abhorret. Abhorreat : nos ponimus (infra Dissert. IX), et plures hodie etiam Theologorum. Quid autem id est? quod est, et non est. Nam Cleomedis Stoici verbis : « Simplicissima ejus est con-

Digitized by Google

ceptio, ut quod incorporeum sit et intactile, quod nec figuram habeat, neque figuratum sit, quod neque patiatur neque agat, tantum corpus suscipere aptum sit. » Atque idem ille in *Cyclicis* suis *Theoriis*, pluribus docet, revera tale extra Mundum esse : atque id infinitum.

DISSERTATIO VII.

Definitio Mundi. Civitatem dici, itemque Templum : eœque imagines explicatæ.

Sed nomina Mundi vidimus : nunc ipsum ; et quid est tertia significatione Mundus ? Chrysippus (apud Stobæum) definivit : « Mundum esse compagem e cælo et terra, et naturis quæ his continentur. Vel aliter : Compagem conventumque ex diis hominibusque, et quæ horum causa sunt facta. » Utraque hæc etiam in Laertio totidem verbis, sed Posidonio adscribuntur. In Eusebio prior, paulo uberius ponitur (lib. XV) : « Compages e cælo, aere, terra, mari, naturisque contentis. » Atque ille idem alteram illam adjunxit : et causam utriusque variantis dedit : « Sicut enim, inquit, Civitas dupliciter dicitur, et ipsa sedes sive domicilium, et corpus incolarum civiumque : ita Mundus tanquam Civitas est, e diis hominibusque constituta ; cujus dii quidem principatum et regimen habent, hominibus subjectis. Communionem autem inter utrosque esse, quia Ratione participant, quæ natura[1] Lex est. » Sunt pulchra et dignitatem Mundi exprimunt, et nostram, itemque officium et munus. Imago est, quæ valde placita Stoicis et passim usurpant ; ut Seneca, ad Marciam (cap. 18) : « Intratura es urbem diis hominibusque communem. » Cicero (I De Leg.) : « Universus hic Mundus una civitas, communis deorum hominumque, existimandus est. » Idem alibi (II de Nat. Deorum) : « Est enim Mundus quasi communis deorum atque hominum domus, aut urbs utrorumque. » Iterum dico, sunt pulchra, alta, et quis non attollatur, atque idem vereatur, quum Deum et Genios circum se, et supra se, cogitat inspectores, eosdemque rectores ? Et parte altera, ava-

[1] Græce φύσει, *natura*. Nec male φύσιος, *naturæ*. Utrumque verum est.

Digitized by Google

ritiam contemnat, viles curas exuat, quum, velut patriam et urbem, mundum sibi circumdat? Seneca (Consol. ad Helv.): « Magno animo nos non unius urbis mœnibus inclusimus, sed in totius orbis commercium emisimus, patriamque nobis professi sumus Mundum, ut liceret latiorem campum virtuti dare. » Sane *virtuti*, et maxime caritati ac curæ generis humani. Omnes unius urbis cives sumus. Cicero de Stoicis (IV de Fin.): « At quanta conantur? Mundum hunc omnem oppidum esse nostrum. Incendit igitur eos, qui audiunt. Vides quantam rem agas? ut Circeiis qui habitet, hunc omnem Mundum suum municipium esse existimet. » Et vero hanc communionis rationem Pontifici Judæorum fuisse in animi oculis, Philo prædicat (De Monarchia II): « Quum enim, inquit, aliarum gentium sacerdotes, non nisi pro suis, et amicis, et civibus vota aut sacra faciant, summus Judæorum Pontifex, non solum pro toto genere humano, sed et pro naturæ omnibus partibus, terra, aqua, aere, igne, preces gratesque concipit: Mundum hunc existimans (uti revera est) patriam suam esse. » Fructum sententiæ vides: et adde alterum, de Exsilio; quod esse nullum potest sic animato. « Emetiamur enim quascumque terras, nullam invenire intra Mundum est, alienam nobis. » (Sen. ad Helv. cap. 11.) Sic igitur de Mundo Stoici: etsi *Cœlum* etiam Civitatem, et quidem proprie, si Clementi credimus, volunt dici. Ille quum cælestem civitatem in Sacris legeret, et rei suæ aptaret, addit (IV Strom. in fine): « Dicunt et Stoici Cælum proprie civitatem esse; quæ autem hic in terra sunt civitates, dici quidem, at non esse. » Quo ego Plutarchi reprehensionem spectasse arbitror, etsi verba in Græcis (meo quidem libro) corrupta aut manca sunt: « Sed et aiunt, deorum domum (putem enim scribendum, θεῶν οἶκον, pro τὸ νεῖκος, quod nullum sensum præbet) esse civitatem, cives autem stellas, ad hoc etiam tribules, et magistratus: nempe Solem etiam Senatorem, et Hesperum Prytanim vel Ædilem. » (De Commun. Not.) Nisi magis tamen est legi τὸν κόσμον εἶναι, et concinnare divulsa: atque ad priorem imaginem de Mundo toto referre, cui Dii scilicet et cælites illi præsunt. Quem iterum alia imagine, et magis augusta, assimilant etiam cum Templo. Seneca (De Benef. VII, cap. 7): « To-

Digitized by Google

tum Mundum deorum esse Templum, solum quidem amplitudine illorum ac magnificentia dignum. » Et alibi (Epist. xc) : « Per quæ non municipale sacrum, sed ingens omnium deorum Templum Mundus iste reseratur. » Cicero (In Somnio) : « Homines tuentur illum globum, quem in Templo hoc medium vides, qui terra dicitur. » Ubi Macrobius apposite (lib. I, cap. 14) : « Quidquid humano adspectui subjicitur, Templum ejus vocavit qui sola mente concipitur; ut, qui hæc veneratur ut templa, cultum tamen maximum debeat conditori : sciatque quisquis in usum templi hujus inducitur, ritu sibi vivendum Sacerdotis. » Bona, bona postrema monitio et Plutarchus accedat (De Tranq. animi.) : « Templum esse hunc Mundum, sacratissimum quidem ac religiosissimum, in quod per ortum inducimur, spectatores non signorum surdorum et manufactorum, sed Solis, Lunæ, siderum. » Et addit, hæc « veluti initia et mysteria quædam esse, tranquillo et læto nobis animo spectanda ac peragenda. » Philo denique Judæus claudat (De Monarch. II) : « Templum Dei supremum, et vere tale, existimare oportet esse totum hunc Mundum; qui Sacrarium quidem habet, purissimam rerum Naturæ partem, Cælum; ornamenta, stellas, sacerdotes, administros potentiæ ejus angelos, incorporeas animas. » Imagines habemus, aptas, et pro splendore ac dignitate Mundi, nec supra. « Nihil enim omnium rerum (ait Stoicissans Tullius, II De Natur. deor.) melius est Mundo, nihil præstabilius, nihil pulchrius : nec solum nihil est, sed ne cogitari quidem quidquam melius potest. » Vide ipsum totum, vide magnas parvasque partes : omnia « ita constituta sunt, ut neque ad usum meliora esse potuerint, neque ad speciem pulchriora. » (Ibid. infra.)

DISSERTATIO VIII.

Factum esse Mundum a Deo, hominum causa : et breviter, quomodo sit factus.

Tanti autem operis quis auctor? Nullus, aiunt quidam, et ab æterno fuit, æternumque erit. Alii qui factum statuunt, partim a Natura (ut Strato) : partim a Forte et Casu, ut Epicurus. Stoici

Digitized by Google

verissime, a Deo et Providentia esse. Passim ita : et Chrysippi, apud Lactantium (De Ira Dei, cap. 10), argumentum validum sane exstat. « Si quid est, inquit Chrysippus, quod efficiat ea, quæ homo, licet ratione præditus, efficere non possit ; id profecto est majus, et fortius, et sapientius homine. Homo autem non potest facere cælestia : ergo illud, quod hæc effecerit, superat hominem arte, consilio, prudentia, potestate. Quid igitur potest esse, nisi Deus? » Nec testimonia congero in sententia decantata : illud addam, *Quare*, *Quomodo*, *Ubi*, *Quando*, *Qualem* fecerit Deus? Quare? sua, inquiunt, et hominum causa. Neque enim alius ei finis fuit, quam potentiæ et bonitatis designatio, in maximo optimoque opere sic ostensa. Cicero (II De Nat. Deor.) : « Quorum igitur causa quis dixerit effectum esse Mundum? Eorum scilicet animantium, quæ ratione utuntur ; hi sunt dii et homines, quibus profecto nihil est melius. » Et de altera sane parte, nostri Doctores consentiunt ; ut Lactantius (De Ira Dei, cap. 13) : « Vera est sententia Stoicorum, qui aiunt nostra causa Mundum esse constructum. Omnia enim quibus constat, quæque generat ex se Mundus, ad utilitatem hominis accommodata sunt. » Et singillatim ibi exsequitur : quod ante eum Cicero accurate, De Natura deorum (lib. II). Neque Seneca id negatum voluit (haud ita veri et partium transfuga) quum scribit (II De Ira cap. 27) : « Non enim nos causa Mundo sumus, hiemem æstatemque referendi : suas ista leges habent, quibus divina exercentur. Nimis nos suspicimus, si digni nobis videmur, propter quos tanta moveantur. » Immo vero, o bone, propter nos vel maxime ista moventur : sed non solos : et hoc voluisti dictum. Dii quoque hic suas partes habent. Itaque alibi scribis (lib. VI, De Benef. cap. 23) : « Dii non per negligentiam nos genuere, quibus tam multa genuerant. Cogitavit enim nos ante Natura quam fecit. » Ita est. Providentia hominem, et pleraque ista homini fecit. Sed *Quomodo* fecit, et quæ compositio aut digestio molis hujus fuit? Zeno apud Laertium ita prodit : « Deum in principio, quum apud se esset, Essentiam omnem per aerem in aquam convertisse. Et ut in fœtu semen continetur, ita Deum qui seminalis Ratio mundi est, tale semen reliquisse in Humido, quod facilem aptamque operi

Digitized by Google

Materiam præberet, ad rerum deinceps generationem. Deinde progenuisse primum Elementa quatuor, ignem, aquam, aerem, terram. » Ait, *in principio* : ipsis Sacrorum nostrorum verbis. Ait, *quum apud se esset*. Pie et pulchre. Deus sua perfectio, sedes, regnum :

Cui esse sibi sufficit, efficitque cuncta :

ut vir summus nostri ævi (Jul. Scal.), in Carmine super Deo scripsit, plane divino. Deus sibi, et suum ei esse, sufficit : quidni? in ipso omnia, ipse omnia. Itaque frustra, et pro humana imbecillitate istæ quæstiones, Quid faciebat, agitabat? Vel Seneca noster respondeat (Epist. IX) : « Jupiter resoluto mundo, et diis in unum confusis, paulisper cessante Natura, acquiescit sibi, cogitationibus suis traditus. » Optime; vis et ego aliquid audacter, sive argute? Idem quod nunc facit, fecit. Erras, qui in Deo tempora disparas, omnia ei sunt in præsenti. Poeta Christianus olim, Claudius Victor :

Regnabatque potens in majestate creandi,
Et facienda videns, gignendaque mente capaci
Sæcula dispiciens : et quidquid tempora volvunt,
Præsens semper habens; immensum mole beata
Regnum erat ipse suum.

An deerat occupatio, hæc quæ fuere, quæ sunt, et quæ instant, contemplanti? Pergit Laertius, *Essentiam omnem vertisse*. Si de primo conditu intelligit, Materiam cape : sin de reparatione Mundi post exustionem, cape Ignem reliquum et in eo semina rerum. *Per Aerem*. Ergo vel Materia, vel ignis ille reliquus, Aere tenuior. Et ita est; quoniam tradebant Stoici diffundi, vel totum Vacuum illud occupare. Contrahitur igitur sed gradatim, et habilis fit corporum generationi. Primo autem in Aerem, quia facillima ea mutatio ab Igne. Deinde, ait, *In Aquam*. Hæc igitur proxima facies Materiæ, quum elementa genita. Ideo vetus opinio, « Aquam principium rerum esse », Thaleti adscripta. Quid Thaleti? Homeri ante illum fuit, apud quem legas (Iliad. ξ) :

..... ποταμοίο ῥέεθρα
Ὠκεανοῦ, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται·
..... flumina magni
Oceani, cunctis qui rebus præbuit ortum.

Digitized by Google

Vis aliquid clarius? iteratque alibi, et vocat

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα τηθήν·
Oceanum Divis genesim, matrem et nutricem.

Dii et Genii ex illo orti (nam et hi ex Materie) atque etiam vaporationibus ejus aluntur. Postrema autem ipsa verba, de *Matre et Nutrice*, Plato in Timæo assumpsit, et Materiæ aptavit. Quin et Barbarica vetus philosophia in hac parte. « Brachmanibus apud Indos », ait Strabo, « aliarum omnium rerum alia principia, Mundi autem aqua. » Sed quarum rerum alia? credo singularum rerum, quæ ex Elementis; ut ad proxima principia hoc referatur. Jam et Ægyptii (Philo notat De Vita Moysis I): « Aquam eximie coluerunt, principium Universi generationis eam censentes. » Sed pro tota Stoicorum sententia, Seneca audiendus (III Quæst. Nat. c. 13): « Aqua, ait Thales, valentissimum elementum est; hoc fuisse primum putat, ex hoc surrexisse omnia. Sed et nos quoque (Stoici) aut in eadem sententia, aut in ultima sumus. » Ultima, ex hac nempe omnia surrexisse. Quo ducere et Manilium possis, immo debeas (lib. I):

Seu liquor hoc peperit, sine quo riget arida rerum
Materies, ipsumque vocat, quo solvitur, Ignem.

Inter variantes sententias Mundi conditi, nec Stoicam omittit: et Sive, inquit, Aqua initium rebus fuit, in quam Materia se vertit: quæ deinde *vocat* (ita legerim, non *vorat*) sive adhibet ipsum Ignem, qui destruit, et in varias formas mutat. Sive, qui solvit et destruit, in ἐκπυρώσει. Neque aliud Stoici decantatum illud *Chaos* interpretabantur, quam hanc *aquam:* non illam Elementi. Philonem ita audi (de Immortalitate Mundi): « Quidam Stoicorum Chaos existimant Aquam esse, a fusione factum nomen arbitrantes. » Sed quid jam Aqua? pergit Laertius: *Deum qui seminalis Ratio est relinqui in humido*. De Deo enim hæc verba, ejusque Ratione (etsi obscuriuscula sunt) omnino capienda. Ita enim alibi ipse Zeno (In Stob. Phys.): « Per Materiam (sic aqueam) discurrere Universi Rationem, quam aliqui Fatum appellant, tanquam in fœtu semen. » Vides eamdem ibi imaginem, et ipsis verbis, uti hic po-

Digitized by Google

nitur; significat autem, immobilem per se et inefficacem Materiam animari ab hoc Igne (illo qui Deus, et Ratio): non aliter quam semen ejusque spiritus et calor fœtum formant, augent, alunt. Notanda igitur et hic λόγου vocula: qua crebro in hac Generationis re utuntur, ut Seneca (Epist. LXV): « Causa autem, id est, Ratio, Materiam format. » Iterum (Consol. ad Helv., cap. VIII): « Incorporalis Ratio, ingentium operum artifex. » Ingentium, totius Mundi. Ait, *incorporalis:* quia mens ipsa Dei est, et animus, ut sic dicam, Ignis. Fatum interpretatur Zeno, alii Providentiam: et utrovis sensu poeta Manilius (germanus Stoicus) sæpius usurpat. Ut in ista re gignendi, Sidera et cælum, esse « Cælestis Rationis opus (lib. I). » *Tale semen reliquisse.* Ipsum Ignem, sive Calorem, qui Humido miscetur, vocat *Semen:* Ratione tamen illa semper adjuncta. Plutarchus, adversus nostros: « Mundi semen Ignem dicunt. » Alio verbo, sed eodem sensu, Aristocles apud Eusebium (I Acad.): « Elementum rerum omnium Ignem dicunt, ejus principia, Deum et Materiam. » Bene Aristocles; et Deus sive ipsa Ratio, ab hoc Igne disparanda. « Zeno, apud Ciceronem (Cic., II de Nat. Deor.), statuit Ignem esse ipsam naturam, quæ quidque gigneret, et mentem atque sensus. » Qualis autem hic Ignis? non ut ille noster, qui cuncta disturbat ac dissipat: sed « vitalis ac salutaris, qui omnia conservat, alit, auget, sustinet, sensuque afficit: » qualem in sideribus videmus. Plura autem super tota hac re, ubi de Exustione mundi. Ultima Laertii: *Gigni primum elementa quatuor, ignem, aquam, aerem, terram.* Idem Laertius postea: « Gigni Mundum, quum ex Igne (qui exustioni reliquus) Essentia vertitur per Aerem in Humorem; deinde crassior ejus pars fit Terra; quod tenuius, Aer; reliquum magis tenue, Ignis. » Sed hic *Aquam* omittit, antea positam, et recte: neque enim Materialis illa aqua sive humor, vere elementum Aquæ est, sed faciem dumtaxat ejus habet, multifaria alioqui mixtione. Hæc igitur in brevi Stoicorum sententia, super rerum conditu: cum qua valde Trismegistus ille consensit: « Ratio sancta (sive Verbum) Naturæ supervenit, et Ignis purus exsiluit ex Humida natura in altum, » inquit (cap. I). Additque mox: « Movebantur autem, a Ratione spiritali, quæ super

Digitized by Google

ea ferebatur, ad auditum. » Est sane nostra hic *Ratio*, est *Ignis*. Quid in ipso Moyse, rerum primordiis, nonne « Spiritus Domini ferebatur super Aquas? » Quibus profecto paria et Trismegistus, et Zeno supra, « Rationem per Materiam decurrere. » Quod Tertullianus alludit, an et ridet? « Stoici volunt, Deum sic per Materiam decucurrisse, quomodo mel per favos. » Rideat : Metaphoram non indecoram, nec a Sacris longinquam, ego putem.

DISSERTATIO IX.

In Vacuo Mundum librari. Vere natum videri : et quare forma ejus circiter.

Quomodo factus, quod satis sit, diximus : *Ubi* autem, et quo situ? « In medio Vacui, ait Chrysippus apud Plutarchum (de Defect. oracul.), atque hanc causam permansionis ejus esse, quod Essentia omnis in sui medium tendat. » Est ipsa sententia; quam damnatum it Epicurus, et ex eo Lucretius (lib. I) :

> Illud in his rebus longe fuge credere, Memmi,
> In medium summæ, quod dicunt, omnia niti :
> Atque ideo Mundi Naturam stare sine ullis
> Ictibus externis, neque quoquam posse resolvi
> Summa atque ima, quod in medium sint omnia nixa.

Damnat, sed parum juste : et in Terra, quæ se sustinet, et undique in se redit, eadem ratio, neque alia, valet. Plutarchus etiam, dicto loco, irridet : quia Vacuum omne spernit. Non nos hercle, et cogitanti cuicumque aliquid Vacui extra Mundum, vel invito occurrit, quod præter ante dictos, etiam Philo Judæus palam adstruit, et in Scripturis *Abyssum* dici contendit. Quid Augustinus, an non « extra Mundum infinita spatia locorum » cogitari ostendit (XI De Civ. cap. 5)? Ut Stoicorum assertio neque tam singularis sit, nec ex facili aspernanda : immo Theologorum optimis etiam hodie propugnanda. Addamus, *Quando* sit factus : etsi apud Stoicos quidem nihil super ea re legi. Immo credo eos censuisse, « certum non esse diem ejus ortus : » quod Julius Firmicus tradidit (lib. III), certus eorum assecla et satelles. Tamen curiosa inqui-

Digitized by Google

sitio huc quoque ivit, et Vere natum esse volunt, Sole in Ariete existente. Panegyristes ad Maximianum : « Divinus ille vestræ majestatis ortus ipso, quo illuxit, auspicio Veris illustrior, augustiore fulgens luminis claritate, quam quum originem mundi nascentis animavit. » Et statim : « O felix beatumque Ver novo partu! o tempus, quo merito omnia nata esse credantur! o Kalendæ Martiæ, sicuti olim annorum volventium, ita nunc æternorum auspices Imperatorum. » Virgilius :

> Non alios prima crescentis origine mundi
> Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
> Crediderim. Ver illud erat, Ver magnus agebat
> Orbis.

In Carmine veteri : « Vere natus orbis est. » Divus Ambrosius et causam addidit (I Hexaem. cap. 5) : « Inde oportebat mundi exordium capi, ubi erat opportuna omnibus verna temperies, unde et nascentis mundi imaginem annus expressit, ut post hibernas glacies, atque hiemales caligines, serenior solito Verni temporis splendor eluceat. » Damascenus item in hac parte (lib. II, cap. 7) : « Quatuor sunt a Sole anni tempora sive conversiones. Prima Verna, in qua Deus fecit universa, quod docet etiamnunc florum in ea germinatio. » Verba Scripturæ adjicit : « Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum. » Et nonne probabile est amœnissimo, et maxime vegetabili tempore, cuncta cœpisse? quum et animantes pleræque fœtificant, et aliæ naturæ partes concipiunt aut parturiunt, σὺλόγως dicamus et ipsam totam peperisse. At sunt tamen qui fortiter abnuant, Hebræorum auctoritate confisi, quibus principium anni in Autumno fuit : ergo et Mundi. Non ultra inquiro : quum ad Sacrorum auctoritatem itur, Philosophiæ fines jam res egreditur, et ad Theologiæ abit : Hoc tertium potius, *Qualis conditus*, et qua forma? Rotunda. Ita Stoici apud Laertium : et causa : « Nam ad motum talem figuram aptissimam. » Plures causæ in Manilio (lib. I) :

> Hæc æterna manet, divisque simillima forma,
> Cui neque principium est usquam, nec finis, in ipso
> Sed similis toto remanet, perque omnia par est.

Digitized by Google

Apta scilicet ea forma ad perpetuitatem motus : denique *Divis par*, ut ait, vel quia Astra sic spectantur ; vel quia principio et fine caret, ut ipse Deus. Observa autem hic *Totum*, τὸ ὅλον, Stoico sermone, ut prædixi. In Platone ratio quoque alia (in Timæo) : « Quod a quo animante (*Mundo*) omnes reliquos contineri vellet animantes, hunc ea forma figuravit, qua una omnes reliquæ formæ concluduntur. » Est enim capacissima, est perfectissima ea forma. Et « idcirco (ait explicans Apuleius) perfectissimo et pulcherrimo Mundo instar[1] pulchræ et perfectæ sphæræ a fabricatore Deo quæsitum est, ut sit nihil indigens : sed operiens omnia coercensque contineat ; pulcher et admirabilis, suique similis, sibique respondens. » Quod ipsum in capite humano Lactantius considerat : « quod Deus, inquit (de Opific. Dei, cap. 8), orbi et globo simile formavit, quia orbis rotunditas perfectæ rationis est ac figuræ. Eo igitur Mens et ignis ille divinus, tanquam cælo, tegitur. » Ab hac sententia Homerum fuisse argumentantur quod ἀπείρονα γαῖαν, *infinitam terram* dixerit : non magnitudine, sed figura, quæ finis est expers.

DISSERTATIO X.

Animal eum esse, sensu et Ratione præditum. Partes ejus libatæ. Ipsam animam, Deum esse.

Et Mundum quidem talem ac tantum vides, sed in externa adhuc facie : nunc animi sensus ad interiora, id est, ad *Animum* ejus mitte. Ita enim consensu Stoici, *sentientem eum*, *intelligentem*, *sapientem* : et quid te moror? *Animal rationale* esse. Aud. Hoc dicunt? repudio :

Et procul a vera hoc aio ratione repulsum.

Lips. Et ego tecum : sed quid judicare, priusquam audire, properas? Intellige, et tum cense. Et sententia hæc non illorum primitus, ne nescias ; a Socrate et Platone est, qui protulerunt. Iste in Timæo, ut Cicero vertit : « Quapropter non est cunctandum profiteri, si modo aliquid investigari conjectura potest, hunc Mundum Animal

[1] Id est, *imago*, *forma*.

Digitized by Google

esse idque intelligens, et divina Providentia constitutum. » Et sæpius iterat, et inter κύρια, primaria, dogmata habent sectatores. Sed, illis omissis, Stoicos audiamus : de quibus ita Laertius (in Zen.) : « Quod autem Animal sit Mundus et rationale et animatum, et intelligens, asserit Chrysippus, et Apollodorus, et Posidonius. Animal quidem ita, ut sit natura animata et sentiens. Quod enim animans, non animante præstantius est : nihil autem Mundo præstantius ; Animans est igitur. Animatum porro esse, liquet ex nostra Anima, quæ particula avulsa est ab illo. Boethus tamen dixit, non esse Animal. » Vides affirmationem, et additam rationem : Quod animal præstantius non animato. A Platone ea est sumpta, in Timæo : « Fas, inquit, non est, nec umquam fuit ; quidquam nisi pulcherrimum facere eum, qui est optimus. Quum hanc rationem igitur habuisset (Deus), reperiebat nihil esse eorum, quæ in natura cernerentur, non intelligens intelligente, in toto genere, præstantius. Mentem autem illi rei adjunctam esse sine animo nefas esse : quocirca intelligentiam in animo, animum conclusit in corpore : sic ratus opus illud effectum esse pulcherrimum. » Platonis ratiocinatio est : Deus optimus optimum fecit : nihil natura intelligente melius : ergo Mundus intelligens. Si hoc, etiam animatus : quoniam intelligentia sine anima esse non potest. Intelligentem quum dicit, Rationalem sentit, quod consonat. Itaque Zenonis verba ejusdem rei sunt, in Sexto Empirico, ista : « Si, quod est particeps rationis, est melius eo quod est illius expers : est ergo Mundus particeps rationis. Et similiter argumentabatur in eo, quod est anima præditum, et quod Inanimatum. » Aud. Neque nunc sine risu audio : et quale istud Animal, et quas partes habet ? Lips. Partes ? Bene suggeris : dabo, ad hominis et tuum instar. Plutarchus ita distribuit (de Facie in orbe Lunæ) : « Stellæ sicut oculi lucentes in facie Universi orbem suum peragunt. Sol vi præditus cordis, ut hoc sanguinem et spiritum, sic diffundit ex se vegetantem calorem et lucem. Terra et Mari Mundus, ut animal ventre et vesica, utitur. Luna inter Solem et Terram, ut inter Cor et Ventrem, velut jecur, aut aliud molle viscus est, et respirationes illinc excoctione aliqua et purgatione attenuans diffundit. » Atque ego sane (etsi aliter Ma-

Digitized by Google

crobius, I Saturn. cap. 20) eodem versus Sarapidos retulerim, quos interrogatus a Nicocreonte Cypriorum rege protulit. Ægyptii enim istum *Deorum maximum* dicunt, id est, Mundum. Versus sunt :

Εἶμι Θεὸς τοίοσδε μαθεῖν, οἷον κ' ἔγὼ εἴπω.
Οὐράνιος κόσμος κεφαλὴ, γαστὴρ δὲ θάλασσα,
Γαῖα δέ μοι πόδες εἰσὶ, τὰ δ' οὔατ' ἐν αἰθέρι κεῖται,
Ὄμμά τε τηλαυγὲς, λαμπρὸν φάος ἠελίοιο·

Sum Deus, et talis qualem describam ego meipse.
Cæli arx mi caput est, ventrem dico mare magnum.
Terra, pedes; aures ponuntur in æthere puro;
Longe splendentes oculos, dic lampada Solis.

Mutat aliquid in illis Plutarchi : et quis non pro ingenio possit? *Terram* facit *pedes*, satis apposite : sicut Chrysippus Stoicus eamdem : «fulcrum, ut in animali ossa.» (Stob. Phys.) Est enim maxime compacta et dura, sed et infimo loco, ut Pedes. Hæc Stoica esse, etiam Jo. Damascenus docet : « Stoici, inquiens (de Hæresibus), Deum statuunt animum hujus Universi, corpus ejus ipsum Universum : oculos vero, Solem, Lunam, astra. » Sed et Manilius stoicissans (lib. I) :

..... flammæque micantes,
Quæ Mundi fecere oculos.

Oculos, id est, stellas. Sed ut ad Laertium redeam, a quo me leviter abduxisti : altera in illo ratio, cur Animal Mundus, *quod nostra ex eo anima avulsa*. Quasi dicat : Quod Animam emittit, ipsum animatum est? talis Mundus. Verba Zenonis huic sententiæ, in Empirico : « Quod emittit semen ejus quod est particeps rationis, est ipsum quoque rationis particeps; Mundus autem emittit tale semen : ergo Mundus rationis particeps. » Cicero etiam huc faciat (IV Acad.): « Qui Stoicus est, non magis approbabit nunc lucere, quam hunc Mundum esse sapientem, habere Mentem quæ et ipsum fabricata sit, et omnia moderetur, moveat, regat. » Vides quam affirmate hoc nostri? Nec soli tamen, ne erres. Omitto Platonicos, Aristoteles ipse (XI Metaphys. cap. 10), sed ex aliena mente, inquiunt, alibi *Animal Mundum* appellat. Trismegistus planissime ex sua :

Digitized by Google

« Mundus, primum animal; secundum ab illo, Homo. » Et alibi, « immortale animal » dicit. Sed iterum ad Laertii verba, *Animam ex eo avulsam*. Quo? an toto? non, sed ipsa Anima, quam Toti dabant. Et quæ illa? Ignis; quis Ignis? Deus. Hoc diversum a Platonicis nostri habent; etsi audita sententia, non explorata, imponat. Nam utrique Animam Mundo tribuunt, et Deum faciunt: sed diverso paulum sensu. Plato Mundi animam ex Deo natam vult: nostri, Deum ipsam esse. Illi quoque Deum, sed secundarium quemdam; nec primum et patrem. Pro Stoicorum mente Varro, apud Isidorum (lib. VIII): « Varro Ignem Mundi animum dicit. Proinde quod in Mundo Ignis omnia gubernet, sicut animus in nobis. Quam vanissime! Qui quum est, inquit, in nobis, vivimus; quum exit, emorimur. » Augustinus, de eodem Varrone (IV de Civ. cap. 31): « Dicit idem auctor acutissimus atque doctissimus, quod hi soli videantur ei animadvertisse, quid esset Deus, qui crediderunt eum esse Animam motu ac ratione Mundum gubernantem. » Vox *motu* non omnino disconvenit, fateor: et veritus tamen credam, *Mente*. Cicero, de Stoicis (I Acad.): « Mundum natura sentiente teneri, in qua Ratio perfecta insit, quæ sit eadem sempiterna. Quam vim Animum esse dicunt Mundi eamdemque esse Mentem Sapientiamque perfectam, quam Deum dicunt. » Est igitur iis Anima, est et ejus ἡγεμονικὸν, *Ratio*, in Mundo; sicut in homine ponimus: atque ea *Ratio* proprie Deus. Multa super hac re, e multis, possem: sed quod satis sit, dixi nuper, quum de ipso Deo dissertatum (lib. I, Diss. VII). Cum Philone claudam, qui hæc a Chaldæis manasse ostendit, et damnat (περὶ ἀποικίας): « Chaldæi, inquit, super alios homines Astronomiam et Genethliacam excolentes, infera superis, cælestia terrenis adaptare et jungere nitebantur, tanquam Musicis rationibus omnia concinere et convenire inter se aiebant, locis disjuncta, cognatione conjuncta. Iidem apparentem hunc et sensibus subjectum Mundum suspicati sunt et ediderunt, aut ipsum solum esse Deum, aut quæ eo continetur Universi animam. Fatum autem et Necessitatem deificantes, ut sic dicam, et consecrantes, summa impietate vitam humanam repleverunt, docentes præter hæc quæ conspiciuntur, nul-

Digitized by Google

lam esse omnium Causam. » Sunt ipsa Stoica ; qui *Rationem* in hac Anima *Fatum* et *Necessitatem* etiam interpretabantur. Absurda igitur, sic accepta, sed e quibus subtilissime argumentum pro Dei unitate, contra Gentiles Arnobius ducit (lib. III) : « In Philosophiæ memorabiles studio, universam istam molem Mundi, Animal esse unum, sapiens, rationabile, consultum, probabili asseveratione definiunt : quorum si est vera, et fixa, certa sententia ; etiam illi continuo desinent Dii esse, quos in ejus portionibus constituebatis. Ut enim homo unus nequit, permanente sui corporis integritate, in homines multos scindi ; neque homines rursus multitudinis, junctionis differentia conservata, in unius sensus simplicitatem conflari : ita si Mundus animal est unum, et unius Mentis agitatione motatur, nec in plura potest numina dissipari ; nec si ejus particulæ Dii sunt, in unius animantis consistentiam cogi atque verti. » Audisti ; jam, tecum damnamus, etsi *probabile* hoc, cum Arnobio : quia certum, divinam illam vim per omnes Mundi partes ire, ut Animam, sed non Animam : et hic error, quod æternum illud et secretum, cum perituris impurisque unionis nexu miscent.

DISSERTATIO XI.

Divisio Mundi prima, et secunda. Elementa quatuor esse, et in se invicem commutare.

Animal igitur iis Mundus ; cujus duæ magnæ Partes, Cælum et Terra. Varro ita dividit scite, ut opinor, ex mente et more Stoicorum. Augustinus (VII De Civ. cap. 6) : « Adjungit (Varro) Mundum dividi in duas partes, Cælum et Terram : et Cælum bifariam, in Æthera, et Aera ; Terram vero, in Aquam et Humum. E quibus summum esse Æthera, secundum Aera, tertiam Aquam, infimam Terram. » Sunt omnino Stoica ; qui primo dividebant Elementa « in Gravia, et Levia. Levia faciunt, Ignem et Aerem. Gravia, Aquam et Terram. Leve autem esse, quod a medio suo recedat ; Grave, quod accedat. » (Stob. Phys.) Ovidio etiam hæc tributio :

Quattuor æternus genitalia corpora mundus

Digitized by Google

Continet, ex illis duo sunt onerosa, suoque
Pondere in inferius, Tellus atque Unda, feruntur.
Et totidem gravitate carent nulloque premente
Alta petunt, Aer atque aere purior Ignis.

Clara ista, neque voces morentur, haud vulgaria omnino usurpatione in Varrone. Nam *Cœlum* pro *Aere*, olim et priscis dictum: Hebræis quidem, ut Sacra docent; Latinis, ut Varro idem alibi notat. « Cœlum, inquit, dupliciter dicitur, et supremum illud ubi stellæ; et hoc totum, quod complexu continet terram », quod est scilicet Aer. Lucretius (lib. IV.):

Constituuntur in hoc cœlo, qui dicitur Aer.

Servius illud Virgilii

.... Maria, ac terras, cœlumque profundum:

pro Aere accipit, « nam Æther, inquit, immotus. » Plinius apertissime: « Namque et hoc Cœlum appellavere majores, quod alio nomine Aera. » Immo et *Æthera* Græci, pro Aere, consimiliter etiam dicunt. Omitto, in re pergamus. Quatuor igitur ista Elementa sunt, *Principes Qualitates* (ita Cicero appellat I Acad.), sive corpora, hujus mundi. Quare *Principes?* quia Elemento hoc convenit, et definitio ejus Stoica in Laertio: « Elementum, ex quo primo fiunt, quæ sunt: et in quod extremum resolvuntur. » Fiunt, nempe hæc minora et multiformia corpora: alioqui ex Principiis primis ipsa Elementa. Sed de Compositis accipiendum est, Elementa sunt simplicia. Quatuor ea consensu fere ponunt. Et bene Plinius: « Nec de Elementis video dubitari, quatuor ea esse. » Quare sint, Platonis pulchra consideratio est, in Timæo. « Divini decoris ratio postulabat, inquit (ex Macr. I in Somn. Scip.) talem fieri Mundum, qui et Visum pateretur, et Tactum. Constabat autem neque videri aliquid posse sine Ignis beneficio, neque tangi sine solido, et solidum nihil esse sine Terra. Unde Mundi omne corpus de Igni et Terra instituere fabricator incipiens, vidit duo convenire sine medio colligante non posse: et hoc esse optimum vinculum, quod et se pariter, et a se liganda devinciat. Inde Aerem et Aquam inter Ignem Terramque contexuit: et ita per omnia una et sibi conveniens jugabilis compe-

Digitized by Google

tentia occurrit, Elementorum diversitatem ipsa differentiarum æqualitate consocians. » Pluscula addit, merito a te legenda, et sine alio interprete capienda. Nam et Aristoteles, quem in scholis audiimus, has Qualitatum, consentientium semper parte altera, συζυγίας exposuit. Et ab hoc isto ordine est, quod Ambrosius στοιχεῖα Græcis dicta censet: « quod sibi conveniant, inquit (III Hexaem. cap. 4), et concinant. » Quatuor igitur: sed an non Seneca abnuit, qui de tribus affirmat? Alibi (Epist. CXVII): « Hæc nempe sunt Elementa, quibus hic Mundus administratur: Aqua, Terra, Spiritus. Omnia ista tam causa vivendi sunt, quam viæ mortis. » An excidisse et delinquere hic putamus vocem *Ignis?* an pro suo quodam sensu nunc hoc dixit, et de isto inferiore mundo sentit tantum? Nam ait, *hic Mundus*. Et ad rem præsentem tria hæc facit, quia de spontanea morte agit: quam ab illo æthereo igne non sumas. Abi, inquit, Aqua te merge, si vitæ pertæsum est; Terra conde, aut ex altiore ea dejice; Spiritum, id est, Aerem ne reciproca: habes vias mortis. Certe ipse alibi quatuor agnoscit, et Stoici passim ponunt. Respondent huic numero et Elementis singulis Anni tempora, siquis comparet, Ver, Æstas, Autumnus, Hiems: respondent hominis item Ætates, Pueritia, Juventus, Gravitas, Senectus. Ordo eorum, elegantibus sane versibus, in Manilio, quos, sodes, lege. Nam nobis propositum, non omnia quæ ad rem exsequi, sed quæ obscura aut rara, et ad Senecæ proprie lucem. Pro eo addo, Elementa hæc non pura prorsus esse, et communicare inter se, atque etiam mutare. Ipse dicit (III Quæst. cap. 10): « Omnium Elementorum alterni recursus sunt: quidquid alteri perit, in alterum transit. Et (lego, *At*) Natura partes suas, velut in ponderibus constitutas, examinat: ne portionum æquitate turbata, Mundus præponderet. Omnia in omnibus sunt. Non tantum Aer in Ignem transit, sed nunquam sine Igne est. Transit Aer in Humorem, sed nihilominus non sine Humore est. Et Aera et Aquam facit Terra, sed non magis unquam sine Aqua est, quam sine Aere. Et ideo facilior invicem transitus est, quia illis in quæ transeundum est, jam mixta est. » Sunt verissima; omnia mixta sunt, et partibus (non enim totis) Elementa vertuntur: mirabili

Digitized by Google

Naturæ providentia, ut æqualitas et proportio servetur, necessaria tutelæ Universi. Ovidius hæc in parte (XV Metamorph.) :

..... omnia fiunt[1]
Ex ipsis, et in ipsa cadunt, resolutaque tellus
In liquidas rarescit aquas; tenuatur[2] in auras
Aeraque humor habet; dempto quoque pondere rursus
In superos aer tenuissimus emicat ignes.
Inde retro redeunt, idemque retexitur ordo.

Lucretius etiam, contra nostros (lib. I) :

Quinetiam repetunt a cælo atque ignibus ejus.
Et primum faciunt ignem se vertere in auras
Aeris, hinc imbrem gigni, terramque creari
Ex imbri, retroque a terra cuncta reverti,
Humorum primum, post aera, deinde calorem :
Nec cessare hæc inter se mutare, meare
De cælo ad terram, de terra ad sidera mundi.

Rejicit, qua amplecti debuit, et vel sensuum testimonio fidem habere. Sane hæc mutatio est, et ex mixtione generatio : in qua tamen discrimen, et alia Agunt, alia Patiuntur. Cicero, ut Stoicus (I Academ.) : « Aer et Ignis movendi vim habent, atque Efficiendi : reliquæ partes accipiendi, et quasi Patiendi. Aquam et Terram dico. » Paria Aristoteles : et duo Elementa superiora velut Mares sunt, et Artifices[3]; reliqua ut Fœminæ, et Materiæ vicem habent. Ægyptii etiam ita distinguebant, in Mares dico et Fœminas : sed aliter, et singulis dabant utrumque hunc sexum. Exempli causa, « Aera marem indicant qua ventus est; fœminam, qua nebulosus et iners. Aquam virilem, Mare vocant; muliebrem, omnem aliam. Ignem masculum, qua ardet flamma; fœminam, qua lucet innoxius tactu. Terram fortiorem, marem vocant, saxa cautesque; fœminæ nomen assignant huic tractabili ad culturam. » Ista Seneca alibi, subtiliora quam veriora. (III Quæst. cap. 14.) Sed jam ad singula Elementa eamus.

[1] Ipsa definitio Stoicorum supra.
[2] Legam, *tenuatus i. a. A. humor abit.*
[3] Vide Fulgent. Mythologica, de Saturno. Lib. I.

Digitized by Google

DISSERTATIO XII.

De Elemento Ignis, sive Æthere. Stoicis Ignem ibi statui: atque illum, aut in illo, Deum.

Primum est Ignis, qui in *Cœlo* sive *Æthere* locum suum habet. *Cœlum* Græcis οὐρανὸς quia πᾶσιν ὁρώμενος et oculos omnium pulchritudine ad se vocat. Neque alia causa Latinis Cœlum, « quod haud dubie (ait Plinius) cælati argumento diximus, ut interpretatur M. Varro. » Est enim, ait Isidorus, « stellis, velut vas, signatum. » Et Deus superum illum « Mundum (pulcherrime Cicero I De Natur. Deor.) signis et luminibus tanquam Ædilis, ornavit. » Is ornatus in Varronis hisce versibus:

Mundus, domus est maxima omnium,
Quam quinque altitonæ fragmine zonæ
Cingunt; per quam limbus pictus
Bis sex signis stellimicantibus
Altus in obliquo æthere, Lunæ
Bigas acceptat: Posthumi cui Seplasia fœtet.

Ideo igitur *Cœlum*: etsi nostra quoque Terra, et *vivorum regio* Cœlum; sed comparatione, et respectu inferorum. Ut in Virgilio:

Et falsa ad cœlum mittunt insomnia manes.

Nam « sicut Dii nobis (ait Macrobius), ita nos defunctis superi habemur »: quibus nostra regio, velut Cœlum. Idem *Æther* Græce, παρὰ τὸ αἴθειν, *ab ardore*, et quia igne constat, ut nostri: etsi Aristoteles παρὰ τὸ ἀεὶ θεῖν, *quia perpetuo moveatur et currat*, mavult dictum. Nam ipse Ignem scilicet a Cœlo spernit, quod ex quinta quadam natura constituit; et sub eo demum Ignem locat. Res nota e scriptis ejus, neque Plutarchum pro vero habeo, qui (II De Placit. cap. 11) Aristotelem statuere cœlum facit « e quinto Corpore Igne, e calidi et frigidi mixtione. » Corrupta aut falsa ista, nec sic profecto Aristoteles. Omitto quæ habemus, et exstant. Atticus etiam apud Eusebium, inter dissidia Platonis et hujus refert: « Ille (Plato) ait, cœlestia pleramque Ideam ex Igne habere; iste (Ari-

Digitized by Google

stoteles) nihil participare cum eo. » At nostri, ut dixi, cum Platone, cælum et astra ignea : et quartum hoc Elementum ibi locant. Quid, cum Platone? ante eum Heraclitus, a quo nostros hausisse vult apud Tullium Cotta (III De Natur. Deor.) : « Sed omnia vestri (Stoici), Balbe, solent ad igneam vim referre, Heraclitum, ut opinor, sequentes. » Sed quocumque auctore, sententia certa est « quartam partem Mundi (Ætheream) et ipsam tota natura fœcundam esse, et cæteris naturis omnibus salutarem impertire et vitalem calorem. » (Idem II Nat.) Nam superum hunc Ignem, quem illi « purum, lucidum, tenuem, mobilem » constituebant; misceri omnibus volebant, et vitam, vegetationem, aut conservationem dare. Denique hunc esse « Mundi animam, » hunc Deum : illum dico in « æthere ardorem tenuem, nullaque admistione concretum. » Itaque describitur iis : « Cælum extrema circumferentia, in quo sedem habet quidquid est divinum. » (Ibid. Laert. in Zenone.) Et quanquam omnis ea pars talis, tamen supera ejus magis : et Cleanthes (in Tullio, I De Nat. Deor.) : « quum ipsum Mundum esse Deum dicit, tum ultimum et altissimum atque undique circumfusum et extremum, omnia cingentem atque complexum ardorem, qui Æther nominatur, certissimum Deum judicat. » Quod Scipio etiam ita, doctore scilicet Panætio, stoicissans apud Ciceronem (In Somn.) : « Orbis cælestis ultimus, qui reliquos complectitur, Summus ipse Deus, arcens et continens cæteros. » Quæ talia Macrobius tamen ad Platonis dogmata trahit, Cicerone haud usquequaque volente. Ut enim a Terra gradatim tenuiora omnia et puriora fiunt Aqua, Aer, Ignis : ita in ipso Igne illi gradus, et summa ejus pars purissima eoque maxime divina, et Rationis illius incorporalis sedes. Hanc Pythagoræ etiam mentem adscribit Theophilus, Antiochenus Antistes : « Pythagoras, inquit (lib. III ad Autolycum), magno labore ima et summa perscrutatus, extremam naturam, Deum autumat. » Qui tamen sublimius paulo rectiusque locutus mihi legitur, in Clemente : « Deus, inquit (In Protreptico), unus; et is, non ut quidam suspicantur, extra Mundum, sed in ipso totus, in toto circulo inspector atque arbiter omnis generationis, temperies universorum; qui semper est opifex suarum pote-

Digitized by Google

statum et operum omnium, in cælo lumen, et omnium pater, Mens et animatio totius circuli, omnium motio. » Sed alia, quæ ad Stoicum hunc sensum, antea, quum de Deo, nobis dicta (lib. I, Dissert. VIII). De Cælo porro exsequamur : cui et Epicurus « igneam substantiam » attribuit : et Plinius, « Ignium elementum, inquit, summum, inde tot stellarum collucentium illi oculi. » A quo Igne videtur Stoicis petita causa orbicularis illius motus, quo cælum assidue rotatur. Nam « quum omnia (ait Zeno apud Stobæum) ad medium totius ferantur : etiam corpora quæ gravitatem non habent, ut Aerem et Ignem ad medium ferri, circaque ejus ambitum consistere. » Credo eum dicere : qua possint, ferri ad medium : et quanquam natura attollantur, consistere tamen circa ambitum, atque inde quasi impetum capere ad medium redeundi ; sed natura vetante, moveri assidue, nec deprimi, nec attolli. Etsi ab Anima etiam Mundi peti ratio potest, cujus vita et æternitas in motu est : nec potest motus esse æternus, nisi iste, qui continuatione perpetui in se reditus agitatur.

DISSERTATIO XIII.

Ætheris præstantissimum Solem videri : regem siderum : et esse Mundanæ animæ ἡγεμονικόν. De Luna additum.

Universe de Igne, sive Cælo, satis dictum ; de signis, quæ in eo, stellisque breviter videamus. Et in primis de duobus quæ eminent, et caput inter cetera efferunt, *Sole* ac *Luna :* siquid de iis Stoici seorsim ab aliis dicunt. Solem Latini appellant, ab excellentia, et « quia tantam claritudinem solus obtinuit » (Macrob. I Sat. cap. 17) : et Græci ἥλιον quasi δήλιον litteræ abjectione, quod ab eadem claritate sit omnibus manifestus et conspicuus. Stoici de eo : « Esse Solem purissimum ignem, et majorem terra : sed et orbiculari figura, juxta cum Mundo ; ignem quidem esse, quoniam omnia, quæ Ignis, præstat. Majorem terra, quia omnem eam illustrat, sed et ipsum cælum. » Ait primo, Ignem esse : sed quod genus? Tetigi antea, et magis e Zenone explicemus, qui et Solem, et astra « artificialis ignis esse » scribit. « Duo enim genera Ignis. Unum

Digitized by Google

artis expers, et convertens in se omne alimentum : alterum artificiale, quod auget res et conservat, sicut in plantis conspicitur et animalibus. Hoc autem Natura est, et Anima. Atque ejus Ignis essentiam astrorum esse.» (Stob. Phys.) Vides hunc Ignem? Frustra igitur censet et timet Aristoteles (I Meteor. cap. 3) : « Si intervalla stellarum plena igne essent (ipsi orbes) et corpora earum ex igne, jam pridem quodque aliorum Elementorum absumptum evanuisset. » Pone metum; neque intervalla omnia Ignem, sed ignea dicimus : et a tali jam descripto servatore igne; quem *Artificem* Zeno dicit, et alio verbo, sensu consimili, νοερὸν passim alii : *intellectu præditum;* non brutum illum et exsensum. Ignem igitur Solem censent : et increpat Seneca (III De Benef. c. 31), « qui saxum aliquod, aut fortuitorum ignium globum, et quidvis potius quam Deum appellant. » Ubi de *Saxo*, ad Anaxagorum pertinet : sive et ad Democritum, qui item dixit « ferrum vel saxum candens. » De *Fortuito globo*, ad Epicurum, qui tamen non purum ignem statuit; sed « terrenum fartum esse, pumicis aut spongiæ instar, ab igne per foramina accensum. » Est igitur nostris aliisque Ignis aut Igneus : non Aristoteli, qui etiam calorem ab eo tollit. Damnat Ambrosius, et ad nostros inclinat (Hexaem. II, c. 3) : « Tantum autem inest illis (Philosophis talibus) impugnandæ veritatis studium, ut Solem ipsum negent calidæ naturæ esse, eo quod albus sit, non rubicundus aut rutilus in speciem ignis. » Etsi hæc et talia satis fortasse exsequitur, et rideant hodie in Scholis. Addebat Laertius, « Majorem terra esse. » Et nunc consentiunt astrorum consulti, faciuntque « centies sexagies sexies » majorem. Seneca (I Quæst. Nat. cap. 3) : « Solem, quem toto orbe terrarum majorem probat ratio, acies nostra sic contraxit, ut sapientes viri (Epicurei) pedalem esse contenderint. » Quod veteres tamen nostri Doctores haud ita affirmant. Damascenus : « Sol a quibusdam dicitur multis partibus terra major, a sanctis autem Patribus ei par. » Quibus Anaximander olim consenserit, asserens « Solem terra non minorem esse. » At argumentum in Laertio magnitudinis, quod « terram illustret, atque etiam cælum. » Quomodo cælum? nam de terra liquet. Credo, quod vel det stellis aliis lumen, vel augeat

Digitized by Google

temperetve. Seneca ad Marciam (cap. 18) : « Videbis illic (in cælo) innumerabiles stellas, miraberis uno sidere omnia impleri. » Quæ omnia, si non hæc astra? Arnobius (lib. I) : « Sol siderum princeps cujus luce omnia vestiuntur. » Julius Firmicus, ad Solem : « Qui ceterarum stellarum ignes flammiferarum luminis tui moderatione perpetuas. » Certe affirmat, etsi flammiferæ a se sint et igneæ (ita enim ipse, cum Stoicis), tamen accipere a Sole aliquid, et ab eo temperari atque æternari. Ideo Heraclitus olim, *Fontem cœlestis lucis* Solem nominavit. Sed et Cicero pro hac sententia : « Sol dux et princeps, et moderator luminum reliquorum. » Neque Macrobium nimis audiam, qui interpretatur « Moderatorem, quod cursus eorum et recursus certa definitione spatii moderetur. » Quid enim hoc ad lumen? quin et hodie Astrologi in isto plerique sensu. At alii et idem ille Macrobius, solam Lunam fulgere alieno, ceteras stellas suo volunt. Sed satis hæc super Sole : pergamus. Aud. Immo ad Senecæ lucem aliquid, nisi grave est, addes. Indignabatur in verbis, quæ recitasti, « quidlibet potius Solem, quam Deum dici. » Deum ergo habet? Lips. Ipse et Stoici, ac magnum Deum, principem ceterorum. Firmicum audi hujus sectæ (lib. I) : « Sol optime maxime, qui mediam cæli possides partem, mens mundi atque temperies, dux omnium princepsque. » Adde Plinium ; quem qui Epicureum faciunt, viderint ; ego Stoicorum sensibus comperior bona fide. Ille igitur : « Sol non temporum modo terrarumque, sed siderum ipsorum cælique rector. Hunc Mundi esse totius Animam, ac planius mentem, hunc principale Naturæ regimen (id est, ἡγεμονικὸν), ac numen, credere decet. Vis magis augusta? et plerique e Stoicis cum Plinio sentiebant : etsi alii supremum Æthera, ut dixi, ἡγεμονικὸν volebant. Sed claritate et magnitudine effectuum, tum et sua, itemque situs dignitate obtinuit, a multis supremus Deus censeri, aut certe Mentis sive Rationis illius sedes. Itaque et *Cor cœli* Physici veteres nominabant. Peruani et Sinenses etiam hodie summum Deum colunt : quid Aurelianus olim Princeps? (in Vopisco cap. 5) : « Dii faciant, et Deus certus Sol : » quasi de uno hoc fides et certitudo. Etiam Trismegistus « Sol Deus maximus eorum qui in cælo sunt, cui cedunt omnes dii cælites tanquam prin-

Digitized by Google

cipi et Regi. » Et talia Plato, etsi uterque majorem eo alium agnoscit, ipsum δημιουργὸν et conditorem. De Sole quod satis sit, dixi : ad *Lunam* eamus; quam Laertius, inter scita Stoica, *terream magis* scripsit : « sicut et Terræ magis vicinam. » Videlicet non tam puro liquidoque igne eam lucere, quam Solem, et terrenum aliquid ac turbidum habere. Ita Plutarchus (de Facie in orbe Lunæ) : « Ignis turbidus et fæculentus, ut Stoici autumant. » Qui idem ostendit (De Oracul. defectu) dictam *terram cœlestem;* sive etiam, *astrum terrestre :* ab eadem causâ. Itemque Macrobius (I. In Somn.) *Ætheream terram :* in quo occultiorem tamen rationem lege. Nescio an huc, Cleanthi adscriptum pertineat, a Stobæo : « Κλεάνθης ἔφησεν πυροειδῆ τὴν σελήνην, πηλοειδῆ[1] τῷ σχήματι· Cleanthes dixit Lunam igneam esse apparentia tamen lutosa. » Nisi quis ibi πιλοειδῆ legat, et « pilei formam » ei tribui censet : sicut inde Cleanthes Coni formam dat sublimioribus astris. Sed hanc, obtusum scilicet ignem, obtusius planiusque paulo surgere. Sed addit Stobæus : « Posidonius et plerique Stoici, mixtam ex igne et aere statuunt, et majorem terra, sicut et Solem : orbiculari autem figura. » Quam mixtionem Plutarchus improbat et refellit, *De facie in orbe Lunæ.* Nec plura de Luna, propria quidem Stoicis, habeo. Aud. De *Terra* ruminor, quod sic eam dictam notasti. Facitne, quod etiam habitatum voluerunt, ut ipsam hanc terram? Cicero (Acad. II) : « Habitari ait Xenophanes in Luna, eamque esse terram multarum urbium et montium. » Lips. Plutarchus et Macrobius talia : atque ille refellit, iste explicat et ad animarum sedem referre videtur. Sed « fuisse Seneca (apud Lactantium lib. III, cap. 23) etiam inter Stoicos ait, qui deliberaret; utrumne Soli quoque suos populos daret? » Addit irridens : « Inepte scilicet, qui dubitaverit; quid enim perderet si dedisset? » Ego hæc talia, sic obvio et simplici sensu, dicta aut dubitata ab iis vix arbitror : sed vel ad Animas, vel ad Genios respexisse. Nisi tamen non sapientia, sed sanitas homines defecit.

[1] Fortasse verius πολυειδῆ : *multiformem.*

Digitized by Google

DISSERTATIO XIV.

De Astris in genere. Rotunda esse, ex æthere conflata; ideoque igneu, et vaporibus pasci. Eadem futurorum conscia.

Universe de Stellis pauca etiam libanda. Laertius : « Videtur iis (Stoicis) et astra rotunda esse, et terram non moveri. » Astra rotunda iis aliisque communiter : seorsim tamen Cleanthes de *Coni* figura sensit. Stobæanæ eclogæ : « Alii quidem sphæricæ figuræ stellas, Clanthes coni fecit. » Movit Cleanthem, quod ignis semper in altum eat : atque ab imagine flammæ nostræ, a rotundo infra corpore voluit extenuari : et in altum arctari : id enim Conus : neque absona mihi ea opinatio. Sunt sane Ignes, sed densiores et compacti, ex rariore ætherea natura. Seneca super ea re (VII Quæst. cap. I) : « At mehercule non aliud quis aut magnificentius quæsierit, aut didicerit utilius, quam de Stellarum siderumque natura, utrum flamma contracta, quod et visus noster affirmat, et ipsum ab illis fluens lumen, et calor inde descendens : an non sint flammei orbes, sed solida quædam terrenaque corpora, quæ per igneos tractus labentia, inde splendorem trahant coloremque, non de suo clara. In qua opinione magni fuere viri, qui sidera crediderunt ex duro concreta, et ignem alienum pascentia. Nam per se, inquiunt, flamma diffugeret, nisi aliquid haberet quod teneret, et a quo teneretur : conglobatamque, nec stabili inditam corpori profecto jam Mundus turbine suo dissipasset. » Ecce ponit primum, de « flamma contracta : » quæ ejus, et popularium, sententia est, ut dixi. Posidonius, apud Stobæum : « Stellam esse corpus divinum, ex æthere compositum. » Æthere, nempe densiore sive contracto. Addit, « Quod et visus affirmat. » Argumenta Stoicorum, et nominatim Cleanthis. Cicero (II De Nat. Deor.) : « Sidera esse tota ignea, duorum sensuum testimonio confirmari Cleanthes putat tactus et oculorum. » Aliorum tamen sententia, sunt, ait, « solida terrenaque corpora. » Quod a Thalete manavit, qui dixit : « terrena quidem, sed ignita corpora, stellas esse. » Sed et Anaximenes:

Digitized by Google

« igneam quidem naturam astrorum, sed habere etiam terrena corpora mixta, quæ cum iis circumferantur, inaspectabilia. » Fuerunt etiam qui saxea, aut saxa crederent; fuere qui ferrea : quos omnes Seneca hic tangit. Ait amplius, « Ignem alienum pascere. » Nempe æthereum, cui terrea illa corpora aliena. Sed et Stoici pastum in Sideribus agnoscunt, atque ali vaporibus et aere fervidam illam naturam volunt. Laertius, « Nutriri atque ali et hæc ignita (Solem et Lunam) et cetera astra. Solem quidem magno mari, quod sit fax et accensio quædam intellectu prædita. Lunam autem, ex aquis dulcibus et potabilibus, quod sit aeri permixta, et vicinior terræ. » Primum, universe dicit omnia sidera nutriri. Et Seneca (Quæst. Natur. II, cap. 5) : « Ex cælo et terra alimenta omnibus animalibus, omnibus satis, omnibus stellis dividuntur. Hinc quidquid est virium singulis; hinc ipsi Mundo, tam multa poscenti, subministratur : hinc profertur, quo sustineantur tot sidera, tam exercitata, tam avida, per diem noctemque, ut in opere, sic in pastu. » Plinius iterum Stoicus (lib. II, cap. 9) : « Sidera vero haud dubie humore terreno pasci. » Terreno tantum? immo et marino (sed utrumque elementum in uno intelligit) atque ex aliis aquis, ipso Plinio addicente (lib. II, cap. 33) : « Oceanus omnes fundens recipiensque aquas, ac sidera ipsa, tot et tantæ magnitudinis, pascens. » Panegyricus Constantino dictus : « Iturus ad deos, genitorem illum deorum, ignea cæli astra refoventem, prospexit Oceanum. » Cicero (I Nat. Deor.) : « Sunt autem stellæ natura flammeæ; quocirca terræ, maris, aquarum vaporibus aluntur iis, qui a Sole ex agris tepefactis, et ex aquis, excitantur : quibus altæ renovatæque stellæ refundunt eodem, et rursum trahunt indidem. » Atque ideo divina Providentia Macrobius factum putat (I in Somn.) ut sub zona torrida locaretur Oceanus : « Ut omnis nimirum latitudo, qua Sol cum quinque vagis, et Luna, ultro citroque discurrunt, habeant subjecti humoris alimoniam. » Quam Syrtium etiam causam Lucanus proponit (lib. IX, 313) :

> Quod rapidus Titan, ponto sua lumina pascens,
> Æquora subduxit zonæ vicina perustæ.

Etsi longiuscule sane Syrtes ab ea zona absunt : sed scilicet mare

Digitized by Google

eo usque delinquere, et terram fieri. Plures enim ejus versus vide. Jam vero idem poeta Ægyptios facit dicere (lib. X, 258):

Nec non Oceano pasci Phœbumque polumque
Credimus.

Quid facetissimus Anacreon?

Πίνει θάλασσα δ' αὔρας,
Ὁ δ' ἥλιος θάλασσαν·
Et potat æquor auras,
Phœbusque potat æquor.

Et infert, quidni etiam nos bibamus? Levibus testibus sit a magno Hippocrate pondus. « Soli, Lunæ, astris, inquit (de Flatibus), via per Spiritum. Nam igni Spiritus est pabulum. Spiritu privatus ignis non possit vivere. » Ipsum Homerum, divinarum omnium inventionum fontem et originem (vero elogio a Macrobio sic dictum) idem Macrobius eo ducit; qui « sub poetici nube figmenti, inquit, verum sapientibus dedit intelligi: quando Jovem, cum diis ceteris, id est, cum Stellis, profectum in Oceanum, Æthiopibus eum ad epulas invitantibus, scripsit; significans, hauriri de humore nutrimenta sideribus. » Consignet hanc sententiam et noster Ambrosius (II Hexaem., cap. 3): « Frequenter Solem videmus madidum et rorantem; in quo evidens dat indicium, quod alimentum sibi aquarum, ad temperiem sui sumpserit. » Etsi indicium sane infirmum est, et plebeio sensu nixum: at ejus tamen mens apparet. Sed propius aliquid ad verba Laertii. Aiebat distincte, « Solem e marinis aquis pasci. » Ideo Cleanthes (in Stobæo) Solem dicebat, « Facem intellectu præditam; e mari accensam. » Quod ad alimenta referendum modo esse, quæ inibi sequuntur docent. Chrysippus tale: « Solem esse facem collectam et accensam, intellectualem, ex vapore maris. » Et quod mox in Laertio sequitur de Luna, « ex aquis dulcibus: » idem Chrysippus eam dicebat: « collectam accensamque facem, post Solem, ex aquarum potabilium vapore. » Dicas ex istis, quod Ignea quidem illorum natura, sed ardor ille sit e materia tali. Sed desino hæc minuta et scruposa: nisi fortasse nihil in Philosophia parvum est,

..... præsertim rebus in illis
Quæ supra caput ætheriis cernuntur in oris.

Digitized by Google

Aud. Non est, mi Lipsi; eoque resistere te etiam rogabo, et edere, quid ita Posidonius *Stellam*, *divinum corpus* definiebat? Lips. Jam dictum aut tactum sæpius, Omnis æther, et omnia ætherea, Dii sunt: quia participant, aut constant maxime ex illo Igne. Augustinus (IV De Civ. cap. 11): « Dicunt omnia sidera partes Jovis esse, et omnia vivere, atque rationales animas habere, et ideo sine controversia Deos esse. » Et apud Stobæum Zeno ait: « Solem, Lunam, et singula astrorum aliorum, esse intelligentem, sapientem igneum ignem, tanquam arte constantem. Aud. Hui, intelligentes, sapientes? Lips. Vel maxime, et supra alias animantes. Cicero (II De Nat. Deor.): « Sidera æthereum locum obtinent, qui quoniam tenuissimus est, et semper agitatur et viget: necesse est, quod animal in eo gignatur, idem quoque sensu acerrimo, et mobilitate celerrima esse.» Aud. Ergo et Animalia? Lips. Quippini: et rationalia, immortalia, aut certe longæva. Neque nimis hæc rideas: est invenire inter primores illos Patrum, qui istis annuerunt. Origenes, doctrinarum culmen, « Solis, et Lunæ, et Stellarum animas » agnovit: « neque eo tamen tempore, quo Mundus factus est, esse cœpisse, sed antequam lucens illud et ardens corpus intrarent: » quod Hieronymus de eo plus simplici vice testatur (Epist. LIX ad Avitum). Et Philo Judæus quam sæpe sic Platonissat? Scribit alibi (de Opific. Mundi): « Stellas sensu præditas, imagines divinas et pulcherrimas. » Item (de Insom.): « Incorruptibiles et immortales animas.» Iterumque (de Opific. Mundi): « Animalia esse dicuntur, et animalia intelligentia. Magis autem quæque earum Mens est, undique et omnino bona, et omnis mali incapax. » Non tamen, ut alibi fatetur (de Pietate), Dii sunt; sed: « Præsides quidam, ut ita dicam, Sub-præfecti omnium parentis. » Posteriores Judæi et Rabini talia, aut deteriora; quos secutus quidam nostro ævo *Animalia cœlestia* audacter asseruit, et ipsum *Mundum animatum*. Nobis modesta sententia sedeat, quæ est Theologorum: qui Animas quidem aut potius Intelligentias conjunctas attribuunt; sed non ut εἴδη οὐσιώδη, *formas essentiales*, nec quæ faciant unum corpus. Aud. Si tamen ita veteres, jam non miror Divinationem astris assignari, et ab iis peti, sic divinis. Et merito sane Astrologi Stoicis

Digitized by Google

tuis sunt amici. Lips. Fateor, et quanquam Fatum et Necessitatem in ipsa Materie ponunt, quam inhæret : tamen Astra vel movere aliquid volunt, vel certe monere. Dubitat Seneca (Ep. cxvii), « An ad stellarum motus nostra moveantur corpora, an corporibus animisque omnium illinc impetus veniat? » Et affirmare illud videtur alibi (de Provid. cap. 1) : « Hanc inoffensam velocitatem (siderum) tantum rerum terra marique gestantem, non esse materiæ errantis ordinem. » Quasi ipsa sidera res habeant, gestentque inclusas. Iterumque alibi (ad Marciam, cap. 18) : « Ex siderum quinque (Planetarum) levissimis motibus fortunæ populorum dependent, et maxima ac minima proinde formantur, prout æquum iniquumve sidus incessit. » Denique longius, ad sidera etiam fixa, vult protendi (II Quæst. Nat. cap. 32) : « Quinque stellarum potestates Chaldæorum observatio excepit. Quid tu? tot millia siderum judicas otiosa lucere? Quid est porro aliud, quod errorem incutiat peritis natalium, quam quod paucis nos sideribus assignant : quum omnia quæ supra nos sunt, partem sibi nostri vindicent? » Valde pro Genethliacis facit, quos tamen vellet non Planetarum tantum quinque, et Solis ac Lunæ; sed etiam fixorum siderum potestates novisse : quæ ignorantia, inquit, causa est cur a vero sæpe delirent. Palam quidem hæc sunt pro Astris, et causas ipsa eventuum esse, ac movere. Tamen æquius meliusque alibi ambigit, et sententiam alternat (Epist. lxxxviii) : « Sidera effectus rerum omnium aut movent, aut notant. » Bene de notatione tantum, et hoc est quod *monere* dicebam. Significare aliquid possunt ex Fato futurum, non ipsa sunt, aut faciunt Fatum. Itaque Manilii hoc toleres :

. . . . . conscia Fati
Sidera :

Illud nollem,

. . . . . diversos hominum variantia casus.

Magis enim sit, « significare ista quam facere, » et Plotini modestior assertio : « Nihil vi vel potestate eorum hominibus evenire, sed ea, quæ Decreti necessitas in singulos sancit, ita per horum septem (Planetarum) transitum, statione recessuve monstrari; ut aves prætervolando, seu stando, futura pennis vel voce significant

Digitized by Google

nescientes. » Modestior, dixi, non verior, et longa hæc disputatio sit, seponatur : illud fatemur, Stoicos plusculum omni Divinationi tribuisse, ut sic quoque Divinitatem et Providentiam affirmarent.

DISSERTATIO XV.

Aer, et ejus divisio, primo Frigidum Stoicis esse.

Aer Ignem excipit, quæ Græca vox est, recepta tamen usu, ait Cicero, a Latinis. Ipsis est *Spiritus*, sive *Anima* etiam Ciceroni : interdum *Cælum* et *Inane*. De ejus situ Cicero (II De Natur. Deor.) : « Aer autem, ut Stoici disputant, interjectus inter mare et cælum, Junonis nomine consecratur : quæ est soror et conjux Jovis, quod ei similitudo est Ætheris, et cum eo summa conjunctio. » Soror nempe, quia tenuitate refert, aliqua facie ; conjux, quia adsitus et connexus. Dividitur in tres partes Senecæ, Summam, Mediam, Imam. Summa pars, inquit (II Quæst. N. cap. 10), « calidissima est et siccissima, et ob hoc etiam tenuissima, ob viciniam æternorum ignium. Pars ima et vicina terris, densa et caliginosa est, quæ terrenas exhalationes receptat. Media pars temperantior, si summis imisque conferas, quantum ad siccitatem tenuitatemque pertinet : ceterum utraque parte frigidior. » Plinius sic quoque dividit, et mensuras inæqualium intervallorum concipit, Posidonio Stoico (ideo libentius memoro) auctore. « Ille, inquit (Plin. lib. II, c. 23), tradit, non minus quadraginta stadiorum a terra altitudinem esse, in qua nubila, ac venti, nubesque proveniant. Inde purum liquidumque, et imperturbatæ lucis Aerem : sed a turbido ad Lunam, vicies centum millia stadiorum. » Ima ergo pars, ad quadraginta stadia attollitur ; mediam non definit ; ultima et liquida amplissima, ad *multa millia*. Seneca autem partim calidum et frigidum, pro partitione ea faciebat : sed idem postea clare : « Natura aeris gelida est. » Iterum : « Frigidus per se, et obscurus. » Atque adeo prima et eminens ea qualitas est Stoicis ; contra Aristotelem, ut seimus, qui calidum ponit. Laertius, de nostris : « Esse quatuor Elementa : Ignem, qui calidus ; Aquam, quæ humida ; Aerem, qui frigidus ;

Digitized by Google

Terram, quæ sicca. » Plutarchus hoc ipsum (de primo Frigido): « Stoici primum frigidum Aeri assignant, Empedocles et Strato Aquæ: » uti et Stagirites. Inde noster (Epist. XXXI): « Nihil sine Igne calidum, nihil sine Aere frigidum: » quasi et causa ac fons sit frigoris. Idem ergo Seneca cum attentione legendus alibi (de Ira II, c. 18): « Quum quatuor elementa sint, Ignis, Aqua, Aer, Terra; potestates pares his sunt, frigida, fervida, arida, humida. » In potestatibus non servat ordinem: et *Frigidam* omnino ad Aera referes, ex Stoæ quidem decretis. Apud Ciceronem ita Stoicus Balbus (II De Nat.): « Ipse vero aer, qui natura est maxime frigidus, minime est expers caloris. » Caloris nempe adventitii, ut subdit. Sed, *frigidus*, dixi, uti omnes fere libri: Lambini magna temeritas, qui, *humidus*, edidit imperite. Etsi fatemur Humidum, sed non primo nostris esse. Fuit tamen nuper vir philosophus, qui ut copulas illas Aristotelis non violaret, Frigidum quidem, sed tamen Siccum pronunciaret: atque ita siccitate cum igne, frigore cum aqua sociaret. Sed id sane abs re videtur: et tribus ita Elementis Siccitatem Stoici donent, Igni, Aeri, Terræ. Mala mixtio: et ad Ignis coercitionem ac temperiem, melius ac providentius Natura (jugatione illa omissa) contrarium Elementum subjunxit, materiæ tamen raritate consonum et conveniens. Neque aliud Stoici hic mutant.

DISSERTATIO XVI.

Aqua, et præcipua ejus pars Mare. Id terram circumit, init, subit, vinculum ejus et irrigatio.

Aqua sequitur, Terræ mixtum elementum, et cum ea facit suum globum. Etsi quidam dividunt, et volunt Mare proprie Elementum esse, et a terra sejunctum. Philo hoc aperte, ad verba Moysis (de Opific. Mundi): « Fons ascendebat e terra, et irrigabat omnem superficiem ejus. Nam alii philosophi, inquit, universam Aquam Elementum constituunt unum e quatuor, quibus mundus componitur. At Moyses acrioribus oculis etiam dissita et obscura pervidere solitus, Elementum censet esse magnum Mare quartam re-

Digitized by Google

rum partem : quod alii post Moysen Oceanum appellarunt, cum quo nostra navigabilia maria si conferas, portuum habere magnitudinem censeas. » Plura in hanc sententiam adtexit, et vult dulces quidem aquas Terræ partem esse, cumque ea censeri : at Mare secretum, et facere orbem suum atque Elementum. Tale est, quod Fabianus ambigit, de Oceano (Suasor. I) : « Utrumne terras velut vinculum circumfluat, an in suum colligatus orbem, et in hos, per quos navigatur, sinus, quasi spiramenta quædam magnitudinis exæstuet. » Censuerint igitur quidam suum distinctumque globum facere, et dumtaxat hæc nostra maria exiguam ejus partem, et velut lacinias esse. Immo nec solem ambire, et tenebras in extremis ejus, et horridum secretum habere. Declamatores apud Senecam patrem indicant, quum Alexandrum ab eo revocant : et Pedo Albinovanus, in navigatione Germanici :

Jam pridem post terga diem, Solemque relictum.

Et statim :

..... ruit ipse dies, orbemque relictum
Ultima perpetuis claudit natura tenebris.

Ambrosius etiam in hac dubitatione (III Hexaem. cap. 3) : « Quis scit, in quantum se illud magnum, et inausum navigantibus, atque intentatum nautis, fundat mare, quod Britannias frementi includit æquore, atque in ulteriora et ipsis fabulis inaccessa secreta se porrigit? » Immo censebant quidam, Oceanum immensum protendi : et Solem atque astra in eo cadere, et resurgere, humoribus ejus refecta. Plebeia et poetarum opinio, sed viris gravibus etiam posita, aut dubitata. Tacito nostro, quod alibi notamus : et Fabiano Philosopho apud Senecam patrem (Suasor. I) : « Illi, quibus ignota nulla pars mundi est, de Oceano tamen dubitant : utrumne terras, velut vinculum circumfluat, an in suum colligatus orbem, et in hos per quos navigatur sinus, quasi spiramenta quædam magnitudinis, exæstuet : ignem post se, cujus augmentum ipse sit, habeat an spiritum. » Ecce, alii seorsim locant a terra, et ambigunt an *Ignis*, id est, *Æther* et sidera (quæ ipse pascit) eum excipiant, an Spiritus sive Aer. Sed hæc olim ; nobis veritas innotuit, et totus pæne

Digitized by Google

Oceanus, navigationibus Hispanorum, Britannorum, et jam nunc Batavorum felici audacia peragratus. Excipio ad Septemtrionem et Austrum, frigore inaccessa. Mittamus igitur immania illa de Oceano, et inania : fines suos habet, et cum Terra utiliter uno velut corpore, et orbe, Natura junxit. Hoc Stoici quoque nostri senserunt (in Laertio) : « Mediam esse Terram (totius Universi) : post hanc, Aquam globosam, quæ idem centrum cum terra habet, ita ut Terra sit in Aqua ». Vera hæc sunt, et examinemus. Ait, « Aquam globosam. » Certum est, tumet et attollitur, et altitudine sua vel montes terræ æquat. Cur non cadit? quia centrum cum terra idem habet, eoque vergit. Balbus Stoicus, apud Ciceronem (II de Nat. Deor.) : « Eadem ratione mare, quum supra terram sit, medium tamen terræ locum expetens, conglobatur undique æqualiter, neque redundat umquam, neque effunditur. » Addit, « Terram in Aqua esse. » Providentia divina factum, neque debuit, aut potuit sejungi hoc elementum. Plinius (II, c. 65) : « Hoc ita formasse artifex Natura (agnosce Stoæ verba) credi debet, ut quum Terra arida et sicca constare per se ac sine humore non posset ; nec rursus stare Aqua, nisi sustinente Terra, mutuo complexu jungerentur : hac sinus pandente, illa vero permeante totam, intra, extra, supra venis, ut vinculis discurrentibus. » Philo Judæus, hoc amplius a Providentia structum, ut dulcibus aquis rigaretur undique et humesceret, non ad vinculum solum, sed frugum, stirpium, animantium alimentum. Sed de *Vinculo* etiam ipse (de Opific. Mundi) : « Tanquam vinculo continetur dulcore aquarum. » Et causam eamdem Plinio addit : *quod a se arida, facile dissipetur et pulverescat* : « sed, inquit, coercetur et manet, partim vi unientis spiritus, partim humore, qui per meatus et foramina varie penetrat, non sinente arefactam abire in parva majoraque fragmenta. » Nota ibi de *Variis meatibus* : quod verissimum est, et tales sub terra, acceptam ab Oceano aquam colant, mitigant, et usibus nostris exsulsam reddunt. Senèca (III Quæst. N. cap. 4) : « Occulto enim itinere mare subit terras, et palam venit, secreto revertitur, colaturque in transitu mare, quod per multiplices amfractus terrarum verberatum, amaritudinem ponit, et in sinceram aquam exit. » Dicit *palam ve-*

Digitized by Google

nire; nimirum quum flumina omnia in mare eant : sed *secreto revertitur* per subterraneos illos meatus. Immo magnam etiam copiam sub ipsis terris relinquit : quod hodie metallarii fossores dicunt, et nos, ubicumque terra humilior, fodiendo comperimur. Nec vani omnino illi (apud Senecam, ibid. c. 8), qui censent, « interiora terrarum abundare dulcibus aquis, nec minus illas stagnare, quam apud nos Oceanum, et sinus ejus : immo eo latius, quo plus terra in altum patet. » Ultimis verbis, *in altum*, id est, profundum. Nam maria pleraque terra sustentantur et innatant, altius illa descendit. Atque hæc verissima causa est, cur maria tot fluminum accessu non crescant : « quia quod influxit, non in suum vertunt, sed protinus reddunt. » (Ibid. lib. VI, cap. 5.) Lucretius alias quoque causas tangit, primam, quod omnis hic influxus nihili sit ad maris totius summam. Hæc parum vera est : verior secunda, quod « magnam partem Sol detrahat æstu, » itemque venti siccent, et vapores in nubes surgant. Tertiam hanc nostram, et præcipuam addit (VI, 631 et sqq.) :

Postremo, quoniam raro cum corpore tellus
Est, et conjunctas oras maris undique cingit;
Debet, ut in mare de terris venit humor aquai,
In terras itidem manare ex æquore salso.
Percolatur enim virus, retroque remanat
Materies humoris, et ad caput amnibus omnis
Confluit.

Atque ista fontium causa et origo, « etiam in summis jugis erumpentium, quo spiritu acta aqua, et terræ pondere expressa, siphonum modo emicat. » (Plin. II, cap. 65.) Addi et de altitudine maris potest, ipsa juga montium, ut dixi, æquantis : nec mirum igitur eo pertingere, et erumpere, in certo aliquo meatu. Hanc originem princeps Sapientum tetigit Homerus, de Oceano :

Ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλασσα,
Καὶ πᾶσαι κρῆναι, καὶ φρείατα μακρὰ νάουσι· (Iliad. φ.)

Omnes ex illo fluvii, omne mare, omnis et unda
Fontium, itemque lacus manant, puteique profundi.

Digitized by Google

DISSERTATIO XVII.

Duplicem Oceanum esse, eumque Terram quadrifariam partiri, ex sensu veterum, haud prorsus vano.

Permanat igitur terram interiorem Oceanus, sed et supra dividit, ac cingit. Vinculum est simul, et discrimen. Noster Seneca (Ad Marc. cap. 18): « Vinculum terrarum Oceanus, continuationem gentium triplici sinu scindens. » Verba examinanda, ne ignarum priscæ hujus descriptionis fallant. Nam quomodo de *triplici* hic sinu, quum Panegyristes dicat (Ad Maximianum.): « Orbem quadrifariam duplici discretum Oceano? » Et alii de gemino tantum, non triplici, affirmant. Altius repetenda res est, et pro mente veterum globus hic totus secandus. Atque ea fuit: Terram cum Mari rotundam esse; sed ipsam duplici Oceano dividi, et velut decussari. Priorem esse, ipsum verum, magnum, originalem Oceanum: qui terram ab ortu ad occasum mediam dividit, sub ipsa zona torrida, id est, Æquatore. Alterum, qui ab illo ortus eamdem terram, parte altera, mediam secat, ab Austro in Septemtriones. Itaque duplici hoc Oceano tota Terra scinditur in partes quatuor: id est, totidem insulas, e quibus unam dumtaxat nos habitamus. Hæc testimoniis firmanda, et tum ad Senecam aptanda sunt. Plinius (II, cap. 67): « Maria circumfusa undique dividuo globo, partem orbis auferunt nobis; nec inde huc, nec hinc illo pervio tractu. » Nam etsi videri possit de una et media illa orientali divisione loqui tantum: tamen quum addat « undique dividuum, » potest et de altera intellexisse. Sic alibi (cap. 66): « Est igitur in toto suo globo tellus, medio ambitu, præcincta circumfluo mari. » In toto globo ait, non parte tantum. Sed eludat hæc aliquis, sicut illud Pomponii: « Hujus medio terra sublimis cingitur undique mari, eademque in duo latera, quæ hemisphæria, ab Oriente divisa ad Occasum. » Age igitur, sint hæc de primario et originali illo Oceano tantum: sed dicimus ad polos eum parte utraque se porrigere, et per eos in se redire. Clarissime et uberrime hoc exsequitur Macrobius, in illa Ciceronis (lib. II, cap. 9): « Omnis

Digitized by Google

terra, quæ colitur a vobis, angusta verticibus, lateribus latior, parva quædam est insula, circumfusa illo mari quod Atlanticum, quod Magnum, quem Oceanum vocatis. » Summa est : « Non uno, sed gemino Oceani ambitu, terræ corpus omne circumfluit. Cujus primus, inquit, meatus est, qui ab indocto hominum genere nescitur ; atque ea corona, per zonam terræ calidam meat, superiora terrarum et inferiora cingens, flexum circi Æquinoctialis imitata. Ab Oriente vero duos sinus refundit, unum ad extremitatem Septemtrionis, ad Australis alterum : rursusque ab Occidente duo pariter enascuntur sinus, qui usque ad ambas, quas supra diximus, extremitates refusi, occurrunt ab Oriente demissis. Et dum vi summa, et impetu immaniore miscentur, invicemque se feriunt, ex ipsa aquarum collisione nascitur illa famosa Oceani accessio pariter et recessio. » Post pauca deinde : « Tam igitur ipse, qui Æquinoctialem, quam sinus ex eo nati, qui Horizontem circulum ambitu suæ flexionis imitantur, omnem terram quadrifariam dividunt : et singulas habitationes insulas faciunt. Ideo Tullius hæc volens intelligi, non dixit : *Omnis terra parva quædam est insula :* sed, *Omnis terra, quæ colitur a vobis :* quia et singulæ de quatuor habitationibus parvæ quædam efficiuntur insulæ, Oceano bis eas, ut diximus, ambiente. » Strabo hæc confirmat (lib. I) : « Quod omnis habitata tellus insula sit, primum quidem sensu et experientia docemur. Quacumque enim versus licuit hominibus libuitque ad ultima terræ progredi, mare inventum est, quod Oceanum appellamus. » Ab omni, inquit, latere Oceano claudimur : et est ergo bifaria illa divisio dicta : quam et postea ingerit, terramque, ut Macrobius, quadrifariam secat. Boethius hoc ipsum (lib. II) : « Terræ quarta fere portio est, quæ a nobis cognitis animantibus incolatur. » A nobis cognitis ? ita ; quia a nostro hoc quadrante, sive Strabonis τετραπλεύρῳ, in alios accessus non est, vel ob zonam torridam, vel ob vasta maria interjecta. Ut veterum plurimi quidem censebant. Nam nostra hæc ætas refutavit, docuitque et coli Torridam, et adiri ; itemque alios laterales tractus. Dixi plurimos veterum ; neque enim omnes censuere ; et Posidonius Stoicus aperte (apud Cleomedem) disserit, « clima sub Æquidiali temperatum

Digitized by Google

esse. Nam, inquit, circa Tropicos, ubi Sol diutius moratur, non sunt loca inhabitata, cur sub Æquatore essent? Deinde, quum nox diei æqualis sit, spatium etiam refrigerandi satis amplum est, et imbres et venti erunt qui idem præstabunt: ergo habitabilis. »

Bene cum *Chlamyde* comparatur a Strabone habitata hæc nostra terra: et simul Senecæ veriloquium, « triplici sinu continuationem gentium scindi. » Triplici, inquam; pro cujusque quadrantis ambitu: qui duos sinus ab oriente et occasu ad polum habet: tertiumque, ab oriente ad occasum. Liquet etiam Panegyristæ sensus, « Orbem quadrifariam duplici Oceano discerni. » Hæc in parte nota veteribus erant (et ad sensum Strabo appellat): in parte non erant. Parte dico Australi: de qua conjunctura idem præsumebant. Macrobius: « Nec dubium est, inquit, in illam quoque Australis generis Temperatam, mare de Oceano similiter influere: sed describi hoc nostra attestatione non debuit, cujus situs nobis incognitus perseverat. » Ita igitur prisci: quid hodie? res non obscura est, allusisse verum, non attigisse prorsus antiquos. Neque enim sub Æquatore est statim magnus ille Oceanus, neque directo mediam terram dividit: sed infra illum obliquus, præter Bonæ Spei promontorium versus Orientem quum fluxit, limite alio Magellani fretum perrumpit, et priori illi vastus occurrit. Ad polum etiam nostrum, id est, Septemtrionem, maria confluere utrimque, pæne compertum est. Batavi magno animo explorarunt, pernavigare tentarunt: glacies, et monstra, et frigora repulerunt. Sed ita, ut auras hauserint Indici illius sive Orientalis maris. Atque, hæc, ut pleraque vera, vetus etiam opinio hausit; vel Orphei, qui dixit:

> Κύκλον ἀκαμάτου καλλιῤῥόου Ὠκεανοῖο
> Ὃς γαῖαν δίνῃσι περὶξ ἔχει ἀμφιελίξας·
> Indefessi orbem Oceani, pulchreque fluentis,
> Vorticibus terram qui circumplectitur almam.

vel Homeri, quem ideo Ἀψόῤῥοον Ὠκεανόν, *Refluum Oceanum*, appellasse volunt: « tanquam in se impetu ruentem, et redeuntem, atque ita terram sibi includentem. » (Eustath.) Hæc ad Senecæ mentem uberius dixi: poteram brevius, *triplicem sinum* esse, Mediterraneum, Arabicum, Persicum. Brevius, sed non verius;

Digitized by Google

nam et plures sinus sunt, et pro diffusione Oceani manca et angusta dictio sit; sed neque *continuationem gentium* illi *scindunt*. Nonne navigantur, nonne et pedibus circumeuntur? Ita est; nec *Sinuum* vox aliquem moveat, quam et Macrobius laterali utrique Oceano tribuit, quia videlicet magni Oceani sunt recessus aut partes. Nescio an Varro non sic explicandus sit : quem Priscianus in *Orthographia* (immo *Cosmographia*, vel si ausim *Orbigraphia*) ita laudat :

> Ergo inter Solis stationem, et sidera septem,
> Exporrecta jacet tellus, huic extima fluctu
> Oceani, interior Neptuno cingitur ora.

Inter Tropicum, inquit, et Septemtrionem jacet terra nostra habitabilis, exterior Oceano Atlantico, interior Septemtrionali. De altero Senecæ loco magis affirmem, isto (I Quæst. in Præfat.) : « Hæc est terra, in qua regna disponitis : minima, etiam quum illis utrimque Oceanus occurrit. » Quomodo utrimque? a latere utroque, opinor, ad occasum et ortum : ubi terra habitata latissima est, et exporrigitur : sed mari utrimque superveniente dirimitur. Omittit enim de Australi vel Septemtrionali parte, quam notum erat, Torrida et Frigida zonis claudi. Pincianus, Censor eximius, legi volebat, *undecumque Oceanus incurrit*. Non mutem contra libros : aut si, *uterque* velim.

DISSERTATIO XVIII.

De Terra. Matrem dici, et Animal; unde sustentetur firmeturque.

Terra excipit, imum atque ultimum Elementorum. Dignitate aut situ ultimum : non usu, quod ad nos attinet, immo primum. Itaque mater et parens nobis dicitur : quid si et Deorum? quid si prima condita, et ex ea deinde alia? Stoici ipsi (apud Stobæum) : « A Terra generationem Mundi cœpisse, tanquam a centro; nam initium Sphæræ, centrum ipsum esse. » Itaque ex materia illa aquea, ab Igne primo expressum et secretum gravissimum elementum esse, Terram : atque hac, ut fundamento, posita, reli-

Digitized by Google

quum ordinem et orbem circumfusum. Ideo Statius magnifice ad eam (lib. VIII, 303, et seqq.) :

..... O hominum divumque æterna creatrix,
Quæ fluvios, silvasque, animasque, et semina Mundi
Cuncta, Prometheasque manus, Pyrrhæaque saxa
Gignis, et impastis quæ prima alimenta dedisti,
Mutastique vices, quæ pontum ambisque, vehisque.
..... firmum atque immobile Mundi
Robur inoccidui, te velox machina cæli
Aere pendentem vacuo, te currus uterque
Circuit, o rerum media, indivisaque magnis
Fratribus.

Ipse Seneca : « Terra et pars est mundi, et Materia. Pars est mundi ut cælum. Ex illo deinde et ista, alimenta omnibus animabus, omnibus satis, omnibus stellis dividuntur. » Materiam igitur interpretatur, quia alit : atque adeo Trismegistus « tres in ea naturas collocat, Ignis, Aquæ, et Terræ, ab una stirpe deductas. Unde, inquit (cap. 16), omnis materiæ *promptuarium* creditur : et donat quidem atque erogat alimenta, vicissim autem superne substantiam accipit. » Eadem Senecæ dicit, si pro Stoicorum mente capis. Magnifice etiam de ea Hippocrates (In Epist.) : « Sacratissima terræ sedes ; e qua animæ, et plantæ, et alimenta, et medicamenta, et fortuna atque opes ipsæ gignuntur. » O magna et benigna mater! sed non libet in laudes ejus ire : ad incœptum magis redire. Nam quod de primo ejus ortu dixi, non omnes consentiunt : et Laertius *ultimam* videtur locare et gignere, inter Stoæ scita. Sic et Manilius :

Ultima subsedit glomerato pondere tellus.

Quod autem in Trismegisto de *triplici in ea natura* erat, ratio et sensus dicunt, et mixta hæc, aut seorsim insita, in penetralibus videmus. Hæc causa, cur aliqui cum Corpore nostro Terram comparent, ut Seneca (Quæst. VI, cap. 14) : « quia et Aquis, quæ vicem sanguinis tenent, Ventis, quos nihil aliud quis quam animam vocaverit, pervia est » : atque adeo subdit fuisse, « quibus animal placeret esse terram. » An Pythagoricis? nam ipse Pythagoras, apud Ovidium (XV Metam. 342),

Nam sive est animal Tellus, et vivit, habetque
Spiramenta, locis flammam exhalantia multis.

Digitized by Google

Terræ igitur hæc dignitas : et de Situ dixi, in medio esse, sed pendulam, et in se reductam : quo sustentante? quidam aquis volunt innatare : ut Thales, de quo Seneca (Quæst. III, cap. 17) : « Quæ sequitur Thaletis inepta sententia est : ait enim, terrarum orbem aqua sustineri, et vehi more navigii, mobilitateque ejus fluctuare, tunc quum dicitur tremere. » Eidem iterum hoc attribuit : « Thales totam terram subjecto judicat humore portari, et innatare : sive illud Oceanum voces, sive mare magnum, sive alterius naturæ simplicem aquam. » Sunt qui e Sacris firmamentum petant : quia Psalmista scripsit : « Qui fundavit terram super aquas. » Sed id verissime de mari dicitur, ut Damascenus explicat (lib. II, cap. 10), undique circumfuso. Plures Aere fulciri et attolli voluerunt. Lucanus, lib. I, 89 :

> ..... dum terra fretum, terramque levabit
> Aer.

Magnus Hippocrates (libro de Flatib.) : « Spiritus Lunæ fundamentum, et terræ vehiculum » Plinius (II, cap. 5) : « Aerem per cuncta rerum meabilem, totoque confertum ; hujus vi suspensam, cum quarto aquarum elemento, librari medio spatio tellurem. » Sed alibi idem et alteram, verioremque causam, tangit (ibid. c. 70) : « Mirantur pendere terram, ac non cadere nobiscum, ceu spiritus vis, mundo præsertim inclusi dubia sit ; aut possit cadere, natura repugnante, et, quo cadat, negante. » Hoc optime. Natura est quæ repugnat, et sistit, et tendere eam ad media sui jubet. Ad media

> ..... quia totus ab illa
> Tantumdem refugit Mundus, fecitque cadendo
> Undique [1], ne caderet ; medium totius, et imum est :

ut ingeniose Manilius scripsit, et addit (lib. I) :

> Nec vero tibi Natura admiranda videri
> Pendentis terræ debet, quum pendeat ipse
> Mundus, et in nullo ponat vestigia fundo.

Vi igitur sua stat et naturæ, nullo nixa ; quod pulchre Jobus, sacer vates (c. 26) : « Qui terram fundavit super nihilum, ἐπ' οὐδενός. »

[1] Nam undique in se cadit, sicut in eam imbres.

Digitized by Google

Et ipsa pæne est nihilum universi comparatione, et velut punctum. O miseri, cælum aspicite, et in terram despicite! « Punctum est illud, in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis : minima, etiam quum illis utrimque Oceanus occurrit. »

DISSERTATIO XIX.

Stabilis ea, an moveatur? itemque de Novo orbe, sive America, an veteres gnari fuerint?

Finivi de Elementis. Aud. Non mihi; de Terra duo sunt, quæ etiam quæram, Vetus unum, ecquid stare eam Stoici censeant, an moveri? Novum alterum, An novus hic noster, cognitus iis orbis? Nam hoc ultimum ego atque alii sæpe addubitamus. Lips. Ad utrumque sic habe. Et prius quidem etiam Seneca vult excuti (VII Quæst. cap. 2), « Utrum videlicet Cælum Mundus terra stante circumeat, an Mundo stante terra vertatur? Fuerunt enim qui dicerent, nos esse quos rerum Natura nescientes ferat : nec cæli motu fieri ortus et occasus, sed ipsos nos oriri et occidere. Digna res est contemplatione, ut sciamus in quo rerum statu simus : pigerrimam sortiti, an velocissimam sedem : circa nos Deus omnia, an nos agat. » Ait, « fuisse qui dicerent. » Qui illi? plures reperio; sed « primus Philolaus Pythagoricus dixit : terram moveri in orbem. » (Laertius, In Philolao.) Addit tamen : « Alii tamen Hicetæ Syracusio id tribuunt. » Et de Hiceta, etiam Cicero (Acad. II): « Hicetas Syracusius, ut ait Theophrastus, cælum, Solem, Lunam, stellas, supera denique omnia stare censet : neque, præter terram, rem ullam in Mundo moveri. Atque hoc etiam Platonem in Timæo dicere quidam arbitrantur, sed paulo obscurius. » At de Philolao quod Laertius, universe Plutarchus *Pythagoricis* adscribit (In Numa), eosque Terram non putare immobilem, sed esse in gyrum circa ignem suspensam, » additque de Platone, ut Cicero, « eadem jam senem sensisse : » quod Theophrasto auctore in vulgus manasse, idem alibi ostendit. Ubi et ex professo verba Timæi examinat, e quibus id colligebant, nam scripserat (In Quæst. Plat.) : « Ani-

Digitized by Google

mas in terram, et Lunam, et quæcumque alia temporis instrumenta, dissipari. » At quomodo terra, si quiescit, temporis instrumentum? Sed respondet ipse, et bellissime solvit : tu vide. Addit ibidem, « Aristarchum idem de Terra posuisse, Seleucum affirmasse : » sed et *Cleanthem Samium* alibi in hac parte ponit. Denique Leucippus sensit (de Facie in orbe Lunæ) : « Terram vehi, circa medium assidue versam, esse autem figura tympani. » Vides deliria; quomodo aliter appellem? aut quid in ista inquiram? et si (tantus Paradoxorum amor, est) etiam patrum ævo nobilis mathematicus hanc hæresim excitavit, sed cum ipso sepultam. Nostri stare consensu affirmant : et cælis motus suos relinquunt. Alterum quod quærebas, De novo Mundo, quem ante sæculum repertum, *Americam* ab uno inventorum appellamus, cum injuria aliqua aliorum. Noruntne veteres? inquis. Nosse non dicam proprie, sed scivisse. Quum enim Australem orbem, nostro adversum adstruxerunt, et quatuor adeo Terræ partes, sive insulas fecerunt (supra doctum), quomodo non cogitatione novum orbem comprehenderunt? necessario illum, aut nullum Cicero in Somnio : « Globum mundi duabus oris distantibus habitabilem et cultum : quarum altera, quam nos incolimus, posita sub axe ad septem stellas; altera australis, ignota nobis, quam vocant Græci ἀντάξονα. » Pomponius Mela : « Reliquæ duæ habitabiles, paria agunt anni tempora, verum non pariter. Antichthones alteram, nos alteram incolimus : illius situs ob ardorem intercedentis plagæ (Æquinoctialis) incognitus, hujus dicendus est. » Non possunt constantius aut certius, dicere de altero, id est, novo orbe. Cicero ἀντάξονα appellatam, ab opposito nobis axe dicit; Mela ἀντίχθονα, quasi adversam terram. Est et in Platone (in Timæo et Critia) profecto vetus et vera memoria magnæ *Atlantidis insulæ*, quam Asia et Africa ampliorem scribit : atque ita describit, ut mihi videatur locus dubitationi non esse, quin Novus orbis pars sit Platonicæ illius terræ. Nam primum facit locatque grandem illam insulam, ad fauces Gaditani maris; quæ longe lateque introrsum scilicet pateret; « et ex qua esset gradus transitusque ad alias insulas; iterumque ex istis ad oppositam continentem, adjacentem mari, quod vero nomine sic appellamus. » Si hæc consideras et

Digitized by Google

scrutaris, quid nisi dicit, magnam illam fuisse insulam statim ab Hispania, ubi nunc reliquiæ (nam illuvione periit) et velut fragmenta tot illa insularum sunt? Canariarum, Fortunatarum, et quas alias tota ora Africæ, et interior habet. « Ex illa autem, inquit, transitus in insulas. » Quas? eas quæ nunc etiam præjacent continenti, *Cubam*, *Hispaniolam*, *Jamaicam*, et plures. « At ex insulis in ipsam continentem. » Verissime; statim ex illis vel in Peruanum tractum, vel in vastiorem Mexicanum transitur. Et *Continentem* appellat, etsi insula est, sed ita, quomodo nostra hæc pars a nobis habitata. Hæc magis totum Novum orbem nobis aperiunt et asserunt, quam illa Aristotelis in Admirandis traditio : « In mari extra Herculis columnas, insulam desertam inventam fuisse, silva nemorosam, fluviis navigabilem, fructibus uberem, multorum dierum navigatione distantem, in quam crebro Carthaginienses commearint, et multi sedes etiam fixerint : sed veritos primores, ne nimis loci illius opes convalescerent, et Carthaginis laberentur, edicto cavisse, et pœna capitis sanxisse, ne quis eo navigasse deinceps vellet. » Quod verum censeo de una aliqua novarum insularum? quia *multos dies* navigationi impendit ; neque probabile igitur Canarias, aut alias vicinas, fuisse. Et vero de iisdem terris, quis non Aviti declamatoris (apud Senecam Suasor. I) libens illa accipiet? « Fertiles in Oceano jacere terras, ultraque Oceanum rursus alia littora, alium nasci orbem. » Clarius non potuit effari, aut designare. Clemens B. Petri discipulus in epistola quadam (Epist. ad Ephes. cap. 1) : « Oceanus, et Mundi qui trans ipsum sunt. » Ita Hieronymus ex eo citat : et *Mundos* appellasse credo, magnitudinem indicantem. Quæ vel in terris notis mirifica : etsi tractus ille Australior, et trans Fretum Magellani, nondum innotuerit, nisi a præternavigantibus libatus. Noster Seneca (nam ille Tragœdiæ Medeæ certo auctor est) de iis ipsis prædixisse videtur, pueris jam decantatum (Medea, 375) :

Venient annis sæcula seris,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, et ingens pateat tellus,
Tiphysque novos detegat orbes,
Nec sit terris ultima Thule.

Digitized by Google

Quod ille tamen proprie de Britannicis insulis intellexit, et in Claudii gratiam scripsit. Magis pro nobis, quod idem timet, et timendo adstruit (V Quæst. cap. ult.) : « Unde scio, an nunc aliquis magnæ gentis in abdito dominus, fortunæ indulgentia tumens, non contineat intra terminos arma, an paret classes, ignota moliens? Unde scio, hic mihi, an ille ventus bellum invehet[1] ? « Palam ostendit, magnos reges et gentes, ultra maria, ignotos esse. Illis ignotos, nobis noscendos : alibi etiam ab eo prædictum (VII Quæst., cap. 31) : « Multa venientis ævi populus ignota nobis sciet. Multa sæculis futuris, quum memoria nostri exoleverit, reservantur. Pusilla res Mundus est, nisi in illo quod quærat omnis Mundus habeat. » At vero Virgilius vaticinatur, etiam Romano imperio terras eas (neque enim de aliis ceperim) subjiciendas.

> ..... jacet extra sidera tellus,
> Extra anni solisque vias, ubi cælifer Atlas
> Axem humero torquet stellis ardentibus aptum. (VI, Æn. 795.)

« Extra sidera? quî potest? » cælo certe tegitur : sed majora sidera accipe, aut planetas, qui intra Tropicos decurrunt. Ideo addit, velut interpretans, « Extra anni et solis vias. » Ergo ultra τὴν κεκαυμένην, id est, Torridam, locat : nempe ἀντάξαια illam nobis, et temperatam, ut supra dictum. Nam de Atlante quod scribitur, non de illo Africæ intelliges, sed de isto quem Plato celebravit, et regnasse iis locis scribit. Eo, inquit, Augustus *Proferet imperium*. Estne factum? nugæ, et mella poetica; etsi, Marinæus Siculus Auctor, « repertum in Novo orbe nummum aureum veterem, cum effigie Augusti : eumque Romam ad Pontificem, fidei ergo, missum per Joannem Ruffum, Episcopum Consentinum. » O bellum impostorem aut ludionem, quisquis nummum ibi abjicit! nam aliter repertum non esse, mihi quidem liquet, nisi si Genius hoc fecit. Illud magis mirum et fidum, quod Hispani scribunt, « in valle, quæ Cautem dicitur, in Chili provincia, oppidum esse, quod Imperiale ab hac causa nominant, quoniam in plerisque domibus et portis repererunt Aquilas bicipites formatas, ut hodie videmus in Romani im-

[1] Indis occiduis hæc evenerunt, ignarissimis Hispanorum.

Digitized by Google

perii signis. Et auget admirationem, quod nulla in iis locis avis biceps, quam potuerint adumbrare. Non dissimile, quod Ammianus notat (lib. 17) in obeliscis Ægyptiorum « sculpta conspici, volucrum ferarumque, etiam alieni mundi, genera multa. » Ignota ipsa et nostro huic orbi invisa. Fuit igitur jam olim ista pars mundi, et auditione accepta, et ratiocinatione stabilita, etsi inspectione fortasse non usurpata. Non quidem ab Europæis : de Afris ambigo, et extrema ea regio huc tendit. Aud. At enim dixisti ex Ammiano, de « volucribus et feris alieni mundi : » quæ vere diversa a nostro sunt, et vix unum aliquod undique respondet. Quid ergo? nonne vel hoc argumentum est alicujus diversi mundi vere novi et postea nati? Lips. Non autumo, neque sacræ litteræ indulgeant dubitare, aut disputare. Semel creavit Deus et produxit terram, animalia, et quidquid in ea vides. Mixtione possunt aliquæ dispares species surgere, plane novæ non possunt. Unde ergo illic ea diversitas? Dic, unde in Africa? unde in ultima Asia? neque leones, tigres, elephantes Europa ista gignit, aut vulgo alit. Cuique regioni, pro cælo atque etiam solo et peculiari indole, sua quædam Deus jam ab initio dedit et assignavit. Major alia dubitatio; unde in hæc loca sic dissita, post diluvium et arcam illam Noachi, vel animalia, vel ipsi homines advenerint? Si terra dices; facile id quidem : sed plerique putant (neque res adhuc aliter docuit) orbem illum cum nostro nusquam ad Septemtriones jungi. Superest ut mari. At quam vasta ea navigatio est? et quis olim tentarit, aut perfecerit, usu magnetis nondum reperto? quis etiam animalia illa, et quidem noxia multa, transvexerit? Ea consideratio inclinat, immo pervincit, vere Platonem de Atlantide illa scripsisse : et finitimam Europæ atque Africæ fuisse, et facilem in eam transgressum. Divulsa postea, aut mersa est : et tamen homines ibi, aut animalia reliqua, quæ olim ab ea conjunctione illata. Sic censeo, et ad proprie Zenonia iterum pergo.

Digitized by Google

DISSERTATIO XX.

Unus, an plures Mundi? idem an æternus? esse, et non esse.

Elementa vidimus, et præcipua corporis hujus membra : sed ipsum Corpus an *Unum* sit, an item *Æternum*, quæramus. Varius enim philosophantium hic sensus; nostri Stoici, « Unum esse Mundum posuerunt, atque eum esse totum illud corporeum. » (Stob. Phys.) Postrema sensum habent, universam Materiam in eo absumptam : nihil reliqui, nisi Vacuum illud esse. Nam Parmenides quidem Unum statuebat : « sed exiguam Universi partem; reliquum autem Materiam esse. » Itaque ejus sensu superfluebat Materia, vel ad plures mundos. Quos reipsa ponebant et existere volebant *infinitos in infinito*, Anaximenes, Anaximander, Archelaus, Xenophanes, Diogenes, Leucippus, Democritus, Epicurus. Atque hujus discipulus Metrodorus imagine etiam utebatur ad probandum : « Absurdum esse, ut una spica in magno campo produceretur; et pariter, unus Mundus in infinito. » Plato et si alibi unum statuit et firmat; tamen vacillare videtur, et quinque numero admittere. Quod etsi aliter quidam interpretantur, nimirum ut orbes appellet Mundos, « Terræ, Aquæ, Aeris, Ignis, et supremi denique Cæli : » tamen Plutarchus tueri conatur simpliciter de quinque totis integrisque Mundis. Et disserta ei videre est, libello *De Oraculorum defectu*. Nostri veriores, et ab uno Deo unum producunt; atque eum, « finitum et animal et æternum, et Deum. » Alia alias explicata sunt : sed *Æternum* ibi ponit Arius Didymus (ex illo enim, apud Eusebium, lib. XV, sumpsi) : quomodo, si conflagratio sit, etiam interitus ab aquis? Ipse distinctione expedit : « Dupliciter enim dici Mundum, et illud quod ex tota Natura exsistit; et illud, quod ornatum et constitutionem jam talem habet. Ideo priore significatione, Mundum, æternum dicunt; posteriore, natum, et mutabilem, et periturum. » Philo Judæus paullo aliter (de Immort. Mundi) : « Potest, secundum Stoicos, Mundus aliquis æternus dici, et aliquis corruptibilis. Iste quidem, juxta ornatum, ut nunc est; ille autem, qui post exustionem iterum nascetur iterumque,

Digitized by Google

certis periodis, nunquam desituris. » Aliter, inquam, postrema dicit, res et ratio eodem cadunt. Perit hic et ille Mundus igitur: et scitum hoc Stoicum Laertius sic expressit: « Placet iis corruptibilem esse Mundum, quippe genitum ea ratione, qua solent sensibus percepta. Cujus etiam partes corruptioni obnoxiæ sunt, id et totum: partes autem Mundi tales (nam invicem assidue mutantur); ergo et Mundus. Et amplius, si quid mutationem in deterius admittit, corruptibile est: facit Mundus; nam exarescit, et inundatur. » Rationes adjunctas vides: primam, *Quod genitus sit*: et quidquid ortum habet, idem finem. Cui Plato (nam is immortalem constituit) sic occurrit (in Timæo): « Ut sit mortalis quidem, qua genitus est; sed non solvetur, neque sortem mortis subibit, propter Dei voluntatem. » Significat, ita factum et conditum a Deo, ut ne pereat; et, quæ eo ducunt, desint. Apuleius (de Dogm. Plat.): « Ad hæc attributa est ei perpetua juventus, et inviolata valetudo: eoque nihil præterea extrinsecus est relictum, quod corrumpere posset ejus ingenium; et, si superesset, non eum læderet; quum ita apud se ex omni parte compositus atque ordinatus foret, ut adversantia et contraria naturæ disciplinæque ejus officere non possent. » Trismegistus (ut sæpe) hic quoque Platonissat (cap. 8): « Pater (Deus) ipse a se æternus: Mundus autem a Patre semper vivens et immortalis est factus. » Altera Stoicorum ratio, *Quod partes Mundi corruptibiles*. Ita est, elementa docent, et ipse æther: quem tamen Aristoteles voluit exemptum. Nostri minime, sed hunc quoque pasci, minui, verti et in aerem solvi. Si quatuor elementa, si ea quæ ex his nata; ergo totus Mundus. Lucretius pariter concludit (lib. V, 236 et seqq.):

> Principio quoniam Terrai corpus, et Humor,
> Aurarumque leves animæ, calidique vapores,
> E quibus hæc rerum consistere summa videtur,
> Omnia nativo ac mortali corpore constant:
> Debet tota eadem Mundi natura putari.

Debet, nec Plato hoc rejiciat, nisi scuto iterum assumpto a voluntate divina. Tertia ratio, *Quod Mutationem in deterius admittit*. Verissime. « Quid enim (ait Noster, Epist. LXXI) mutationis peri-

Digitized by Google

culo exceptum? non terra, non cælum, non totus hic rerum contextus, quamvis Deo agente ducatur. Non semper tenebit hunc ordinem, sed illum ex hoc cursu aliquis dies dejiciet. » Sed addebat etiam Laertius, *in deterius*, et pro exemplo; *exarescit enim et inundatur*. Apposite, duo exitia eum manent, sive Aquæ, sive Ignis: et utriusque jam nunc signa alibi, et alias, mittit. Hic aquæ deficiunt, et siccitas et sterilitas supervenit; ibi abundant, et bona terræ perdunt. Hæc velut via ad illa ducit. Plinium audi, qui scribit (lib. VII, cap. 16), multa in dies minui, « consumente ubertatem seminum Exustione, in cujus vices nunc vergat ævum. » Homines atque alia minora, quare? quia Exustio paulatim appropinquat, et ubertatem seminum absumit. Idem in Ætna ignivomo notat: « Nec tantum, inquit (II, cap. 6), in illa Natura sævit, Exustionem terris denuncians »: sunt enim plures ejusmodi montes; atque hæc omnia signa, aut notæ in partibus, futuræ communis illius exustionis. Vides Plinium, in capitalibus dogmatis, bona fide Stoicum esse? Seneca claudat (Epist. LXXI): « Quæcumque vides supra nos currere, et hæc quibus innixi atque impositi sumus, carpentur, ac desinent. Nulli non senectus sua est. »

DISSERTATIO XXI.

Dupliciter interit, Aqua et Igne. Primum de Aqua, sive Cataclysmo.

Senectus, ergo et mors. Sed qua via mors? duplici, ut tetigi, Aquæ aut Ignis; sive, Diluvii vel Exustionis. Sed cum discrimine, quod illa prior animantium tantum, et frugum fructuumque sit, aut quæ in terra sata; hæc ultima ipsius terræ, elementorum, et Mundi. Itaque magna hæc mors est, et omnium; illa minor, et quæ partes modo tangit. De utraque ista Cicero (In Somn. Scip.): « Propter eluviones exustionesque terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modo non æternam, sed ne diuturnam quidem gloriam assequi possumus. » Quæ tamen pro Platonis sensu dicta modo vult Macrobius (lib. II), ut crescens humor, sive ignis, alter alterum vincat: « sed nunquam tamen, seu eluvio, seu exustio, omnes terras, aut omne hominum genus, vel omnino operiat,

Digitized by Google

vel penitus exurat. » Plato ipse in Timæo, Ægyptium sacerdotem facit Solonem alloqui : « O Solon, Græci pueri semper estis, neque ulla vobis cana scientia. Quod ideo evenit, quia multa et varia hominum exitia fuerunt, eruntque. Maxima quidem, aut ignis combustione, aut aquæ inundatione evenire necessum est ; minora, aliis quibusque casibus, aut cladibus ferri. » Et addit, Ægyptum ab his duobus immunem, ideoque antiquissimarum illic rerum monumenta servari. Propius ad sensum Stoicum Aristoteles accesserit, si tamen ex vero Censorinus hoc ei adscripsit (De die Natali) : « Est præterea Annus, quem Aristoteles Maximum potius, quam Magnum appellat, quem Solis et Lunæ vagarumque quinque stellarum orbes conficiunt; quum ad idem signum, ubi quondam simul fuerunt, una revertuntur. Cujus anni hiems summa, est Cataclysmus, quam nostri diluvionem vocant; æstas autem Ecpyrosis, quod est mundi incendium. Nam his alternis temporibus mundus tum exignescere, tum exaquescere videtur. » Aristotelem [1] advocat : et sane tale aliquid ille vir, sed contractius, nec de Mundi mutatione, sed partium aliquot terræ diserte prodit. In Meteoris super ea re dissertatio, et damnat rejicitque eos, qui ad Universum producunt. « Ridiculum enim, inquit (lib. I, cap. ult.), ob leves parvasque mutationes, movere universum » Sed inquit, præsumendum, « quod hæc fiant temporibus fato aut natura definitis. Sicut in anni temporibus Hiems intervenit; ita in magna aliqua temporum conversione, magna Hiems accidit, et copia aquarum. » Dicas locum esse, quem Censorinus adspexerit, etsi paulum a se auxit et ampliavit. De *Hieme* hic sane comparatio; quæ et Senecæ placita, atque usurpavit (Quæst. III, cap. 29) : « Inundatio, non secus quam Hiems, quam Æstas, lege Mundi venit. » In eo dissensus, quod nostri etiam totam terram hoc genere fati aut perdunt, aut novant. Seneca (Consol. ad Marc. cap. ult.) : « Inundationibus, quidquid habitatur, obducet ; necabitque omne animal, orbe submerso. » Idem, ubi ex professo hoc tractat (Quæst. III,

[1] Dubitavi, an non *Aristocles* legendum, quem ex Eusebio disco de *Conflagratione* scripsisse : lib. I, cap. ult.

Digitized by Google

cap. 29) : « Ergo quandoque erit terminus rebus humanis, quum partes terræ interire debuerint, abolerive funditus totæ, ut de integro totæ, rudes, innoxiæque generentur, nec supersit in deteriora magister. » Nam hunc finem ponebant, emendare et innovare. Itaque, ut idem ait (Ibid.), « non semper ea licentia undis erit, sed peracto exitio generis humani, exstinctisque pariter feris, in quarum homines ingenia transierant, iterum aquas terra sorbebit, et rejectus e nostris sedibus, in sua secreta pelletur Oceanus : antiquus ordo revocabitur. Omne animal ex integro generabitur, dabiturque terris homo inscius scelerum, et melioribus auspiciis natus. » En, quam vere hæc nostri : et quis non e Sacris libris hausisse putet, et eventum, et causam? Cæterum de Inundatione, et quomodo ea fiat, belle et diserte Seneca, fine libri tertii Quæstionum : tu vide. Vetus autem et popularis hæc opinio de Diluviis, ac plura fuisse Plato asserit, etsi illud Deucalionis decantetur tantum : sed et Novi orbis incolæ a majoribus sic acceperunt. Peruani tradunt (August. Carata) : « terras eas omnes aquis mersas latuisse, periisse homines, exceptis paucis, qui in lignea vasa se receperunt, velut naves » : ibi commeatu proviso egisse, donec aquæ decrescerent, et abirent; quod indicio canum collegerunt : quos foras identidem emittebant, et quum madidi a natatu redirent, sciebant aquas superesse ; quum denique sicci, deesse. At Mexicani, « quinque Soles ad hoc ævi luxisse. Et primum illum aquis perisse, unaque cum eo homines, et quidquid in terris esset. » (Lupus Gomara.) Hæc illi picturis et notis prodita ab antiquo habent fidem Platonici diluvii, quod in Atlantide insula, et circa evenisset. Heus, etiam illud obiter ; in Censorino legi, *exignescere*, *et exaquescere* : quæ sunt ipsa Stoæ verba, quæ in Laertio supra et Græce erant ἐξαυχμοῦσθαι καὶ ἐξαυδατοῦσθαι.

Digitized by Google

DISSERTATIO XXII.

De Ignis interitu, qui Ecpyrosis dicta. Quando, Quomodo, Qua gratia fiat?

Minorem mortem diximus; magnum exitium videamus ἐκπύρωσιν solemniter iis dictam, Latine *Conflagrationem*, sive *Exustionem*. Hanc illi eodem fine inducunt, purgandi, et effœta omnia instaurandi. Itaque non est proprie φθορὰ, sive *Interitus;* sed μεταβολὴ, *mutatio*, ut Numenius apud Eusebium scribit: « Non enim in mundi interitu, qui secundum maximas conversiones fit, proprie interitum accipiunt illi, qui in Ignem omnia resolvi docent, quam vocant Exustionem; sed pro Mutatione secundum naturam, utuntur Interitus verbo. » Itaque et in Seneca (Consol. ad Polyb. init.), eam vocem sic accipies, Numenii quidem monito: « Mundo quidem (Stoici) minantur interitum, et hoc universum, quod omnia divina humanaque complectitur; si fas putas credere[1], dies aliquis dissipabit, et in confusionem veterem tenebrasque demerget. » Etsi revera, quidni interitus, quum prior forma tota occidit, nec nisi Materia manet? Sed Numenio hoc visum edicere, quia non idem, sed talis iterum Mundus gignitur, mox docendum. Ordine enim videbimus, « Quando, Quomodo, et Quo fine fiat. » Quando? Seneca respondet (Quæst. III, cap. 28): « Quum Deo visum ordiri meliora, vetera finiri. » Deo, id est, Fato. Nam *Lege Mundi* (ea Fatum est) alibi scribit (ib. c. 29) venire. Ita Aristocles, apud Eusebium: « Per fatalia quædam et definita tempora Mundum omnem exardere. » Quid Ovidius? (Metam. I, 256.)

> Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus,
> Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli
> Ardeat, et mundi moles operosa laboret.

Aliqui tamen ad *Magnum annum* referebant, ut in Censorino supra vidimus: et tangit Numenius, verborum aliquo defectu, sensu tamen

[1] Dat hoc Polybio, qui alterius sectæ fuit.

Digitized by Google

aliquo apparente : « decursu annorum quum sidera ad eumdem locum veniunt, Anastasin, » id est « Eversionem rerum fieri, atque id esse Magnum annum; iterumque post eam fieri Apocatastasim, sive Redintegrationem rerum et Restitutionem. » Quis autem ille Magnus annus, et quot annorum millium, variant : in Julio Firmico huic rei legi ista. Disputat de die Natali, sive genitura Mundi, et negat « facili posse ratione concipi, aut explicari. Nec, inquit (lib. III), eousque se intentio potuit humanæ fragilitatis extendere, præsertim quum trecentorum millium annorum major ἀποκατάστασις, hoc est, Redintegratio, per Ἐκπύρωσιν, aut per Κατακλυσμὸν, spatio perficiatur. His enim duobus generibus Apocatastasis fieri consuevit; namque Exustionem Diluvium sequitur. Nulla enim re alia poterant res exustæ renasci, nec ulla re alia ad pristinam faciem formamque revocari, nisi admixtiones atque concretus favillarum pulvis omnium genitalium seminum collectam conciperet fœcunditatem. » De Magno anno illic vides (nam alia differo), sane magno, et « trecentorum millium annorum, » si lectio est recta. Equidem variant [1], ut dixi : et Macrobius, qui *Annum Mundanum* scite hunc appellat, ut communem nostrum illum, *Solarem;* Macrobius, dico, « quindecim millibus » eum definit. Censorinus sententias plurium refert, sed duorum qui maxime augent, « Orphei, ad centum millia viginti; Cassandri, ad tricies sexies centena millia. » Bono animo simus; ἐκπύρωσιν non videbimus, istis quidem auctoribus : sed nec Firmico in quo « triginta millium » legere aliquando volui, sed desisto. Nam et in Numenio est, hæc fieri, « post periodos quasdam Maximas. » In Didymo, « periodos infinitas. » Quam vacuum autem, immo ineptum, ista definire, quæ nulla experientia, aut ratio affirmet, aut indaget? Tam hercules, quam quod etiam cæli statum et signa notent, quibus hæc eventura. Chaldæorum ista vanitas : « et Berosus, qui Belum interpretatus est (ait Seneca, Quæst. III, cap. 29), dicit cursu ista siderum fieri, et adeo quidem affirmat, ut Conflagrationi atque Diluvio tempus assignet. Arsura enim terrena contendit, quando omnia sidera in Cancro convenient; inun-

[1] Aliquid et in Stobæi Physic. vide.

Digitized by Google

dationem futuram, quum eadem siderum turba in Capricornum convenerit. » Videsne? apposite, nam sunt hæc æstuantia, et hiemantia item signa. Seneca tamen haud plane rejicit (ibid.) : « sed rationem illam, quæ in conflagratione Stoicis placet, huc quoque transferendam putat. Sive animal est Mundus, sive corpus, natura gubernante, ut arbores, ut sata; ab initio ejus usque ad exitum, quidquid facere, quidquid pati debeat, inclusum est. Ut in semine omnis futuri hominis ratio comprehensa est, et legem barbæ, et canorum, nondum natus infans habet; sic origo Mundi, non minus solem et Lunam, et vices siderum atque animalium, quam quibus mutarentur terrena, continuit. » Ad occultas, et ab æterno fatales causas, revocat verecundius veriusque. Initio verborum aliquid mutavi, et *Sive animal* legi, non *Anima*, ut passim edunt : res ita vult, nec quisquam tam stolidus, qui *Mundum* Animam esse dixerit, sed *Mundi*. At illud ambigitur, sitne sentiens Corpus, an Corpus tantum. Itaque in ipso Mundi conditu inclusum est, quamdiu vigeat vivatque, ut in quoque animali. Sequitur, *Quomodo* hæc Conflagratio fiat. An ab æthereo illo igne? atqui innoxius est, et vitalis tantum. Respondeo, nec ab illo solo, nec sine illo. Sol et sidera calorem intendent, aer exardescet, humor absumetur, et quæ Natura antea temperabat, eadem exasperabit et extra legem mittet. Vis Senecam audire (Consol. ad Marc., cap. ult.)? « Quum tempus advenerit, quo se renovaturus Mundus exstinguat, viribus ista suis se cædent, et sidera sideribus incurrent, et omni flagrante materia, uno igne, quidquid nunc ex disposito lucet, ardebit. » Et statim hæc fient, nec magno molimento; quia « nihil dfficile est Naturæ, ubi in finem sui properat. Ad originem rerum parce utitur viribus, dispensatque se incrementis fallentibus; subito ad ruinam, et toto impetu venit. Quam longo tempore opus est, ut conceptus ad puerperium perducatur infans? quantis laboribus educatur, et adolescit? at quam nullo negotio solvitur? Urbes constituit ætas, hora dissolvit. Momento fit cinis, diu silva. » (Sen., Quæst. III, c. 27.) Pulcherrime dicta, et capiunt me recitantem. Ergo ab Igne illud exitium, cujus indomita vis rebus est inclusa, tunc educenda. Philo Judæus (de Immortal. Mundi) : « Stoici censent, Deum quidem cau-

Digitized by Google

sam auctoremque generationis Mundi esse, at non interitus; sed eam quæ in rebus est insita Ignis potentiam, post longa temporum intervalla, omnia in se resolventem. » Deus, inquit, non est causa. Secundaria et instrumentalis : esto. Quis ergo? Ignis inclusi rebus omnibus potentia, quæ tempore se exserit et vires capit, et omnia populatur, edit, et in alimentum sui vertit. Considera : tot illa astra et cælorum orbes, ignes aut ignea; dii boni, quanto cetera elementa exsuperant? Quid in ipso mari, nonne calor et semina ignium? quid in terra, ipsis ejus penetralibus, et super eam? Idem in aere, in animantibus, stirpibus; ubique ignis : et ille, inquit Philo, paulatim augescens, omnia denique in se vertet. *In se*, optime. Ita Numenius : « Placet Stoicis omnem essentiam ac naturam in Ignem convertere, tanquam in semen. » Sed quem hunc Ignem? Æthereum et purum, observa. Mixtus est ille, qui vastabit; purus et a Materia paulatim reducendus ille, qui gignet denuo et formabit. Nam Materia secernetur, ut dicemus. Æthereum dixi : mecum Numenius. « Stoicis placet omnia evanescere et perire, post longissima spatia, omnibus in æthereum ignem resolutis. » Sed omnia prius pereunt, omnia? ipsi Dii minores, Genii, Animæ, et quidquid est extra unum supremum Deum, id est, Jovem. Ita Seneca, solum hunc superesse facit, « et acquiescere sibi, resoluto, inquit (Epist. IX), Mundo, et diis in unum confusis. » Sane in unum, in ipsum Jovem. Plutarchus Cleanthem inducit dicentem, (De Com. Notion.) « Lunam, et sidera et Solem perire, Jovem autem (desunt in Græco quædam, sed is sensus est) assimilare omnia sibi, et in ipsum se vertere. » Nam Jupiter scilicet est, purior ille Ignis. Cicero etiam, de interitu hoc Deorum (Acad. II) : « Stellas omnes, terram, mare, deos esse : fore tamen aliquando, ut omnis hic Mundus ardore deflagret. » Sed et alius Seneca :

Cæli regia concidens
Ortus atque obitus trahet :
Atque omnes pariter Deos
Perdet mors aliqua et Chaos. (Herc. Œt. 1112 et seq.)

Igitur omnia in Ignem abeunt, rursumque ex Igne surgunt. Laertius, de Deo : « qui est incorruptibilis, et ingenitus, conditor

Digitized by Google

hujus Mundi, absumens in se omnem essentiam, rursumque ex se generans. » Quomodo autem idem perdat, et generet, videamus. Omnia jam Ignis, ut dixi, sed turbidus, materiæ mixtus, et fæculentus : tamen ignis; ideoque tenuis, et diffunditur, et totum hoc Mundi, qui fuit, spatium occupat, immo et Vacui extra eum regionem implet. Ita Stoici tradunt, et hoc etiam fine Vacuum ponunt. Plutarchus clarissime (De Commun. Not.) : « Ignem semen aiunt Mundi; et post Exustionem, mutare Mundum e corpore minore, habentem jam tumoris et amplitudinis multum, et Vacui regionem immensam occupantem, quæ ipsa angusta facta sit illo augmento : rursumque quum gignitur Mundus, sensim abire et collabi magnitudinem, subeunte scilicet, quum generatio existit, et contrahente se in seipsam Materie. » Vacuo igitur jam pleno, sit paulatim (Ratione administrante) depuratio; et « vertitur omnis substantia in Aerem, deinde in Humorem (ex Laertio ante docui) : et tum Elementa et Mundus gignuntur. » Sed ita in Aquam omnia vertuntur, ut scire debeas excretum illum purissimum Ignem superesse, qui agat, moveat, et Materiam per se inertem animet. Philo notat, Stoicos hoc caute monuisse, « quod post Exustionem, quum novus Mundus condi debet, omnis ignis non exstinguitur : sed aliquanta ejus portio manet. » Causam subdit : « Valde enim verebantur, ne omni eo interstincto, maneret materies quieta, ignava, inepta condere, quum causa motus non esset. » Aqua igitur post Ignem, sed non sine reliquo igne. Hoc est, quod *κατακλυσμὸν* sive *Diluvium* Firmicus vocare videtur, in verbis quæ alio etiam fine supra dedi. Nam palam ait : « Ecpyrosin Cataclysmus sequitur; nulla enim re alia exustæ res poterant renasci, nec ulla re alia ad pristinam faciem formamque revocari, nisi admixtiones[1] atque concretus favillarum pulvis omnium genitalium seminum collectam conciperet fœcunditatem. » Non aliud equidem, vel e verbis, vel ex ratione addita colligo, quam conversionem illam in Aquam, Cataclysmum ab eo dici : atque ita dilui pulverem, et mixtione humoris ignisque fœcundari. Satis de modo : tertium superest, *Quo fine?*

[1] Legum, *admixtio esset.*

Digitized by Google

Etsi nec id obscurum e dictis, est enim idem ille purgandi et renovandi, qui in Diluvio fuit. Tolluntur mali, et mala aut vieta : boni et innoxii creantur, et pulchra iterum ac juvenescens facies Mundi. Plutarchus, de Stoicis (De commun. Not.) : « Quum mundum isti incenderint, mali nihil usquam relinquitur, sed universum est prudens, probum, sapiens. » Seneca (Quæst. III, cap. ult.) : « Omne animal ex integro generabitur dabiturque terris homo inscius scelerum, et melioribus auspiciis natus. Sed illis quoque innocentia non durabit, nisi dum novi sunt : cito nequitia subrepet. » Nova igitur omnia, an potius novata? Neque enim alia facies Mundi erit, quam hujus fuit : et eadem omnia, immo et homines iidem redeunt in orbem. Cicero (II De Nat. Deor.) : « Post inflammationem relinqui nihil præter ignem, a quo rursum, ac de eo, renovatio Mundi fieret, idemque ornatus oriretur. » Numenius apud Eusebium : « Iterumque post Ignem Mundum constitui et perfici, qualis antea erat. » De ipsis etiam hominibus, Seneca (Epist. XXXVI) : « Mors, quam pertimescimus ac recusamus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum, qui nos in lucem reponat dies, quem multi recusarent, nisi oblitos reduceret. » Vides παλιγγενεσίαν, sed alio quodam a Pythagoricis sensu. Atque has innovationes, iterationesque, æternas faciebant : « talibus conversionibus, ait Numenius, periodisque ab æterno evenientibus, indesinenter. » Atque hoc est, quod Tatianus, vetus piusque scriptor, in iis damnat (Advers. Gentes), non ipsam Inflammationem : « Corpus aliquis Deum statuit? ego incorporeum. Incorruptibilem Mundum? ego corruptibilem. Exustionem per vices temporum advenire? ego semel, et in universum. » Nam et Christianis proba hæc sententia, sed sic modificata.

Digitized by Google

DISSERTATIO XXIII.

Christianos etiam hujus sententiæ, sed diversæ, esse: item Epicureos, et Heraclitum ante omnes: neque omnes tamen Stoicos.

Christianis, inquam, qui inflammandum, renovandumque Mundum agnoscunt, vel Divo Petro præeunte. « Cæli, inquit (Ep. II, cap. 3), qui nunc sunt, et terra, igni reservati in diem judicii. » Iterumque: « Cæli magno impetu transibunt, elementa calore solventur; terra autem, et quæ in ipsa sunt opera, exurentur. » Quod autem de Cælis, *transire* modo dixit: mox tamen manifesto etiam igne solvit et purgat. « Cæli, inquit, ardentes solventur: » etsi de superioribus cælis, sunt inter Theologos qui controvertant. Sed jam olim, ut invidiosum, objicitur Christianis in Minutio Felice, quod « cælo et astris interitum denuntiarent. » Respondet Octavius, jampridem Philosophos hoc fecisse; et « Stoicis, inquit, constans opinio est, quod consumpto humore Mundus hic omnis ignescet. Et Epicureis de elementorum conflagratione, et Mundi ruina eadem ipsa sententia est. » Ubi tamen, quod ait « Constantem Stoicis opinionem, » temperandum, et ad plures referendum est; nam fuerunt etiam, inter sectæ principes qui abnegarent. Philo Judæus: « Boethus, et Posidonius, et Panætius, viri in Stoicis dogmatis primarii, tanquam a numine correpti, relictis Exustionibus, ad divinius dogma de immortalitate Mundi transfugerunt. Dicitur et [1] Diogenes, quum juvenis esset, subscripsisse istis. » Quatuor ipse nominat, qui dissenserint: licet quintum ex Numenio addi. « Hoc dogma, inquit, de Exustione primi et antiquissimi ejus sectæ tenuerunt, Zeno, Cleanthes, Chrysippus: et hujus tamen discipulum, ac scholæ successorem, Zenonem [2] aiunt dubitasse de Universorum hac conflagratione. » Quod autem in Philone de *Panætio* erat, etiam in Cicerone (II De Nat. Deor.): « Eventurum nostri (Stoici) putant id, de quo Panætium addubitare dicebant, ut ad extremum

[1] *Babylonius* cognomento.
[2] *Sidonium* cognomine.

Digitized by Google

omnis Mundus ignesceret. » Itemque Stobæo : « Panætius probabiliorem censet, certe sibi magis probatam, Æternitatem mundi quam ejus in ignem commutationem. » Idem in Laertio Græco, etsi aliter et contrario ab interprete versum. Erat autem in Minutio supra, etiam Epicureis hunc sensum esse; quod verum est : et putant Mundos singulos (infiniti iis sunt) ut animal quoddam esse, et variis rationibus interire. Sed discrimen etiam ponebant, plane cum Stoicis, etsi aliis verbis *Summam* interire, *Summam summarum*, manere æternam. Id est, διακόσμησιν, sive Mundum hunc labi, at non κοσμὸν, sive principia rerum, *Atomos* et *Inane*. Hoc discrimen sermonis in Lucretio aliquoties occurrit, nec satis interpretibus observatum. De interitu autem, Lucretius (lib. II) :

> Sic igitur magni quoque circum mœnia Mundi
> Expugnata dabunt labem, putresque ruinas.

Et ex professo libro quinto poeta id probat. Ante autem omnes istos, Heraclitus id docuit : « Unum esse Mundum, eumque ex igne factum et rursus in ignem vertendum post aliquot periodos; idque per vices, in omne ævum ita futurum. » (Laert. in Heracl.) Sunt germana Stoica, et ipsi auctorem illum sibi inscribant. Finivi, nisi placet annotare, quosdam Christianorum nimis etiam hic fuisse Stoicos et assiduam hanc exustionem renovationemque approbasse. Origenes inter eos, qui, ut ait Hieronymus (Epist. LX), « Mundos esse innumerabiles asserebat, non juxta Epicurum uno tempore plurimos, et sui similes; sed post alterius Mundi finem alterius esse principium. Et ante hunc nostrum, alium fuisse, aliumque : » quæ talia Basilius etiam alibi ei objectat (Homil. IV Hexaem.).

DISSERTATIO XXIV.

De Tempore adtextus; quid et quam breve, aut nihil, sit : tenendum utiliter, et asserendum.

Habes pleraque, mi Auditor, quæ communiter ad Mundum : nam ad minora aut partita non imus. Tria tamen etiam considerari in eo solent, *Motus, Locus, Tempus*. In duobus prioribus vix est, aut

Digitized by Google

leviter, ut Stoici ab aliis discedant : et siquid tale, ad Senecam nihil facere comperior, quem his Dissertationibus illustramus. De *Tempore* dicam, quod tamen originem habet ex Motu. Varro (IV de Ling. Lat.) : « Status et Motus duo. Quod stat aut agitatur, Corpus; ubi agitatur, Locus; dum agitatur, Tempus; quod est in agitatu, Actio. » Et singulorum dat exempla : « Cursor, Stadium, Hora, Cursio. » Itaque plerique omnes qui Tempus definiunt, a Motu explicant, et hunc includunt; ut Aristoteles : « Mensuram esse motus, et numerum secundum prius et posterius. » Ut Stoici nostri, quibus est διάστημα τῆς τοῦ κόσμου κινήσεως; quod Varro verbatim reddidit (V de Ling. Lat.), « Intervallum mundi motus. » Is autem motus ab Solis et Lunæ cursu maxime innotuit, divisimusque in partes : ideo (ait idem Varro) « ab eodem tenore temperato, Tempus dictum. Utramque hanc tamen finitionem, Aristotelis dico et Stoicorum, Plutarchus, carpit an cavillatur, in Quæstionibus Platonicis : quia hæc ab « accidente tantum est, inquit, essentiam et vim temporis non promit. » Itaque Platoni magis adhæret, qui aiebat, χρόνον εἶναι αἰῶνος εἰκόνα κινητὴν καὶ τὴν τοῦ οὐρανοῦ φοράν, ut in Laertio legas. Et Apuleius vertit (de Dogm. Plat.), « Tempus ævi esse imaginem; si quidem tempus movetur, et perennitas fixa et immota est natura. » Et est, ut Plutarchus vult, « Tempus, non cujuscumque motus affectus aut accidens; sed causa, vis principium omnia continentis symmetriæ et ordinis, qua Universi animata natura movetur : aut potius, motio illa, et ordo, et symmetria, Tempus dicitur. » Probat igitur Pythagoræ dictum interrogati, Τί χρόνος; ἡ κόσμου ψυχή respondentis : « Quid Tempus? mundi anima. » Ista et plura Plutarchus, in tempore tibi videnda : nostri a re et natura magis abstrahunt, et circa eam duntaxat ponunt. Itaque Chrysippus etiam definiebat (Stob. Phys.) : « mensuram celeritatis et tarditatis. » Quæ definitiones sensum nostrum de Tempore magis exprimunt, quam ipsum. Immo vero non nisi in nostra ratione et ratiocinatione quidam illud ponebant, quærebantque : An revera Tempus esset? Apud Senecam (Epist. LXXXVIII) : « De Tempore uno vide quam multa quærantur. Primum an per se sit aliquid? deinde, an aliquid ante Tempus sit, si Tempus cum mundo cœpit?

Digitized by Google

An et ante mundum, quia fuerit aliquid, fuerit et Tempus? » En primam quæsitionem, An per se sit Tempus? Quod Epicurus negabat, asserebatque « accidentium accidens esse, » ut scribit Empiricus : et ipse Epicurus : « Tempus non est quærendum sicut nec cetera quæ in Subjecto quærimus, referentes ea ad anticipationes, quasdam a nobis ipsis visas. » De quorum tamen vero sensu, idem Empiricus aliquid volenti dicet. At Stoici esse, et quidem « per se intelligi. » Tamen idem « incorporeum esse : sicut Inane, et Locum. » Empiricus, itemque Laertius : « Esse et Tempus incorporeum. » Et de Incorporeo, alii consentiant : in Essentia vel Existentia Temporis, aliquid etiam nostri mutant. Nam videntur nullum Tempus statuere (ait Plutarchus de Commun. Not.) quum Chrysippus, « Præteritum et futurum non existere, sed substitisse (οὐχ ὑπάρχειν, ἀλλ' ὑφεστηκέναι); solum existere τὸ ἐνεστὸς, instans sive præsens. Ac id ipsum mox facit et distribuit, partim præsens, partim præteritum : ita nihil quod exsistat, relinquit. » Talia Plutarchus : ipsa verba et veri sensus in Stobæanis exstant. « Sicut Inane infinitum est, ita et Tempus omne utrimque esse. Nam et præteritum et futurum fine carere : præsens autem nullum integrum tempus esse. Quum enim continua in infinitum secentur, tempus quoque sectionem eamdem recipere. Igitur nullum, secundum perfectionem, tempus præsens esse, sed late et crassiore modo ita dici. Sed et solum præsens tempus existere (ὑπάρχειν), præteritum et futurum subsistere quidem (ὑφεστάναι), sed non existere, nisi ut prædicatum aliquod existere dicitur, merum accidens : sicut Ambulare mihi adest, et existit, quum ambulo; jacente autem et sedente, non existit. » Primum ait, « Infinitum omne tempus utrimque esse. » Quod ita quidem cum aliis verti, et est in Græco, εἰς ἑκάτερα : fortasse tamen verius, *ad alterutrum* reddas : id est, ante aut post infinitum esse. Exempli causa, Præteritum, anteriore parte tale est; Futurum, posteriore : « utrumque tamen (ut recte Posidonius) Præsenti finitur. » Quod autem de ipso Præsenti est, « perfecte non existere : » haud vane; nam revera est in assiduo fluxu, et « constat ex præterito aliquo et futuro (ut idem Posidonius), sed cum discrimine Nunc, quod ta-

Digitized by Google

men instar puncti est : Illud autem quod Nunc dicimus, large, et laxe, non stricte et absolute intelligi. » Hæc vera sunt, et extra calumniam, probe accepta : neque diversa valde Aristoteles tradit (IV Phys., cap. 10 et 11). Noster etiam Seneca (de Brevit. Vit., cap. 10) : « Præsens tempus brevissimum est, adeo ut quibusdam nullum videatur. In cursu enim semper est, fluit et præcipitatur : ante desinit esse, quam venit. » Ovidius :

> Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,
> Non secus ac flumen ; neque enim consistere flumen,
> Nec levis hora potest.

Ita vere aliquis dixerit, non aliud esse tempus, quam *Nunc fluens*. Altera quæstio in Seneca, « An aliquid ante tempus ? » Ita, sed id appellatur *Ævum*. Tempus autem non nisi cum motu incipit, eoque digesto ac ordinato. Nam et ante Mundum erat motus in materia, sed indeterminatus et confusus. Ergo Tempus, cum cælo. Atque ex hac distinctione etiam tertiæ quæstionis solutio prompta est : in qua quæritur, « Quia aliquid fuit, an et Tempus fuerit ? » Negamus, ubi sola Principia sunt, Tempus esse. Materiæ hoc non convenit : Deo autem Æternitas convenit : « Quod enim (ait Damascenus) iis quæ Tempori subjecta sunt est Tempus, id æternis illis est Ævum. » Argute etiam Tertullianus (I Advers. Marc., cap. 8) : « Non habet Tempus Æternitas, omne enim Tempus ipsa est. » Sed, mi Auditor, quid argutamur ? quid quærimus, sit, necne sit ; et dum quærimus, patimur elabi ? O thesaurum, non ultra reperiendum ! Fluit assidue, et nobis effluit : quod unum avariter habere debeamus ; et nulla merce aut pretio permutare. Illic otio, illic alea, illic conviviolo perdimus : et quantum in valetudine, aut somno ? Deus bone, quum recogito : undecim lustra fui, quinque ex illis vixi ? et quod vixi ubi est ? « Infinita est velocitas temporis, quæ magis apparet respicientibus. » (Sen., Epist. XLIX.) Modo in Iscano puer lusisse videor, modo Bruxellæ primas scholas adiisse, modo Athi, Coloniæ, Romæ egisse : et a Batavis quam recens memoria est ? « Punctum est quod vivimus » (Sen., Epist. LXIX) : sed hoc punctum specie quadam longioris temporis divisimus, et Pueritiam, Adolescentiam, Juventutem, Senectutem fecimus ; heu, ubi ista, et quam in brevi

Digitized by Google

sunt? Abierunt prima, et tunc denique computamus, et damnum taxamus, quum abierunt. Ah, vel tarde, non enim sero, incipiamus æstimare et amare, « cujus unius honesta avaritia est. » (De Brevit. Vit. cap. 3). Et illius brevitas, et nostra fragilitas nobis occurrat : bene ponamus, hoc quidque datur, « nec tunc vivere incipiamus, quum desinendum est. » (Ibid. cap. 4.)

..... Currit mortalibus ævum,
Nec nasci bis posse datur. (Silius.)

Fac, et ad te abi.

Digitized by Google

Digitized by Google

JUSTI LIPSII

PHYSIOLOGIÆ

STOICORUM

LIBER TERTIUS.

DISSERTATIO PRIMA.

Vestibulum et ingressus. De occupationibus aliquid; et inter eas quoque philosophandum.

Aud. Mi doctor, salve. Lips. Tibi idem; quid tam mane? Sol lineam quartam vix tangit. Aud. At tua monitio heri excitavit, et huc misit. Meministin'? aiebas Tempore utendum : labi id et fluere; nec fas lapsum unquam revocare. Pareo igitur, et uti fruique meditor, et primam quamque horam Bonæ Menti consecrare. Quid scio an cras, an a meridie licebit? Quum temporis illa velocitas animo obversatur, quum incerta hæc et insidiosa mortalitas, cur non properem? quem futuri temporis prædem accipio? « Dum differtur vita, transcurrit. » (Sen. Epist. 1.) Lips. O vere, quid autem, dum eripitur vita, an non transcurrit? Hoc nobis fit, quos litteræ, sermones, aliæ curæ vel actiones assidue occupant : et vix seriis tempus est dare, nisi quod relinquitur in subsecivis. « Omnium occupatorum, ait Annæus (De Brevit. Vit. cap. 19), misera est conditio; eorum tamen miserrima, qui nec suis occupationibus laborant. » Credo eum de me scripsisse, aut in me certe competit :

Digitized by Google

qui cum Livio Druso possim exclamare, « Uni nec a puero ferias contigisse. » Mane surrexi? Ecce litteræ, responde. Feci, ad alia me verto; puer : Est nobilis vir aut adolescens e Gallia, Germania, Sarmatia : vult salutatum. Ille autem et illi, libellis suis Amicitiæ symbolum inscriptum. Vix suspiravi; en e Belgis meis aliquem, Heus! carmen aut libellum scripsi, lege. Quid etiam? cense, et emenda. Quid amplius? carmen aut elogium præscribe. Absolutum me censeo; alius : Mihi aut fratri, patri, amico epitaphium : domui aut arci, aræ, inscriptionem. Quid studiosos juvenes, et tui similes dicam, scis quam iis pateam, audire, respondere, dirigere et in via ponere, quam rectam censeo, studiorum. Hujus unius operæ minime inter omnes me pœnitet : et quid interest, voce an scriptione juvem : nisi quod hæc ad plures fortasse venit? sed illa si ad pauciores, efficacius et fructuosius fortasse venit. Hæc fere vita mea est, et ferre inducor :

> . . . . . levius fit patientia,
> Quidquid corrigere est nefas.

Fit etiam sapientia levius, quam pro meo modulo usurpo. Seneca exemplum mihi monitumque præbuit : « Quum, inquit (Ep. LXII), me amicis dedi, non tamen mihi abduco : nec cum illis moror, quibus me tempus aliquod congregavit, aut causa ex officio nata. » Quid ergo? ad me subinde redeo, et in animo salutare aliquid, atque usui meo verso. Leviter atque obiter quidem : sed verso. Quis vetat cupienti, et in theatro solitudinem, et in solitudine theatrum esse? Utrumque tibi struxeris, animo et cogitationibus huc aut illuc missis. Aiunt apodes quasdam aves, a re dictas, esse : quæ quum longum aut firmum insistere non possint (pedibus enim carent), tamen muro aut arbori affixæ, aut in aere suspensæ, quod satis sit quiescunt : imitari possumus, et agentes aliquid aut loquentes, animo interjungere; et serium quiddam meditari. Cogitationibus bonis, etsi brevibus, semper est locus. Facio igitur, qua possum : sed quanto liberius atque uberius, quum vespere (morem meum nosti) licet mihi prodeambulare, et mœnia illa, agros, prata calcare? Tunc mihi in pascuum meum immissus videor, tunc vetera et nova ruminor atque agito, tunc Græciam et Latium, philologa

Digitized by Google

et philosopha lustro. Tunc, ut apud te fatear, libellos istos, et siquid a me in publicum manat, fere concipio aut dispono : et styli operam, quum domum redii, addo. Quorsum ego ista? ut tibi quoque præeam, et vel inter turbas quietum esse suadeam ; inter occupationes feriatum. Sicut medicus inter ægros, sine sensu morbi sui, agitat : sic inter nugatores serii, inter vanos graves esse conemur. Impediant nos fortasse, non mutent. A te, inquam, non abeas : aut statim certe ad te redi ; ad te, id est, ad philosophiam, et animi illum interiorem cultum. Huic vacare (nihil excuses) etiam quum non vacas, licet. At ego nunc tibi, immo mihi : communis enim res dicenda, et mihi quoque discenda est, *Quid sit homo :* in qua notitia, illa etiam Dei et Virtutis fere est inclusa. Nam de ipso *Deo*, tum de *Mundo*, ut scis, diximus : Mundi igitur præstantissimum *homo* sequitur, quem lustremus, et in eo nos illustremus.

DISSERTATIO II.

Hominem parvum Mundum esse : et breviter ejus præstantia.

Jure autem statim a *Mundo*, quid enim aliud ipse *Homo*, quam *parvus* quidem *Mundus ?* Philo Judæus, ut commune verbum, retulit (Quis divin. action. heres) : « Parvum mundum Hominem esse ; magnum Hominem, Mundum. » Macrobius idem, totidem pæne verbis (II in Somn. cap. 12) : « Physici Mundum, magnum Hominem dixerunt ; et hominem, brevem Mundum. » Quid ita? quia ut ille rectorem in se Deum habet, sic homo divinum animum. Quid amplius ? omnia quæ Mundus, fere habet : quatuor in se elementa ; capitis quoddam cælum ; in eo flammantes oculos, ut stellas : ipsam formam rotundam, vel in matris utero ; vel jam liber, quum brachia et pedes expandit. Lineæ enim ab extremis illis ductæ, faciunt justum fere orbem. Quid, quod omnia quæ in Mundo sunt, ipse continet, et in capaci illa mente gestat ? ita est : solus homo scientiam omnium et amat, et pro captu habet. Quid ei clausum est ; cælos penetrat, et Deum ac divina mente adit. Manilius scite (lib. IV) :

..... quid mirum, noscere Mundum

Digitized by Google

Si possunt homines, quibus est et Mundus in ipsis :
Exemplumque Dei quisque est et in imagine parva ?

Itaque Trismegistus *prolem Mundi*, id est, Mundum alterum, Hominem facit. « Est Mundus quidem Dei filius, Mundi autem soboles Homo. » (Cap. 10.) Immo verum si dicimus, nos Dei filii, et velut proximi ab illo sumus. Seneca (De Benef. II, cap. 29) : « Ita est : carissimos nos habuerunt dii immortales, habentque : et qui maximus tribui honos potuit, ab ipsis proximos collocaverunt. Magna accepimus, majora non cepimus. » O aurea verba et sensa! Proximos ab ipsis? ita. Trismegistus (cap. 10) : « Qua propter audendum est dicere, Hominem terrenum esse Deum mortalem; Deum cælestem esse hominem immortalem. » Præfatur audaciam; et siquid supra verum, non longe a vero. Idem iteram attollit (Ibid.) : « Homo animal est divinum, aliisque animantibus non confertur, sed iis qui sursum in cælo Dii dicuntur. Immo vero, si verum libere dicendum est, etiam super illos est is, qui vere homo est : aut certe pari cum iis æstimatione. » Euge, attollere, sed cum modestia, et pietatem ac Deum si colis (is *vere Homo* est, in Mercurio), ad beatos Genios, aut supra eorum quosdam, ascende. Colis, inquam; nam, ut recte Cicero (I Tusc. 28), Deus fecit « hominem, quasi contemplatorem cæli ac Deorum, ipsorumque cultorem; atque hominis utilitati agros omnes et maria parentia. » Jure addit, omnia nobis parere, et servire. Quid clarius? terras habitamus, aramus, peragramus : ipsa maria, indomitum elementum, domamus : bestiis ferisque omnibus legem et imperium damus.

Quis dubitet post hæc hominem conjungere cælo ?
Eximiam natura dedit linguamque, capaxque
Ingenium; volucremque animum; quem denique in unum
Descendit Deus atque habitat, ipsumque requirit. (Manil. II.)

Multæ hominis dotes, et prærogativæ : tangit quasdam, sed extrema an non a divino instinctu sunt? Dicat suo ille sensu, nostro verissima sunt : Deus in nobis habitat, *Templum* ejus sumus : Deus hominem requirit, *Deliciæ* ejus sumus. Denique, ait Plato (In Minoe) : « Res omnium sanctissima, vir bonus. »

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

Nosce teipsum, hoc fine utiliter edictum.

Sed alibi etiam de hac præstantia, quum de Animo videmus : nunc, quod præmisi, homo eminet, et Deum in parte refert, quia solus cupiens scientiarum, et capax. « In tanta animantium varietate, ait Cicero (II Acad. in Fragm.), homini soli cupiditas ingenerata est cognitionis et scientiæ. » Ideo jure φῶτα, id est, *Lumen*, Græci dixerunt : quia odit ignorantiæ tenebras, nosse et notescere vult, scire et sciri. Atquin ante omnes scientias, una ei necessaria sui. Infera ac supera scrutare ;

..... nil tibi prodest
Aerias tentasse domos, animoque profundum
Percurrisse polum, hoc nisi noris.

Huc te verte, ad te, inquam. Seneca noster (Consol. ad Marc. cap. 11) : « Hoc jubet illa Pythicis oraculis adscripta vox, Nosce te. » Vox merito adscripta oraculis : et quæ a Deo est, aut certe non sine Deo. Ab ipso esse, indicat Seneca : et alii item volunt, « Chilonl roganti, quod optimum esset? responsum hoc ab Apolline, Γνῶθι ἑαυτόν : Nosce te ipse. » (Porphyr.) Alii tamen *Phemonoes*, alii *Phanotheos*; quidam *Thaletis*, *Biantis*, aut *Chilonis* etiam vocem affirmant. Cujuscumque, emisit Deus, aut immisit :

..... e Cælo descendit γνῶθι σαυτόν.

Et constat sane inscriptum fuisse in vestibulo atque aditu templi Delphici, ante ipsa περιῤῥαντήρια, ubi ingressuri se aspergebant aut lavabant : una cum dicto altero Μηδὲν ἄγαν, *ne quid nimis* (Ex Porphyr.) Conspirat enim utrumque, ait Plutarchus (Consol. ad Apollon.) : et in illo hoc continetur, ac modestia præcipitur, ut jam videbis. Ad sensum enim dicti venio, magni, ardui, et quod legant sive audiant multi, non intelligant ; nec qui intelligunt, præstent. Nam, ut Ion poeta,

Τὸ γνῶθι σαυτὸν, τοῦτ' ἔπος μὲν οὐ μέγα,
Ἔργον δ' ὅσον Ζεὺς μόνος ἐπίσταται θεῶν·

Hæc Nosce teipsum, quidem est brevis,
Sed tanta res, quam Jupiter solus sciat.

Digitized by Google

Ita est, fatemur : « Solus plene se novit Deus » : sed homini usque aliquo pertingere licet, et pro ingenii modulo se capere ac scire. Quis sensus igitur? a contrario Plato indagat, et assequitur. « Nam triplex est, inquit (In Philebo), sui ignorantia, in Opibus, in Corpore, in Animo » : triplex igitur, et omnia hæc externa? nec tua vides; abeunt, veniunt, ludicrum, aut potius ludibrium quoddam, Fortunæ.

Ὡς ὅτε τὶς ψάμαθον συνάγῃ παῖς ἄγχι θαλάσσης,
Ὅστ' ἐπεὶ οὖν ποίησε ἀθύρματα νηπιέτοισιν
Ἄψ αὖθις συνέχευε ποσὶ καὶ χεροὶν ἀθύρων· (Homer.)

Ut puer undisoni ludens ad littora ponti,
Colligit in cumulum, et varie deformat arenas,
Mox manibus pedibusque ea subruit, ac confundit :

sic illa Dea struit, destruit, donat, recipit omnes has opes. Opes tantum? honores etiam : et

Summum ad gradum quum claritatis veneris,
Consistes ægre, et citius quam ascendas, decides. (Laberius.)

Itaque hæc nosce : et quid sequitur? non attollere in iis sed σωφρόνει. Σωφρόνει, inquam, id est, modeste age et senti : quod quidam præcipue subjectum voluerunt huic dicto. Sed altera scientia partem tui spectat, Corpus. Ab eo, quid est homo? « quodlibet quassum vas, et quodlibet fragile : jactatu, non tempestate magna, ut dissiperis, opus est. » (Sen. ad Marc. cap. 11.) Quid est homo? « lucerna in vento posita. » (Epictet.) Quid est homo? qui ab ipso « lucernæ odore perire potuit, a quo plerumque abortus. » (Plin. VII, cap. 7.) Nosce, nosce et σωφρόνει. Huic « uni animalium ambitio, uni avaritia, uni immensa videndi cupido, uni superstitio. » (Ibid. cap. 1.) Iterum dicam, nosce et σωφρόνει. At jam tertia, et præcipua scientia, Animum tangit. Nosce te, sed a pulcherrima illa et divina tui parte? Parte? immo toto. « Nec enim tu is es, quem forma ista declarat; sed Mens cujusque is est quisque, non ea figura, quæ digito demonstrari potest. » (Cic. in Somn.) Philo Judæus : « Homo, non illud biforme animal, sed pars optimæ Animæ, quæ Mens et Ratio dicitur. » Est profecto ita; Duplex in nobis homo, ut Termaximus ait (cap. 9), « Unus Materialis, alter Essentialis » : atque iste vere Homo est, princeps alterius, ductor,

Digitized by Google

et rector. Mancipium est, inquam, pars altera : et homo quoque, siquis eam colit. Diogenes ille Canis scitissime olim, quum aliquando, « Heus ! homines, adeste ! » dixisset : et concursus factus esset, baculo abegit omnes, addens : « Homines enim advocavi, non purgamenta », non hæc mancipia. Pars illa est, quæ eminet, quæ sola ab animantibus brutisque distinguit. Nam « corpore valet? et leones ; formosus est? et pavones ; velox est? et equi : ut non dicam, in his omnibus vincitur. » (Sen.) Unum ergo Hominis et proprium bonum, Ratio : quæ noscenda, et colenda est. Neque enim, ut Homericus ille Laertius, hortum, agros, domum, omnia curabat, se neglecto : sic nos oportet corpori et externis mancipari, animi securos. Immo vero *Te nosce*. Et nimirum « hanc vim habet præceptum Apollinis, ait Cicero (I Tusc. 22), quo monet, ut se quisque noscat. Non enim id præcipit, ut membra nostra, aut staturam figuramve noscamus : neque nos corpora sumus : neque ego tibi dicens hoc corpori tuo dico ; quum igitur, Nosce te, dicit, hoc dicit, Nosce animum tuum ; nam corpus quidem quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum : ab animo tuo quidquid agitur, id agitur a te. » Attende, et fac. Sed quomodo, inquies, noscam animum? illum occultum, illum sensibus subductum? Ipso animo. Sicut oculum non nisi oculus videt, sed in speculo : sic sese animus, quodam reflexu. In se igitur intueatur : « et maxime, inquit Plato (I Alcibiade), in eum locum, in quo inest virtus Animi, Sapientia. » Is locus est, Mens sive Ratio : et quæri illic Sapientiam vult, atque inveniri : Sapientiam, id est, Virtutem. Nam animum qui adibit et consulet, videbit et discet « aliquid se habere divinum, ingeniumque in se suum, sicut simulacrum aliquod, dedicatum putabit : tantoque munere deorum semper dignum aliquid et faciet, et sentiet. » (Cic.) Itaque ab hac notitia, contemptus aliarum rerum, æstimatio unius Virtutis sequetur : ad quam factum se sciet, per quam beatum se fore judicabit. Denique ad Deum per hanc ibit : ut pulchre Agapenus (Ad Justinianum) : « Nam qui se novit, Deum noscet : Deum noscens, Deo assimilabitur : assimilabitur, qui Deo dignus erit; dignus erit, qui nihil Deo indignum admittit, sed cogitat quæ Dei sunt, et quæ cogitat loquitur, et quæ

Digitized by Google

loquitur, facit. » Pulchra gradatio, et ex vero deprompta. Nemo se, sine Deo, novit; et in se, Deum. Tum amor assimilandi, ad cujus imaginem facti sumus; id nisi per Virtutem non fit: hanc igitur amplectimur, et cum ea Deum et divina amamus, loquimur, operamur. Facite, o mortales, vos noscite. « Ecce ad Olympia proficiscimini, ut Phidiæ statuam videatis: et non magis curæ habebitis, ut vosipsos videatis, qui et quales sitis. » (Ex Epictet. Diss. lib I.)

DISSERTATIO IV.

De primo Hominis ortu variantes sententiæ. Stoicorum approbata, et explicata.

Eamus ergo ad Hominem, mi Auditor: vel quia ordo, vel quia utilitas tanta eo vocat. Et quidem totum videamus, ab ipso ortu. Unde enim primus Homo? primariæ hic duæ sententiæ, Non ortum esse, et Ortum. Primi æternum faciunt, cum ipso Mundo: alteri initium dant, sed alii aliud: atque ista omnia Censorini uberibus verbis commode proponam. Ait igitur (de Die natali): « Prima et generalis quæstio, inter antiquos Sapientiæ studiosos versata est, quod, quum constet homines singulos ex parentum seminibus procreatos, successione prolis multa sæcula propagare; alii semper Homines fuisse, nec unquam nisi ex hominibus natos, atque eorum generi caput exordiumque nullum exstitisse arbitrati sunt. » Hæc primorum ecce sententia: quæ magnos auctores habet, ut addit, Pythagoram, Ocellum Lucanum, Archytam Tarentinum, omnesque adeo Pythagoricos: sed et Platonem cum antiqua Academia: denique Aristotelem, Theophrastum, et Peripateticorum totam scholam. Idem de animalibus aliis: ideoque frustra quæri, « nec posse reperiri, Avesne ante, an Ova generata sint; quum et Ovum sine Ave, et Avis sine Ovo gigni non possit. Ita et omnium, quæ in sempiterno isto Mundo semper fuerunt, futuraque sunt, aiunt Principium fuisse nullum: sed orbem esse quemdam generantium nascentiumque in quo uniuscujusque generis initium simul et finis esse videatur. » Ista quidem Æternitatis defensores, non sine injuria illius Æterni: qui, si nihil fecit aut condidit, quæ dignitas, potestas,

Digitized by Google

bonitas, erit? Sed neque facile cogitare est, animantes omnes æternas; et ut fragile hoc ac mortale, nulli ortum aut initium sui inscribat. Alios igitur audiamus, et in iis Porticum nostram. « Nam qui homines aliquos primigenios, ait iterum Censorinus, divinitus, naturave, factos crederent, multi fuerunt : sed aliter atque aliter in hac existimatione versati. Nam ut omittam, quod fabulares poetarum historiæ ferunt, primos homines aut Promethei molli luto formatos, aut Deucalionis Pyrrhæque duris lapidibus esse natos : quidam ex ipsis Sapientiæ professoribus, nescio an magis monstruosas, certe non minus incredibiles rationum suarum proferunt opiniones. Anaximander Milesius, videri sibi ex Aqua Terraque calefactis, exortos esse sive pisces, sive piscibus similia animalia : in his homines concrevisse, fœtusque ad pubertatem intus retentos ; tunc demum ruptis illis, viros mulieresque, qui se jam alere possent, processisse. Empedocles autem primo membra singula ex terra quasi prægnante, passim edita, deinde coiisse et effecisse solidi hominis materiam, igni simul et humori permixtam. Hæc eadem opinio etiam in Parmenide vel in... *Ste* fuit, pauculis exceptis, ab Empedocle dissensis. Democrito vero Abderitæ ex Aqua limoque, primum visum est homines procreatos. Nec longe secus Epicurus; is enim credidit, limo calefacto uteros, nescio quos, radicibus terræ cohærentes primum increvisse, et infantibus ex se editis, ingenitum lactis humorem Naturam ministrantem præbuisse : quos ita educatos et adultos genus hominum propagasse. Zeno Cittieus, Stoicæ sectæ conditor, principium humano generi ex novo Mundo constitutum putavit, primosque homines ex solo adminiculo divini ignis, id est, Dei providentia, genitos. Denique etiam vulgo creditum est, quarumdam gentium principes terrigenas esse, ut in Attica, et Arcadia, Thessaliaque, eosque Autochthonas vocari. » Septem sententias hic habes valde aut leviter dissonas : e quibus prima Poetarum est, qui e luto aut lapidibus formant, idque humana opera. Fabellæ notæ. Altera est Anaximandri, qui ex Aqua et Limo format : hactenus haud pessime : sed quod in pisces primo, et e piscibus in homines, id monstrum aut delirium sapit. Et vero apud Plutarchum (de Plac. cap. 18) alia est Anaximandri sententia : « in Humido

Digitized by Google

nata prima animalia, corticibus quibusdam spineis circumdata: iisque ruptis, quum maturum esset, prodiisse. » Hoc colorem aliquem magis habeat; et cum sententia assideat, quæ ex arboribus homines educit mox dicenda. Tertia Empedoclis, qui e Terra; sed, ut Censorinus ait, membratim, nec statim totos. Varronis fragmentum huc facit: « Empedocles e terra homines natos facit, ut blitum. » (Nonius in Blitum). Addit Censorinus, « eam opinionem etiam in Parmenide, vel in Ste fuisse.» Corruptum liquet: an facimus, «vel in Zenone»? Certe Zeno Eleates censuit (Laertius auctor): « ortum hominem e Terra esse. » Posset etiam legi: « Parmenide et Veliate Zenone. » Quarta sententia Democriti, ex Aqua et Limo: quæ refert illam Anaximandri, sed a fronte. Lactantius super ea (lib. VII, cap. 7): « Democritus ait homines, vermiculorum modo, effusos de terra, nullo auctore, nullaque ratione. » Quinta Epicuri, qui ex Limo item, sive Terra. Lucretius (lib. II):

> Haud, ut opinor, enim mortalia sæcla superne
> Aurea de cælo demisit funis in arva.
> Sed genuit tellus eadem, quæ nunc alit ex se.

Sed quomodo? ex *Uteris* quibusdam terræ affixis, ait Censorinus. Quod ita etiam Lucretius (lib. V):

> Crescebant uteri terræ radicibus apti:
> Quos ubi tempore maturo patefecerat ætas
> Infantum, sugens humorem auraque petiscens,
> Convertebat ibi Natura foramina terræ,
> Et succum venis cogebat fundere apertis
> Consimilem lactis.

Putavit ille et Uteros et Ova ante animantes fuisse: ut esset scilicet e quo surgerent, et in quo crescerent: ad exemplum fœturæ hodiernæ. Nam et de Avibus canit:

> Ova relinquebant, exclusæ tempore verno,
> Folliculos ut nunc teretes æstate cicadæ.

Ad quam opinionem Lactantius respexit (II, cap. 12): « Aiunt certis conversionibus, et astrorum motibus, maturitatem quamdam exstitisse animantium serendorum; itaque terram novam, semen genitale retinentem, folliculos quosdam ex se, in uterorum simi-

Digitized by Google

litudinem,' protulisse. » Etsi primo verba Ciceronis mutuatur et aptat, sed in alteram et Stoicorum sententiam prolata, ut dicam. Nam sexta jam Zenonis nostri, in Censorino erat, qui « solo adminiculo ignis, id est, Dei providentia, gignit. » Pia et vera sententia. Deus solus auctor humani generis, conditorque. Cicero ut Stoicus (I de Leg.) : « Hoc animal providum, sagax, multiplex, quem vocamus Hominem, præclara quadam conditione generatum esse a summo Deo. » Et crebrum in Stoicis, Deum patrem et genitorem nostrum esse. Sed in modo tamen gignendi, aliquid abeunt a libris nostris Sacris. Nam illi volunt (apud Ciceronem, ibid.) : « Perpetuis cursibus, conversionibus cælestibus, extitisse quamdam maturitatem serendi generis humani : quod sparsum in terras atque satum, divino auctum sit animorum munere. » Cursus illi perpetui, referendi ad periodos exustionis et innovationis mundanæ : ac tum *maturitatem* (alii tamen *materiam* legunt) fuisse generis humani novi serendi. Id autem « in terras sparsum ac satum, » id est, in Materia prima comprehensum ; eaque jam crassiore et animationi parata, animum ab Igne advenisse, et Deo. Ovidius (I Metam.) :

> Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
> Deerat adhuc, et quod dominari in cætera posset :
> Natus homo est ; sive hunc divino semine fecit
> Ille opifex rerum, mundi melioris origo ;
> Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto
> Æthere, cognati retinebat semina cæli.

Prior sententia est Stoica, et supra abunde diximus (lib. II, Diss. VII). Ignem velut semen esse omnium, et in se continere singulorum rationes seminales, Providentia educente. Seneca (Ep. XC) : « Ad initia deinde rerum Sapiens redit, et æternam Rationem toti (id est, Mundo) inditam, et vim omnium seminum, singula proprie figurantem. » Cicero iterum ad hanc Stoicorum rationem adspiciens, et in Cottæ persona rejiciens (I de Nat. Deor.) : « Semina Deorum decidisse de cælo putamus in terras, et sic homines patrum (id est, Deorum) similes extitisse ? Vellem diceretis : Deorum cognationem agnoscerem non invitus. » Ultima sententia Vulgi, qui sponte e Terra extitisse homines censuit, ut in Arcadia, atque alibi. Ne-

Digitized by Google

que e Terra tantum, sed Arboribus, aut Rupibus, saxisque. Homerus adspexit, quum Penelope ad Ulyssem :

Ἀλλὰ καὶ ὥς μοι εἴπε τεὸν γένος ὅππόθεν ἐσσί·
Οὐ γὰρ ἀπὸ δρυὸς ἐσσὶ παλαιφάτου, οὐδ' ἀπὸ πέτρης·

At jam tu mi effare tuum genus, atque parentes.
Nam neque faticida quercu satus es, neque saxo.

Et uberrime Statius exequitur (lib. IV) :

Arcades huic veteres, astris lunaque priores,
Agmina fida datis; nemorum quos stirpe rigenti
Fama satos, quum prima pedum vestigia tellus
Admirata tulit; nondum arva, domusque, nec urbes,
Connubiique modus : Quercus Laurique ferebant
Cruda puerperia, ac populos umbrosa creavit
Fraxinus, et fœta viridis puer excidit orno.

Vides jam igitur originem nostri, pro aliorum, et nostro sensu. Aud. Video, aliquid tamen requiro. In ista origine Stoica, quis aluit infantem natum, quis educavit? Nec enim alius alium, quum omnes opis ejusdem indigi essent. Lips. Negamus eguisse : male hoc sumis. Rationem, sive Providentiam, nonne architectam dedimus? illa scivit perfectum hominem faciendum, aut frustra iri factum. Macrobius hoc vere (VII Saturn. cap. ult.) : « Natura (id est, Deus) primum singula animalia perfecta formavit : deinde perpetuam Legem dedit, ut continuaretur procreatione successio. Perfecta autem in exordio fieri potuisse, testimonio sunt nunc quoque non pauca animantia, quæ de terra et imbre perfecta nascuntur : ut in Ægypto mures, et aliis in locis ranæ, serpentesque. » Similia Plutarchus (II Quæst. Convival., cap. 11), a quo Latinus iste hausit. Frustra igitur Ovum, Uterum, et talia præstruunt : et fides jam dictis a divino Moyse etiam esto, qui Hominem et Animalia sic format.

Digitized by Google

DISSERTATIO V.

Homines primi an majores, et paulatim deinde minores? atque obiter an Gigantes?

Sed quæri cum causa etiam aliud potest. Primi illi homines, in primo et vegeto Mundo, an non ipsi magis vegeti, et membris corporibusque grandiores? Ratio suadere videtur; quia plena omnia tunc virium et spirituum, alimenta valida, et è corpore bene habito atque integro illi partus. Videmus in terra, quæ novatur et segeti primum proscinditur: videmus in tumida virginitate, robustiora quæ nascuntur. Nuper in novo orbe, quum Hispani arbores suas et fruges severunt, incredibile quantum adoleverint: et poma fructusque supra communem modum tulerunt. Addo, quod vetus et passiva valde hæc opinio; ac Græci, Barbari, ipsæ Sacræ litteræ magnos quosdam homines, sive Gigantes adstruxerunt. Hoc de animo tantum magnis, superbis, impiis interpretantur quidam, scimus: sed testimonia profecto aliorsum ire, a pudore abeat, qui neget. Non diffundor, neque extra Porticum meam spatior: aliquid tamen in Seneca etiam reperio, quod huc ducat. De primis illis hominibus, negat Sapientes natos (Epist. xc): « Non tamen negaverim, addit, fuisse alti spiritus viros, et, ut ita dicam, a diis recentes. Neque enim dubium est, quin meliora Mundus nondum effœtus ediderit. » *Meliora* dicit, non *majora*: et tamen de robore etiam subdit. « Quemadmodum autem omnibus indoles fortior fuit, et ad labores paratior, ita non erant ingenia omnibus consummata. » Philo Judæus apertius (De Opific. Mundi): « Talis mihi primus Homo videtur factus, et corpore et animo reliquos omnes, qui vel nunc sunt, vel ante fuerunt, excelluisse. » Addit rationes duas: « Illum enim Deus condidit, nos ex hominibus gignimur; quanto autem melior majorque auctor, tanto et opus oportuit. Deinde quidquid viget, senescente et effœto melius est, sive animal, sive planta, sive fructus, sive aliud eorum quæ in Natura sunt. Itaque par est, primum illum Hominem, robur et vigorem extitisse totius nostri generis: at secutos deinde haud ita viguisse per ætates

Digitized by Google

et successiones, deteriores semper forma et viribus factos. » Varro hoc ipsum : « Nisi si, ut Homerus opinatus est, vastiora prolixioraque fuerint corpora hominum antiquorum : et nunc quasi jam mundo senescente, rerum atque hominum decrementa sunt » (in A. Gell. Noctib. III, cap. 10). Ubi quod de Homero est, liquet sæpius ab illo usurpatum :

..... οἷοι νῦν βροτοί εἰσι·
Qualia nunc hominum producit corpora tellus,

ut Virgilius vertit. Sed, missis poetis, Plinius etiam censuit, « In plenum cuncto mortalium generi minorem in dies mensuram fieri, rarosque parentibus proceriores, consumente ubertatem seminum Exustione, in cujus vices nunc vergat ævum. » Ad senium velut Mundi refert : quod Tremelius pariter ad Terram sterilescentem aptat, etsi Columella dissentiente. « Tremelius, inquit (cap. 1, lib. II), falso credidit, parentem omnium Terram, sicut muliebrem sexum, anili jam ætate confectam, progenerandis esse fœtibus inhabilem. » Epicurei in eodem sensu. Lucretius (lib. II):

Jamque adeo affecta est ætas, effœtaque tellus
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Sæcla, deditque ferarum ingentia corpora partis.

Quando dedit? olim :

..... quum plura coorta,
Et majora, nova tellure, atque æthere adulto. (Lib. V.)

Enimvero et in Hebræorum libris est, quod firmet. Esdras (lib. IV, cap. 5) : « Interroga eam quæ parit, et dicet tibi. Dices enim ei, Quare quos peperisti nunc, non sunt similes his qui ante te, sed minores statura? Et dicet tibi ipsa : Alii sunt qui in juventute virtutis nati sunt, et alii qui sub tempore senectutis, deficiente matrice, sunt nati. Considera ergo et tu, quoniam minori statura estis præ his qui ante vos : et qui post vos, minori quam vos : quod senescentes creaturæ, et fortitudinem juventutis prætereuntes. » Quæ tamen dictio et argumentatio si vera, et ab ævo in ævum Homines minores : quid causæ, quin jam Pygmæi, et minus, simus? Atqui constat nos a bis terque mille annis parum aut nil mu-

Digitized by Google

tasse, et populari aliqua præsumptione illa, non veritate scripta. Ratio autem dicat, quosdam initio exuberasse : sed ad modum deinde certum venisse, a Natura præscriptum, in eoque stetisse. Sane quod ad Gigantes, fuisse aliquando, et apud varios, omnium fere gentium historiæ aut traditio testantur : et reliquiæ ac monumenta heri et nuper, in novo etiam orbe, certissime visa. Neque id ratio dicta abnutat.

DISSERTATIO VI.

E Semine Homines propagari : et illud definitum. Viri genitabile habent, non item fœminæ : et de vi Spiritus.

Sed primi igitur homines a Deo et Providentia conditi : secuti, generatione propagati. Generatio autem, per Semen. Quid igitur Semen? communiter ita Stoici definiunt : «Quod potens sit generare talia, a quali et ipsum secretum sit.» (Laert. in Zenone.) Id est, quod gignit similia illis, a quibus ipsum genitum et avulsum. Non est igitur ipsum simile, nisi potentia : et ideo Varro argute derivat, Semen, quod non plane id quod inde : quasi dicat a *Semi* dictum, quod aliquomodo tale, non prorsus. Etsi vera, puto, derivatio erat a *Sero*, quasi *Serimen*. Hæc de omni Semine : at de Humano peculiariter, ista in Zenoniis scitis : « Hominis Semen, quod ipse emittit, cum Humido misceri Animæ partibus, secundum mixtionem rationis progenitorum. Esse id Chrysippus ait Spiritum, quod ad essentiam; idque apparere ex seminibus in terram jactis, quæ vetera non gignunt : scilicet exspirata jam illa vi et facultate. A totis corporibus id defluere Sphærus dicit : ideoque et omnes corporis partes gignere. Mulieris autem semen infœcundum esse, ut pote Spiritu non intensum, et modicum item, et aquosum.» (Laert., ib.) Hæc Stoici breviter : illustremus. Ait, « cum Humido mixtum Animæ partibus esse.» Omnibusne Animæ partibus? non opinor, ex nostrorum sensu : non certe Rationali, quæ postea, et aliunde, accedit. Mox videbimus. Sed Stoici partes animæ octo faciunt : reliquas licet Semini inseras, hac excepta. « Secun-

Digitized by Google

dum mixtionem rationis progenitorum. » Obscuriuscula mihi ista, nec scio an sincera, aut plena. Numenius quidem in Eusebio, uberius profert, ut Zenonis verba : « Semen ait Zeno esse, quod vir emittit cum Humido, Animæ partem et avulsionem, seminis progenitorum temperiem et mixturam occultam Animæ partium. » Quæ clara sunt, aut erunt e dicendis : et pergo. Ait, « Esse Spiritum. » Non solum quidem : Humor adest : sed vim et efficaciam gignendi in Spiritu ponit, eumque velut Seminis essentiam ac naturam. Argumentum a seminibus in terram jactis : an humanis (quia de Homine loquitur), et masturbatores fœda re et nomine intelligit? an de frugum seminibus simplicius capi, quæ veterascentia pleraque scimus non gignere, Spiritu exhausto aut vanescente. Spiritui igitur tribuunt etiam in Homine a simili. Seneca (II Quæst., cap. 6) : « Consideremus quam ingentem vim per occultum agant parvula admodum semina : et quorum exilitas in commissura lapidum vix locum inveniat, in tantum convalescunt ut ingentia saxa distrahant, et monumenta dissolvant. Hoc quid est aliud, quam intensio spiritus, sine qua nil validum, et contra quam nil validius est? » Hoc adspectu, credo, dicebant (quod Plutarchus miratur, et damnat, De Com. Not.) : « Semen amplius et grandius esse, quam quod ex eo gignitur » : non modulo aut quantitate, sed efficacia. Quanquam et modulo in quibusdam, ut in Igne, post conflagrationem, qui est Semen mundi. Ab hac causa (Spiritu, dico) et φύσις dicta videtur Stoicis ὡς ἐν φύσεσιν οὖσα : « Natura, quod sit in spiritibus et inflationibus, et diffusio proportionum ac numerorum. » Est igitur semen *Spiritus* : isteipse, « corpus Zenoni (ait Plutarchus) : Animæ enim particulam avulsam esse. » Animæ, non totius : sed ejus partium, ut ante. Epicurus non dissimiliter dixerat : « Semen corporis et animæ detractam partem. » Pergit Laertius : « A totis corporibus defluere. » Et causa additur : nam et tota corpora format, sed et vitia, aut dotes partium, sæpe effingit. Trismegistus : « Quum generatio semen seponit, evenit ut ex omnibus corporis partibus essentia quædam influat et inspiret, divina operatione, ut in hominis fit ortu. » Inspirationem sive Spiritum etiam ibi notes; et sapienter additum, de *operatione divina*, quæ profecto ortui et

Digitized by Google

productioni omni inserenda est. Illa in occulto administrat pleraque, et disponit. De Semine autem *a toto corpore*, etiam Polybus in libello περὶ γονῆς, et Hippocrates pluribus locis, consentiunt: itemque Democritus: « A totis, inquit (in Stob. Phys.), corporibus, et præcipuis partibus, genitura. » Itaque idem « Venerem (apud Plinium, lib. XXVIII, cap. 6) damnavit, ut in qua homo alius exiliret ex homine. » Hinc debilitas et languor ab illo cœtu, etiam animi remissio, spiritibus scilicet exhaustis. Etsi Tertullianus, qui traduci Animam vult, in argumentum hoc sibi vertit. « In illo ipso, inquit (de Anima, cap. 27), ultimæ voluptatis æstu, quo genitale virus expellitur, nonne aliquid de anima quoque sentimus exire, atque adeo marcescimus et devigescimus, cum lucis detrimento? » Vertit inquam: de Rationali tamen parte, haud juste. Porro Laertius: « Mulieris semen infœcundum. » Quidni? Spiritu enim caret, et ἄτονον est, ut addit. Censorinus hoc ipsum Stoicis quoque adscribit: « Illud etiam ambiguam inter auctores facit opinionem, utrumne ex Patris tantummodo semine partus nasceretur, ut Diogenes, et Hippon, Stoicique scripserunt: an et id ex Matris, quod Anaxagoræ, et Alcmæoni, nec non Parmenidi, Empedocliqué, et Epicuro visum est. » Licebit Pythagoram et Hippocratem his ultimis accensere. At Stoicis Plutarchus Aristotelem adjungit: « Aristoteles et Zeno aiunt, mulierem materiam aliquam humidam ejicere, tamquam a colluctatione illa sudorem, sed non seminalem aut prolificam. » Tamen aliter iterum de Aristotele Lactantius (de Opif., cap. 12): « Varro et Aristoteles aiunt, non tantum maribus inesse semen, verum et fœminis: et inde plerumque matribus similes procreari. Sed earum semen Sanguinem esse purgatum. » Non miror distrahi: nam ipse Aristoteles videtur in scriptis vacillare. Tamen veritas est, quod ipsum Semen non habent, nec donat Aristoteles: sed ejus vice menstruum puriorem Sanguinem (quod etiam in Lactantio) fotum virili semini et alimentum. Addit Laertius: « Modicum et Aquosum. » Ita, de illo quasi sudore, ut Zeno dicebat, sive lentore, quem in lucta emittunt: non ita de sanguine mensurno. Satis de Semine, e quo fœtus fit, et tempore figuratur: qua serie, aut ordine? « Empedocles, ait Censorinus, quem in hoc

Digitized by Google

Aristoteles secutus est, ante omnia Cor judicavit increscere, quod hominis vitam maxime contineat : Hippon vero caput, in quo est animi Principale : Stoici una totum infantem figurari dixerunt, ut una nascitur aliturque. » De Aristotele, verum est : et *Cor primo* format, etsi et *Jecur* una jungat. De capite autem, Lactantius mavult, et cum Hippone sentit (III De Par. Anim., cap. 4). Stoicos nostros quis adjuvat? nescio, et vereor ut inspectio et experimenta damnent.

DISSERTATIO VII.

Semen tamen corpus modo Stoicis producere, et Animæ receptaculum parare; ipsam extrinsecus insinuari; idque post Partionem.

Semen itaque causa Hominis : an totius? an et Animam ex illo ducimus, haurimusque? Vetus quæstio, et ad nostrum pæne ævum agitata. Quid autem hic Stoici? aliunde, non ab eo petunt. Id verius certiusque, etiam pro Senecæ mente, quam quod Tertullianus, pertinax traductionis et propaginis defensor, ipsum Senecam eo trahit. « Concludimus, inquit (De Anima, cap. 20), omnia naturalia Animæ, ut substantiva ejus, ipsi inesse, et cum ipsa procedere atque proficere, ex quo ipsa censetur. Sicut et Seneca sæpe noster (IV De Benef. cap. 2) : Insita sunt nobis omnium artium et ætatum semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia, ex seminibus scilicet insitis, et occultis per infantiam, quæ sunt et intellectus. » Sed, o magne vir, vere trahis. Seneca non dicit, ab inito insita, a concepto ingenita : sed insita a prima nativitate intelligit, cum Anima ipsa. Itaque caute et restricte etiam alibi loquitur (III Quæst. cap. 29); attende : « In Semine omnis futuri hominis ratio comprehensa est. Et legem barbæ, et canorum, nondum natus infans habet : totius enim corporis et sequentis ætatis, in parvo occultoque lineamenta sunt. » Hic sane de ipso Semine : sed quid continet et includit? « legem barbæ, et canorum, et totius corporis lineamenta. » De Ratione et Animo, nullum verbum. Enim vero tuipse, Stoicos alio divertisse, ostendis palam. « Sunt, inquis (c. 25, De Anima), qui præsumant, non in utero

Digitized by Google

concipi Animam, nec cum carnis figulatione compingi atque produci, sed et effuso jam partu nondum vivo infanti, extrinsecus imprimi. Cæterum semen ex concubitu, muliebribus locis sequestratum, compinguescere in solam substantiam carnis : eam editam et de uteri fornace fumantem, et calore solutam, ut ferrum ignitum, et ibidem frigidæ immersum, ita aeris rigore percussam et vim animalem rapere, et vocalem sonum reddere. Hoc stoici cum Ænesidemo, et ipse interdum Plato. » Potest clarius edici de Stoico sensu? In Utero *nil nisi carnem* compingi, Animam *extrinsecus imprimi*, idque *effuso jam partu :* et cætera, minime dubia aut implexa. Quid Lactantius, satis diligens talium? Lib. III, c. 18 : « Pythagorici et Stoici, quum timerent argumentum illud, quo colligitur necesse esse ut occidant Animæ cum corporibus, quia cum corporibus nascuntur, dixerunt non nasci Animas, sed insinuari potius in corpora. » Utitur Insinuandi voce apposita, qua aliquoties Lucretius, in Stoicis refutandis ; nam illos maxime intelligit, quum studiose hanc sententiam repellit. Inter alia (lib. III multis versibus) :

> Præterea si immortalis natura Animai
> Constat, et in corpus nascentibus insinuatur :
> Cur super anteactam ætatem meminisse nequimus?

Iterum :

> Quod si forte putas extrinsecus insinuatam
> Permanare animam nobis per membra solere.

Tertio :

> Nec tamen est, ut jam perfectis insinuetur
> Corporibus.

Ex quibus liquet, dixisse acres Epicureorum hostes Stoicos, Animam aliunde advenire in corpus, nec cum eo igitur perire. Plutarch. item clarissime (De Pugnis Stoic.) : « Chrysippus censet fœtum in utero ali, ut plantam. Quum autem in lucem editus est, frigefactum ex aere et induratum, mutare Spiritum, et fieri Animal. » Immo longius ibant, et partem Uteri faciebant fœtum. Idem Plutarchus (V De Plac. cap. 15) : « Plato ait Fœtum in utero, Animal esse ; nam et moveri ibi, et ali. Stoici, partem esse ipsius uteri, non

Digitized by Google

animal ; et sicut fructus arborum partes dicimus , videmusque maturos decidere : sic et fœtum. » Liquet igitur de sententia , non item de veritate. Nam Tertullianus fortiter hæc refutat , atque idem Plutarchus. Quid tamen ? de adventu ipso et insinuatione haud falso : et gaudeo gratulorque hic quoque Christianis accedere : de tempore , scio controverti. Jam olim quidem ; nam Hippocrates (in Stobæanis eclogis) statim a formato semine , Animam admittit : Porphyrius (quod mirere in Platonico) prorsus ut nostri , « in prima statim editione nati infantis. Alia etiam est opinio , quæ plures statuit facultates aut Naturas animæ , opportuno dein tempore , aliam alias advenire , prout corpus idoneum aptumque factum. Primum igitur Naturam[1] accipere , deinde Sentientem vim , tum Appetitum , tum Rationalem animam , denique Intellectualem. » In postrema sententia sunt qui Aristotelem velint accensere , nescio an volentem. Sed inter ipsos Theologos olim dissidium , innata Anima , an ingressa. Innatam Tertullianus , ut dixi , ubertim approbat (De Anima et Resurr.) , « et in ipso , et ex ipso seri homine , et vivum esse a primordio Semen. » Multi cum illo Latini : exerte etiam inter Græcos Gregorius Nyssæ antistes. « Posteriorem esse , inquit , originem animarum , ipsasque recentiores esse corporum constitutione , nemo sana mente præditus in animum induxerit ; quum manifestum sit , quod nihil ex inanimis vim in se habeat movendi , itemque crescendi. At eorum qui in utero aluntur neque augmentum et incrementum , neque de loco ad locum motus controversus est. Relinquitur ergo ut censeamus , unum et idem Animæ et Corporis constitutionis principium esse. Ac quemadmodum terra si surculum a radice avulsum acceperit , arborem inde efficit , non ipsa vim augendi injiciens , sed incrementi dumtaxat materiam atque subsidium impartiens : ita dicimus etiam id quod ex homine avellitur (Semen) ad hominis sationem , ipsum quoque aliquomodo animal esse , ex animato animatum. » Plura addit , et omnes Animæ facultates in Semine esse , occultas tamen , et in tempore atque ordine educendas. Sententia erat quam tueri posses , nisi Ecclesia

[1] Id est *vegetationem , et vitam.*

Digitized by Google

et puriores Theologi jam aliter credi consensissent : pareamus. Aud. Non lubet in ista velut adyta penetrare : tamen unum valide possit objici. Si traducitur Anima et propagatur : cur mea parentum melior, subtilior, felicior? referre enim eas debebat, ut surculus arborem, ut fructus semen. Lips. Hippocrates jam olim respondit (lib. I, de Diæta), « Animam non mutari, sed corporum temperamentum » : et pro eo igitur, atque ut organa sunt, Animam magis minusve se exserere, et splendere. Tertullianus autem hoc amplius, Deum, aut ministros ejus adhibet; et « omnem, inquit (cap. 27), hominis in utero serendi, struendi, fingendi, paraturam aliqua utique potestas, divinæ voluntatis ministra, modulatur, quamcumque illam rationem agitare sortita. » Bene, bene. Deus adest, disponit, addit, demit, utcumque illi visum. At contra Stoicos simile objiciatur, Quomodo liberi mores sæpe et indolem parentum referant, si in semine hæc non fuerunt? Chrysippus respondit, ista quoque a temperie simili corporum provenire, quibus Anima affici aut infici possit.

DISSERTATIO VIII.

E Cœlo et Æthere Animum advenire, a Stellis, ab ipso Deo : et pluscula sublimiter, ac nimis, a Stoicis dicta.

Itaque advenire Animam Stoici voluerunt : et quidem sub ipsum partum. Unde autem? Hæc et plura super Animo exsequi, animus est : sed qua serie aut dispositu melius, quam illo quem Seneca (ei hanc operam damus) præivit? Nam scribit alibi (Ep. LXXXVIII) : « Innumerabiles deinde quæstiones sunt de Animo. Unde sit? Qualis sit? Quando esse incipiat? Quamdiu sit? An aliunde alio transeat et domicilium mutet? Utrum corpus sit, an non sit? Quid facturus sit, et illic nosse se incipiat, postquam de corpore abductus in sublime secessit? » Ecce tibi octo quæstiones capitales : et sub manu aliæ emergent fortasse, sed ad hæc velut signa revocandæ et disponendæ. Ingens opus : sed stringam, disputationum fere exsors, et sententiam Stoicam posuisse atque aperuisse con-

Digitized by Google

tentus. Deus autem, et tuus favor, ille juvabit, hic adspirabit. Certe a Deo initium : *Unde* enim *Animus ?* a cælo, ex æterno illo igne e siderum natura, et sine circuitu, a Deo ipso. O dignitatem nostram ! sed vereor, immo scio, nimis auctam : tamen ipsos audiamus. Seneca (Ad Helv. cap. 6) : « Animus, si primam ejus originem inspexeris, non est terreno gravique concretus corpore, ex illo cælesti Spiritu descendit. » Iterum (ibid.) : « Animus humanus ex iisdem, quibus divina constant, seminibus. » Divina, id est, sidera et stellæ. Seneca (De Vit. Beat. cap. 32) : « Hominem divini Spiritus esse partem, ac veluti scintillas quasdam sacrorum in terras desiluisse, atque alieno loco hæsisse. » Ait scintilla *sacrorum :* quin verius, *astrorum ?* atque ita lege. Cicero (In somn. Scip.) : « Hominibus Animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quæ sidera et stellas vocatis. » Plinius (II, cap. 26) : « Quo nemo magis probaverit cognationem cum homine siderum, Animasque nostras partem esse cæli. » Firmicus (lib. I) : « Quare quum simus cum stellis quadam cognatione conjuncti, non debemus eas, sacrilegis disputationibus, propriis privare potestatibus. » Cognati ? ita, ex iisdem seminibus, et essentia : atque adeo pars Deorum. Epictetus (I Dissert. cap. 14) : « Animæ ita illigatæ et conjunctæ Deo sunt, ut particulæ sint ejus, et decerpta. » Cicero (I De Divinat.) : « A natura Deorum haustos animos, et delibatos habemus. » Alibi (V Tusc. lib. II) : « Humanus Animus decerptus ex Mente divina. » Manilius :

> Quis cælum posset, nisi cæli munera nosset,
> Et reperire Deum, nisi qui pars ipse Deorum est ?

Inde magnificæ illæ voces Senecæ (Epist. XCII) : « Quid est autem, cur non existimes in eo divini aliquid existere, qui Dei pars est ? » Et magis (Epist. LXXIV) : « Miraris hominem ad Deos ire ? Deus ad homines venit, immo, quod propius est, in homines venit. » Iterumque (Epist. XL) : « Prope est a te Deus, tecum est, intus est. » Unde hæc talia ? quia persuasum iis, a Deo, id est, Mundi anima, animam hanc esse. Laertius (In Zen.) : « Animæ Universi partes esse animantium Animas. » Omniumne animantium ? omnium : sed aliæ aliis magis participant, ut sunt corpora et instrumenta.

Digitized by Google

Est Socraticum : « Mundi animam, fontem animarum omnium esse. » (Apul. De Dogm. Plat.) Sed illam, quæ Ratione uteretur, cognatam et participem, immo jam partem divinitatis esse. Plutarchus (Quæst. Platonic.) : « Anima mentis et ratiocinationis consors, non opus solum Dei, sed et pars est ; neque ab ipso, sed ex ipso est facta. » Enimvero etiam aliæ (hac ratione) partes Dei, id est, Mundanæ animæ : sed ista scilicet eximie, et quæ proxime vim naturamque ejus referret. Aud. Abhorreo audire hæc talia. Ante didici Deum conditorem hominum esse, Animas advenire et insinuari, idque ejus opera : nunc cognatas, partes, et Deum ipsum esse ? iterum abhorreo. Lips. Gaudeo, et magnitudinem Dei qui libat tantum, et nostrum istud imbecillum et tenue ; ridebit profecto et exsibilabit eas voces. Tamen corpus hoc totum Mundi communicare ita antiquis placuit, et nos velut membra ejus facere ac partes. Seneca (Epist. xcii) : « Totum hoc quo continemur, et unum est, et Deus est, et socii ejus sumus, et membra. » Nec Stoici hæc tantum, aut Platonici : ecce Trismegistus (cap. 10) : « Ab una Universi Anima omnes Animæ existunt et promanant. » Ab ipsa, inquam, Dei essentia : et clare idem (cap. 12) : « Animus, sive Mens, non est quidem abscissus ab essentia Dei, sed quasi diffusus et extensus sicuti Solis splendor. » Vult, sicut lumen a Sole diffunditur, sive Solis imminutione aut noxa ; sic Animas ab illa magna, absque ejus intertrimento. Diffundi autem, ut vasculum cujusque capax et admissionale est. Ita Philo Judæus (Quod deter. potiori insid.) : « Mentem humanam esse divinæ et beatæ Animæ particulam, sed indivisibilem. » Et addit : « Non enim revera quidquid divinum est, scinditur, sed dumtaxat protenditur ac dilatatur. » Hæc ita sententia veterum, et verba fortasse supra sententiam elata ac superba : quid tamen est ? Adeo divina res Anima et præstabilis, ut etiam in Christiana luce ac veritate fuerint, qui sic eam honestarint, an dehonestarint ? Manichæi, Priscillianistæ, Marcionitæ, atque id genus erronum, « de propria Dei substantia Animam formabant. » Quidam Tertullianum eo trahunt, quia scripserit, in illud Lucæ (IV Advers. Marc. cap. 37) : *Reddite quæ sunt Dei Deo.* « Hominem igitur reddi jubet crea-

Digitized by Google

tori, in cujus imagine, et similitudine, et nomine, et materia expressus est. » Ecce, *Nomine:* ergo Deus est? Ecce *Materia:* ergo e Deo? Sed nempe sermones hi tales, ad normam aliorum reducendi atque examinandi sunt: et altius aliquid, pro re nata, interdum dicunt, non capiendum ut dicunt. Ipse abdicat: « Intelige, inquit (Advers. Marc. II, cap. 9), adflatum (ad verba Geneseos adspicit) minorem Spiritu esse, etsi de Spiritu accidit: ut aurulam ejus, non tamen Spiritum; nam et aura vento rarior est; etsi de vento aura, non tamen ventus aura. Capit etiam imaginem Spiritus dicere flatum.» Omnino ita est. Deus aliquid Spiritu inflavit in hominem, non ipsum; similem sibi, non se fecit. Atque ita Ambrosii etiam illa mitiganda: « Animæ rationabilis substantia, divinus Spiritus est. » Minime; sed aliquid vicinum, et multum ab eo trahens. Lactantii verbis utar (lib. de Noe et arca, c. 25), « Animam nescio quid esse Deo simile. » Quem ipsum tamen calumniose, vir multa insignis, aspergit hac suspicione ὁμοουσίας, *uni essentiæ:* quia scripserit: « Ficto corpore spiravit ei animam de vitali fonte Spiritus sui, qui est perennis. » Sunt verborum captendulæ: jam docui: abite. Multa hic occulta aut dubia, fateor: et cum Augustino olim (Epist. ad Optat. Milevit. et adde de Civ. XIV, cap. ult.), « Sine periculo origo Animæ latet: hactenus tamen, ut non eam particulam Dei esse credamus, sed creaturam. » Et jam vides, stoicis *Unde sit Anima:* e cælo, a Deo, ipsam Deum. Elata et vana sunt: illa modestiora, *cognationem nobis cum Deo esse*, et magis, *Dei filios esse.* Aliquid, inquam, divini in nobis: et facti ejus instar ab illo patre, atque etiam adoptati sumus. « Ego dixi (in Sacris) Dii estis et filii Excelsi omnes.» Quid Seneca? « Inter Deum ac bonum virum necessitudo est, et similitudo.» (De Provid. cap. 1.) Itemque: « vir bonus vera ejus progenies.» O utilis cogitatio! « Si quis huic doctrinæ affici et inhærere pro dignitate possit, quod facti a Deo omnes primario simus, et ille sit pater hominum simul ac Geniorum: opinor profecto, quod nihil humile aut abjectum de seipso homo cogitare aut disponere posset. » (Epictet. I Dissert. cap. 3.) Ecce enim si Cæsar aut Rex te adoptasset, quis supercilium tuum ferret? quum autem Dei

Digitized by Google

sis filius, non quæ Deo digna sunt cogitabis? Hoc faciamus, et ad optimum hunc finem non optime semper dicta vertamus.

DISSERTATIO IX.

Ipsum itaque Animum æthereum Ignem esse, simul etiam Spiritum.

Et primam Quæstionem jam expunximus, « Unde esset » : altera excipit, « Qualis sit? » Difficilis. Nam « habere nos Animum, cujus imperio et impellimur, et revocamur, omnes fatebimur : Quid tamen si Animus ille, rector dominusque nostri, non magis tibi quisquam expediet, quam Ubi sit. » Annæum nostrum audis (Nat. Quæst. VII, cap. 24), ignorantiam profitentem? adde Tullium (I Tusc.) : « Anima sit Animus, ignisne, nescio : nec me pudet, ut istos, fateri nescire, quod nesciam. » Tale Heraclitus, in Laertio : « De Anima, omittendum, quia nemo reperiet, etiamsi omnem viam ineat : adeo profundam eam rationem esse. » O caliginem! o miseriam! illud, quo cætera noscimus, ipsum nescimus. Quid tamen Stoicis visum, videamus. Seneca noster definit (Ep. 1) : « Quid est aliud Animus, quam quodammodo se habens Spiritus? » Quod Græce fuisse arbitror, πνεῦμα τὸ ποιόν. Est *Spiritus* : et Latinis vox hoc insonat, *Animæ*; παρὰ τὸν ἄνεμον, qui ventus est et flatus. Placuit Tertulliano hoc istud : et « Stoicos, inquit (De Anima, cap. 5), allego, qui Spiritum dicunt Animam, pæne nobiscum : quia proxima sunt flatus et Spiritus. » Nam et Christiani e Mosaicis libris πνοὴν, sive Spiritum affirmant : etsi πνεῦμα Augustinus haud velit, et distinguit. (De Civit. XIV, cap. 24.) Est igitur Spiritus, sed talis. Qualis autem? clarius hoc Zeno et Posidonius, in Laertio : « Spiritum calidum, esse Animam. » In Stobæanis : « Congenitum nobis calidum Spiritum, censent Animam. » Duo igitur in ea, Spiritus, et Calor : quod etiam Galenus tradit (Libro, *Quid animi mores sequantur corporis temperiem*), et Stoicis non aliud Animam esse quam « temperiem, quum proportione constat aerea et ignea substantia. » Sane Aerem ibi esse, res iis dicebat, quia hunc reciprocamus viventes, et absque eo nec est vita. Itaque Varro defi-

Digitized by Google

niebat : « Anima est Aer conceptus ore, defervefactus in pulmone, tepefactus in corde, diffusus in corpus. » (Apud Lactant. de Opific. cap. 17.) Sed tamen non est is propria natura aut præcipua Animæ ; sed est velut vehiculum, aut corpus purioris illius Ignis, quo hæc constat. Cicero (III De Natur. Deor.) : « Omnia vestri (Stoici), Balbe, solent ad Igneam naturam referre, Heraclitum, opinor, secuti : quem ipsum non omnes interpretantur uno modo. Vos autem ita dicitis, omnem vim esse Ignem ; itaque et animantes quum calor defecerit, interire ; et in omni natura rerum id vigere, quod caleat. » Varro prorsus Stoice (IV De L. L.) : « Animalium semen Ignis : qui Anima, et Mens, qui calor e cælo, quod hic innumerabiles, et immortales ignes. » Itaque Epicharmus Ennii de Mente humana dicit :

Istic est de cælo sumptus ignis, isque Mentis[1] est.

Ab hac excellentia Cicero (I Tusc.) : « Zenoni Stoico Animus Ignis videtur : » quid Zenoni ? etiam Hebræis vox, qua *Hominem* appellant, *Ignem* notat. Est igitur iis Ignis, non tamen solus, sed cum hac Spiritus velut veste. Ita Trismegistus appellat (cap. 10), etsi subtilius, et alia quadam distinctione : « Vestem esse Mentis quidem Animam, Animæ ipsum Spiritum. » Nec plura addo, et de cælesti isto Igne, atque intelligente, e prioribus jam clara.

DISSERTATIO X.

Animam a partu Stoicis venire : sed verius nobis a formatione fœtus.

Tertia Quæstio, « Quando esse incipiat ? » quam tamen opportune jam ante, de Semine, profligavi aut affeci. Stoicis quidem a partu esse incipit : nec ante Homini animalis illa vita, quam Græci ζωὴν quoque vocarunt, παρὰ τὸ ζεῖν, *a fervore* illo Ignis. Hæc docui : quid tamen Iamblichus ? monstra Stoicis affingit, si vere ex eo Stobæus (in Physic.) : « Stoici dicunt, non statim Rationem inseri,

[1] Antique pro *Mens*.

Digitized by Google

verum postea a sensibus et imaginationibus colligi, circa annum decimum quartum. » Hæc parum fideliter adscribi arbitror, si de ipsa Ratione capis : si de Usu ejus perfectiore, haud negem. Obscuratur enim in ipsa infantia, et ut sol quidam, per nubila et nubes ægre perrumpit. Germana eorum sententia, a partu insinuari. Tangit, et spernit Lactantius : « Anima (inquit, de Opif., cap. 1, contra Varronis datam finitionem) non est aer ore conceptus, quia multo prius gignitur Anima, quam concipi Aer ore possit. Non enim post partum insinuatur in corpus, ut quibusdam philosophis (nempe Stoicis) videtur, sed post conceptum protinus, quum fœtum in utero necessitas divina formavit. » Vides illam poni et rejici ; aliam supponi, quam probam censet, *post conceptum insinuari :* quando? quum *fœtum Deus formavit*. Optime et Theologi nostri sic hodie censent, formatis principalibus membris, hepate, corde, cerebro, domicilium jam animæ rationali aptum esse, et in id venire. Hieronymus (Advers. Ruff. apol. II) : « Figurato corpore, statim creari et immitti. » Creari? ita a Deo : et exemplo Angelorum de nihilo. In Ruffini verbis, quem ille sanctus vir oppugnat, lego plusculas sententias, compendio recitatas (Ibid.) : « De Anima, fateor me apud quamplurimos tractatorum diversa legisse. Legi quosdam, dicentes quod pariter cum corpore, per humani corporis traducem, etiam animæ diffundantur, quod puto inter Latinos Tertullianum sensisse, vel Lactantium, fortassis et nonnullos alios. Alii asserunt, quod formatis in utero corporibus, Deus quotidie faciat Animas et infundat. Alii factas jam olim, id est, tunc quum omnia creavit Deus ex nihilo, nunc eas judicio suo nasci dispenset in corpore. Hoc sentit et Origenes, et nonnulli Græcorum. Ego vero quum hæc singula legerim, Deo teste dico, quia usque ad præsens certi et definiti aliquid de hac quæstione non teneo. » Præmittit de traduce Anima : et Lactantium ibi numerat, falso. Liquet ex loco, quem adduxi, et magis ex isto (de Opif., c. 19) : « Utrum anima ex patre, an ex matre, an vero ex utroque generetur? sed ego de meo jure ab ancipiti vindico : nihil enim ex his tribus verum est. Corpus ex corporibus nasci potest, quoniam confertur aliquid ex utroque ; de Animis Anima non potest, quia ex re

Digitized by Google

tenui et incomprehensibili nihil potest decedere. Itaque serendarum Animarum ratio uni ac soli Deo subjacet.

> Denique cælesti sumus omnes semine oriundi,
> Omnibus ille idem pater est :

ut ait Lucretius, II, 990. Nam de mortalibus non potest quidquam nisi mortale generari. » Falso igitur Lactantius accensetur : de Tertulliano, nimis verum ; et licebat, Pompeium, Apollinarem, alios addere, ac verbis Hieronymi, « maximam partem Occidentalium. » Claudamus, cum eodem Lactantio : « Non a parentibus dari Animas, sed ab uno eodemque omnium Deo Patre, qui legem rationemque nascendi tenet solus, siquidem solus efficit.

DISSERTATIO XI.

Eam longævam, non Æternam iisdem ; neque omnes etiam, et trepide aut ambigue loqui.

At nos etiam in tenebris istis pergamus, ut sic dicam, micare. Quarta enim Quæstio, « Quamdiu sit ? » digna quæ tractetur : atque utinam Stoici in capitali ista re veraces et recti ! Tangunt tamen, et diuturnas animas faciunt, si non immortales. Diuturnas ; et ideo concepit verba Seneca, *Quamdiu sint ?* Non rogat, an semper sint post fatum ; an non sint ἁπλῶς : sed *quamdiu*. Hoc ita obscure Laertius (in Zenone) : « Animam a morte permanere : mortalem tamen esse. » Noster Seneca ambigue sæpe hic loquitur (Ep. LXIII), et aliquando ad æternitatem accedit, recedit. Accedit ; ut : « Cogitemus ergo, cito nos eo perventuros, quo illum (mortuum) pervenisse mœremus. Et fortasse (si modo sapientum vera fama est, recipitque nos locus aliquis) quem putamus perisse, præmissus est. » Iterum : « Dies iste, quem tamquam extremum reformidas, æterni natalis est. » Alibi (Epist. CII) : « Animus æternitatis suæ memor, in omne, quod fuit, futurumque est omnibus sæculis, vadit. » Plura talia notes : sed et in quibus recedit, ut : « At ego mortem diu expertus sum. Quando ? antequam nascerer : Mors est, non esse ; id quale sit, jam scio. Hoc erit post me, quod ante me fuit. »

Digitized by Google

Palam sentit, quod Plinius (lib. VII, cap. 55) : « Omnibus a supremo die eadem, quæ ante primum : nec magis a morte sensus ullus, aut corpori, aut Animæ, quam ante natalem. » Quem sunt qui hoc argumento Epicureum faciunt : vane. Quidni enim et Seneca talis sit? nam ille iterum (ad Marc. cap. 19) : « Mors nos in illam tranquillitatem, in qua antequam nasceremur jacuimus, reponit. » Euripides hæc ipsa :

Τὸ μὴ γενέσθαι τῷ θανεῖν ἴσον λέγω·

Non esse natum, et mortuum esse, idem puto. (Troadib.)

Denique alibi Seneca conqueritur, « Æternitatem animorum promitti magis a magnis viris, quam probari. » Audis dicentem, negantem, dubitantem? Omnia tamen in eamdem viam sententiæ veniunt, a me dictæ, a Cicerone affirmandæ. « Stoici, inquit (I Tusc.), usuram nobis largiuntur, tamquam cornicibus : diu mansuros aiunt Animos, semper negant. » Quamdiu igitur? ad Ecpyrosin illam, sive Conflagrationem quum omnia resolvuntur, et ad initia sua revertuntur. Animæ igitur tunc omnes iterum ad Mundi Animam, id est ad Jovem : qua mente Æternæ aliquando dicuntur. Seneca Cordum loquentem inducit, mortuum et inter Heroas (Cons. ad Marc. cap. ult.) : « Nos quoque felices Animæ, et æterna sortitæ, quum Deo visum erit iterum ista moliri, labentibus cunctis, et ipsi parva ruinæ ingentis accessio, in antiqua elementa vertemur. » Tale in Epicteto : « Deus, inquit (III Diss. cap. 13), quum necessaria tibi eripit, victum, vestem, sensus istos, receptui nempe canit, januam aperit, et venire te jubet. Quo? non ad aliquid grave, sed ad illa e quibus ortus es, ad amica et cognata, ad elementa. » Cognata illa et amica, intelligit maxime astra. Et sane rarus ipse Epictetus est, alias sublimis, in immortalitate aut et longævitate animorum adstruenda? quid adstruenda? vix tangenda. Nimirum inter Stoicos ipsos controversa ea res, nec consensu recepta. Panætius, apud Ciceronem (I Tuscul.), *interire Animas* arbitratur : et Laertius aliam etiam sententiæ divisionem ostendit : « Cleanthes, inquit, omnes permanere ait, usque ad conflagrationem Mundi ; Chrysippus, solas Sapientum. » Et Seneca, in verbis supra, eo inclinare videtur (ad Chrysippum dico), quum scribit,

Digitized by Google

« felices Animas æterna sortitas : » non igitur omnes. Tacitus apertius (in Agricola) : « Si, ut sapientibus placet, non cum corpore exstinguuntur magnæ animæ. » Nota magnas : minutæ igitur et fatuæ pereunt, aut non diu manent. Palam ita Numenius, in Eusebio, de nostris : « Animam natam, et mortalem esse, non statim tamen interire, sed manere apud seipsam. Sapientum quidem, usque ad conflagrationem omnium : stultorum, ad breve aliquod tempus. » Immo vero genere quodam fati exstinguuntur etiam meliores : puta si pondere aut mole magna, una cum corpore obruuntur. Seneca (Epist. LVII) : « Quid interest, utrum super aliquem vigiliarium ruat, aut mons an turris? Erunt tamen qui hanc ruinam magis timeant, quamvis utraque æque mortifera sit. Nunc me putas de Stoicis dicere, qui existimant animam hominis magno pondere extriti, permeare non posse, et statim spargi, quia non fuerit illi exitus liber. » Mira sententia, sed cui origo et firmamentum a scito, quod anima sit corpus : itaque pati eadem, quæ corpus, et affligi, ac dissipari, solvi. Alibi super hac sententia legere haud nunc memini, nisi in Statio, qui docte (ut multa) versibus inseruit istis :

> ..... latet intus, monte soluto
> Obrutus, ac penitus fractum obductumque cadaver
> Indignantem Animam propriis non reddidit astris. (Thebaid. VI.)

Loquitur de auri scrutatore, qui terras et colles subit, earumque subito lapsu obruitur : nec animam potest ad sidera emittere, pressam sic et obtritam. Veteres et novi Scholiastæ silent. An non simile autem in Aquis, ubi profundo mersantur? Servius dicat in Virgilium (I Æn.), quum, instante naufragio, « Ingemit Æneas : non propter mortem, inquit, sed propter mortis genus ; grave est enim, secundum Homerum, perire naufragio, quia Anima est ignea, et exstingui videtur in mari. » Quod idem Synesius notat, et Homeri versum adducit (III Epist.) :

> Αἴας δ'ἐξαπόλωλεν, ἐπεὶ πίεν ἅλμυρον ὕδωρ·
> Ajax disperiit, postquam bibit æquoris undam.

Quasi plane ab Anima etiam periisset : argumento tamen parum firmo. Seneca in eodem adspexisse videtur, ubi sævitiam Caii exa-

Digitized by Google

gitat, qui morituris os pannis conscissis farciebat : « Quæ ista sævitia, inquit (II De Ira, cap. 19), est? liceat ultimum spiritum tradere (sic lego) : da exituræ Animæ locum. » Sed populariter ea dicuntur : ipse diversum sentit, et Stoicos adeo suos hic damnat. Nam relata sententia illa, de Obtritione, addit (Epist. LVII) : « Qui hoc dicunt, videntur mihi errare. Quemadmodum flamma non potest opprimi : nam circa id diffugit, quo urgetur : quemadmodum aer verbere aut ictu non læditur, nec scinditur quidem : sic Animus, qui ex tenuissimo constat, deprehendi non potest, nec intra corpus affligi : sed beneficio subtilitatis suæ, per ipsa quibus affligitur, erumpit. » Hæc veriora, quam priores illæ ληρήσεις, *Ineptiæ*, *deliria*. Sed heus, incidit male omissum, ex Dionysio Halicarnassæo : quem, vel hoc argumento, Stoæ vindicabo. Ait super eo scito, in sua persona, ubi de Marcio Coriolano infeliciter exstincto (lib. VIII), « Si igitur soluta corpore Anima etiam interit, haud video quomodo beatos dicam, qui nullo ex Virtute fructu, ob ipsam etiam pereunt. » Tum addit membrum alterum : « Sin autem incorruptibiles in perpetuum Animæ, ut quidam censent ; aut tempus aliquod, post solutionem corporum, permanent ; longissimum quidem, bonorum virorum ; brevissimum, malorum : sufficiens honos habeatur Virtutis cultoribus. » Stoicis igitur manet sic Anima ; ubi, et quid faciat, mox docebo.

DISSERTATIO XII.

De migratione Animarum in corpora. Plures ita sensisse, non tamen Stoicos.

Nam Senecæ ordinem insisto, et Quæstio quinta excipit, « An aliunde alio transeat, et domicilium mutet? » Si manet, inquit : an si forte, cum Pythagoricis, de corpore in corpus migrat? Eodem sensu quærit alibi (Epist. LXV) : « Ego nesciam, unde descenderim? semel hæc mihi videnda sint, aut sæpe? » Sæpe enim ; si reditus est, et ut Tertullianus appellat, « recidivatus animarum. » Et Pythagoreos, immo et Platonicos sic sensisse, decan-

Digitized by Google

tatum est : an et Stoicos addam? Volunt aliqui veterum, ut Lactantius (lib. III, cap. 18) : « Superesse Animas post mortem, Pythagorici et Stoici dixerunt : easque non nasci, sed insinuari in corpora, et de aliis in alia migrare. » Item Damascenus (De Hæres.): « Stoici corpus occidere, animum a corpore in corpus migrare volunt. » Tamen hæc assertio mihi anceps, et apud idoneos auctores tale nihil, immo contra, lego. Nam Animæ illis ad cælos abeunt, et sociantur astris, mox videndum. De remigratione, nusquam verbum : nisi si hoc intelligunt, ex eadem Universi Anima iterum alias Animas fieri, et sic orbe quodam immitti : immo easdem etiam, post Mundi innovationem. Sed longe hæc ab illa Pythagorica μετεμψυχώσει : quæ est de corpore in corpus transitio, et cur non Latine *Transanimatio?* De qua et Platonici multa, vulgata aut obvia : quid veteres nostri Galli? in eodem sensu fuerunt. An a Pythagora Druides hauserint, nescio; an potius ipse ab illis : nam auctores habeo, « Gallos eum audiisse et Brachmanas. » (Clem. I Strom. lib. VI.) Gallorum quidem hoc dogma. Cæsar : « Non interire Animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios. » Lucanus ad ipsos Druidas (lib. I) :

> ..... vobis auctoribus, umbræ
> Non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi
> Pallida regna petunt : regit idem spiritus artus
> Orbe alio, longæ, canitis si cognita, vitæ.

Sed et Germanis adscribit Appianus (In Celtico) : « Moribus feri, audacia promptissimi sunt, et mortis contemptores, ob spem secundæ iterum vitæ. » Julianus Cæsar, etiam Getis, quibus « Xamolxim, qui apud eos colitur, hanc opinionem insevisse » scribit (In Cæsaribus.) Itaque iidem vitæ prodigi : « non mori, sed migrare se existimantes. » Simile novelli aliquot Indi. Quin Judæi posteriores hoc errore perfusi : quod Justinus Martyr notat (In Dialogo), et Thalmudistæ profitentur. A qua causa in Sacris nostris libris opinati scribuntur, « Christum esse aut Jeremiam, aut Eliam. » Ipsi Christiani aliqui sic dementiverunt, Carpocrates, et Origenes : etsi iste magis ad Platonicos ascensus, et descensus, ivit. Sed ne Stoica omittamus, ad illa eamus.

Digitized by Google

DISSERTATIO XIII.

Animam corpus Stoicis esse, itemque Tertulliano.

Quærebat enim sexto loco Seneca, « Utrum corpus sit, an non sit? » Omnino est ipsi, et Stoicis : est enim Spiritus. Laertius : « Animam Spiritum, ergo et corpus esse. » Sed ut Chrysippus ait (apud Plut.), « rariore et tenuiore filo » : adeo ut « præ ipsa tenuitate (Tertulliani verba, De Pugnis) de fide corporalitatis periclitetur. » Est tamen ; et ipse ille doctus Afer (in multis Stoicus) ita non sentit solum, sed prodit et propugnat. Ipsum, si vis, vide, et Stoicorum (eos nominatim allegat) exposita argumenta. Hoc ita soli Stoici et Epicurei, præter auctores veterum sectarum, quibus incorporea visa : etiam Pythagoræ, ut Plutarchus ait (Plutarch. IV De Plac. cap. 2 et 3), etsi discipuli ejus, qui *Aereum aliquid* statuebant, corpus fecerunt. Non tamen omnes : « et Sextus pater ac filius (Senecæ laudati, et Italicæ illius sectæ) hanc super omni Anima tulere sententiam : Incorporalis, inquiunt, omnis est Anima, et illocalis atque indeprehensa vis quædam, quæ sine spatio capax, corpus haurit et continet. » Ista in Claudiano Mamerto legas (lib. I, cap. 9), qui tres de Animæ statu libros scripsit, dici non potest, quam eruditos, elegantes, et subtiles. Veteres omnes in hoc tractatu æquat, aut vincit. Et est revera incorporea anima : ac Stoicos jam olim refutavit Plotinus, in scripto : « Quod non possit corporea esse Anima » : cujus excerpta pluscula in Eusebio habes. At dices. Si corpus Stoicis, qua figura igitur aut circumscriptione? Per se quidem sphærica, opinor, quæ Mundi est, et astrorum : atque ipsa delibata ex astris. In corpore autem, figuram scilicet ejus sequitur, cujus membra omnia implet. Ideo Tertullianus universe Humanam ei formam assignat : « Effigiem, inquiens, (De Anima, cap. 9), Animæ non aliam præter humanam ; et quidem ejus corporis, quod unaquæque circumtulit. » Nota, circumtulit : ergo et post mortem talis. Causam etiam addit : « Recogita enim quum Deus sufflasset in faciem hominis flatum vitæ ; totum utique per faciem statim flatum illum in interiora transmis-

Digitized by Google

sum, simulque divina aspiratione densatum, omni intus linea expressum esse, quam densatus impleverat, et velut in forma gelasse. Inde igitur et corpulentia Animæ ex densatione solidata est, et effigies expressione formata. » Quod ad causam; tota est Stoica, et frigus, gelationem : densationem miscet, corporeæ Animæ formandæ, et efformandæ.

DISSERTATIO XIV.

Ubi Anima separata? et quid agat? In Lunæ orbe, aut circa esse, ac contemplari.

Sed illa e superioribus (lib. II, Dissert. IV) lucem suam, si attendisti, habent : si non, actum non ago, et æstu isto disputationum evolvere me pergo. Erat enim septima, « Quid facturus sit Animus, quum per nos facere aliquid desierit? » Sententia est, Quid faciet Animus, solutus et a nobis liber? Duo hic videnda : et Ubi sit, et Qua sorte aut occupatione. Ubi? quærit hoc ipsum alibi Seneca, et avet discere (Epist. LXV) : « Nesciam quo hinc iturus sim? quæ sedes exspectet Animam solutam legibus servitutis humanæ? » Dicam ego hoc tibi, e patris tui libris? Apud eum Arellius Fuscus (Suasor. VI) : « Animus divina origine haustus, cui nec senectus ulla, nec mors, onerosi corporis vinculis exsolutus, ad sedes suas et cognota sidera recurrit. » Dicam e tuis (de Tranquill. cap. II) : « Reverti eo unde veneris, quid grave est? » Atqui venimus (ante doctum) e cælo. Ideo Manilius :

> An dubium est, habitare Deum sub pectore nostro,
> In cælumque redire Animas, cæloque venire?

Tamen distinctius paulo hoc dicendum est, ex Stoicorum scitis : quæ Tertullianus propagavit. « Apud Platonem, inquit (De Anima, cap. 54), in ætherem sublimantur Animæ sapientes; apud Arium, in Aerem; apud Stoicos, sub Lunam. » Vide. Plato altius tollit in ipsum Ætherem, et inter sidera locat : Stoici, modestius, juxta illum, et proxime a Luna. Ergo cum Ario, in Aere, sed supremo. Iterum Tertullianus : « In Æthere dormitio nostra, cum Pla-

Digitized by Google

tone ; aut circa Lunam, cum Endymionibus Stoicorum. » Ridet scite ; sed etiam Cicero hanc sententiam expressit, ut Stoicam (I Tuscul.) : « Necesse est Animus, quo nihil est velocius, ita eferatur, ut penetret et dividat omne cælum hoc, in quo nubes, imbres ventique coguntur ; quam regionem quum superavit Animus naturamque sui similem contigit, et agnovit : junctus ex anima tenui, et ex ardore Solis temperato, ignibus insistit, et finem altius efferendi se facit. Quum enim sui similem et levitatem et calorem adeptus est, tanquam paribus examinatus ponderibus, nullam in partem movetur : eaque ei demum naturalis est sedes, quum ad sui simile penetravit ; in quo nulla re egens, aletur et sustentabitur iisdem rebus, quibus astra sustentantur et aluntur. » Palam dicit, regionem turbidam Aeris permeare, in superiore sistere, quum naturæ simili, id est Ætheri (cujus a Luna initium) appropinquat, aut est mixtus. Lucanus pariter (lib. IX) :

Quodque patet terras inter, cælique meatus,
Semidei manes habitant : quos ignea Virtus
Innocuos vita, patientes Ætheris imi
Fecit, et æternos Animam collegit in orbes.

In *Æthere imo* ponit, circa Lunam : nec omnes, sed virtute præstantes. Plinius ab hac mente (In Paneg.) : « Sed et tu, pater Trajane, si non sidera, proximam tamen sideribus obtines sedem. » Adulatio Principes ipsos, sed consecratos, superiori cælo, et inter Deos, asserebat : at tu, inquit, Principis nostri pater inter Heroas agis et Sapientum animas, juxta sidera, et in aere illo supremo : aut et ipso Æthere, sed imo. Ab hac mente fortasse, quod Lunæ populos suos quidam etiam e Stoicis dabant : de quo ante memini dixisse (lib. II, supra Diss. XII). Sed observa, de Sapientum Animis hæc dici tantum : de stultorum et rudium, alia sententia est, quam Tertulliano item ferimus acceptam. Nam quum in prioribus verbis edidisset, *Sapientes Animas* ad Lunam evehi, addit : « Quos quidem (Stoicos) miror, quod imprudentes Animas circa terram prosternant, quum illas a Sapientibus, multo superioribus, erudiri affirment. » Dogma igitur. Sapientum attolli, vulgarium versari et volvi circa terram ; donec ab illis Sapientibus edoctæ,

Digitized by Google

et vitiis purgatæ, item subvolarent. Non alibi legi, de Stoicis quidem : etsi Platonis similes ascensus et gradus scio, sed non cum hac disciplina. Quam idem ille Afer naso suspendit : « et Ubi, inquit, erit Scholæ regio, in tanta distantia diversoriorum ? qua ratione discipulæ ad magistras conventabunt, tanto discrimine invicem abstractæ ? Quis autem illis posthumæ eruditionis usus ac fructus, jamjam conflagratione perituris ? » In Seneca nostro hæc discrimina non sic reperio : unum locum, ubi leviter tangit. Ait ad Marciam (cap. 25) : « Integer ille, nihilque in terris relinquens, paulumque supra nos commoratus, dum expurgat inhærentia vitia, situmque omnis mortalis ævi excutit, deinde ad excelsa sublatus, inter felices currit Animas : excipitque illum cœtus sacer, Scipiones, Catonesque. Pater tuus (Cremutius Cordus) Marcia, illic nepotem suum applicat sibi, et vicinorum siderum meatus docet. » Examinata enim huc faciunt : et purgari in imo aere (quippe adhuc adolescentem, nec plenæ Sapientiæ) filium ostendit : tum ascendere, et *vicinum sideribus* (non inter ipsa) fieri ac ferri. Alibi non sic exacte, et Diis ipsis miscere videatur ; ut in epistola quadam : « Quum venerit dies ille, qui mixtum hoc divini humanique secernat ; corpus hoc ubi inveni relinquam, ipse me diis reddam. » Iterumque alibi (Ad Polyb. cap. 28), indefinite vel ambigue, quod ad locum : « Fruitur nunc (frater tuus mortuus) aperto et libero cælo : ex humili atque depresso in eum emicuit locum, quisquis ille est, qui solutas vinculis Animas beato recipit sinu : et nunc libere vagatur, et omnia rerum Naturæ bona, cum summa voluptate, perspicit. » Ubi postremis etiam verbis vides, quid censuerint egisse Animas, sic in excelso sitas. Nimirum contemplatione (suavissimo pastu Animorum) se occupasse et oblectasse ; ac supera ex vicino, et ima ex alto, lustrasse ac pervidisse. Itaque « in arcana Naturæ penetrat (ut Seneca alibi, Ad Marciam, cap. 25), et scrutatur cælestium causas, et in profunda terrarum permittere aciem juvat. » Sed ibidem profecto, « sideribus intermiscet, et in cælesti arce » collocat, sicut et in epistola CII extrema : quod Platonicum magis, quam Stoicum scito. Nam illi pandebant ipsum Æthera sapientibus : et in via adeo lactea collocabant. Sed et hi

Digitized by Google

sua discrimina sedium habebant, et quasdam magis imas : non nostro instituto nunc referendas. Plutarchus, *De facie in orbe Lunæ*, sub finem ; Macrobius in Scipionis Somnium, Stobæanæ utræque Eclogæ, et ipse Plato, ubertim suppeditabunt cupienti. Absolvi hoc Septimum spatium, pergo. Aud. Immo siste, et hoc addoce. Sapientum si in felicibus altisque locis : quid Insipientium, nihil iis pœnæ aut mulctæ ? Si superi, nulli inferi sunt ? Lips. Jam dixi, purgari, et erudiri : sed de Incipientibus aut bonæ spei et profectus hoc acceperim : de pessimis, quæ ratio est? Pereant, aut certe vapulent. Tertullianus, de Stoicis (cap. 54) : « Reliquas Animas (non eruditas, aut erudiendas) ad inferos dejiciunt. » Lactantius (lib. VII, cap. 7) : « Esse inferos Zeno Stoicus docuit, et sedes piorum ab impiis esse discretas : et illos quidem, quietas ac delectabiles incolere regiones ; hos vero luere pœnas in tenebrosis locis, atque in cœni voraginibus horrendis. » Seneca noster aliquid tangit (Epistola cxvii) : « Quum de Animarum immortalitate loquimur, non leve momentum apud nos habet Consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium. Utor hac persuasione publica. » Publica, sed non propria tamen : et ipse abdicat ac spernit. Ut ad Marciam (cap. 19) : « Illa quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula est. Nullas scimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flagrantia igne, nec oblivionis amnem, nec tribunalia, nec reos. Luserunt ista poetæ, et vanis nos agitavere terroribus. Mors omnium dolorum et solutio est, et finis : ultra quam mala nostra non exeunt. » Idem Epictetus (III Dissert. cap. 13) : « Nullus Orcus est, nullus Acheron, nullus Cocytus, nullus Pyriphlegethon, sed omnia plena sunt Deorum et Geniorum. » At quum isti sic negant, immo pernegant ; an dissentiunt a capite suo Zenone ? Non arbitror : neque Zenonem aliud sensisse, quam circa terram in cœno et sordibus volutari, contrarium naturæ igneæ, atque hos inferos esse. Lactantii verba inspecta hoc dicent. Tamen mirum, et nobis notandum est, plerosque omnes veterum, immo plerasque omnes gentium, aliquid de Inferis scriptione, aut opinatione, libasse. Trismegistus aperte, in his quæ exstant, inspersit : et de eo Tertullianus (cap. 10, et in Stobæanis) : « Mercu-

Digitized by Google

rius Ægyptius dicit, Animam digressam a corpore, non refundi in Animam universi, sed manere determinatam, uti rationem, inquit, patri reddat eorum, quæ in corpore gesserit. » Platonem omitto : res nota est : Indos et Brachmanas illi addo, quos Strabo scribit eadem fere Platoni, « de immortalitate Animæ, et de judiciis apud inferos » sensisse (lib. XIV). Et vere Empiricus, « De inferis, sicut de Diis, omnes homines habere communem notionem. »

DISSERTATIO XV.

De Reminiscentia Animæ, aut Memoria, quam a corpore abivit.

Metam video, imo jam tango ; et ultima quæstio, « An obliviscatur priorum, et illic nosse se incipiat, postquam de corpore abductus in sublime secessit? » Nihil hic de Reminiscentia Platonis, quæ in terris locum habet ; sed dubitatio est de sublimi jam Anima : an illic memoriam priorum habeat ; an in se adquiescat, oblita priorum? Definite super ea re nihil reperi : in Seneca tamen, ad Marciam (cap. 25), « agnitio aliorum » ponitur, et quod « cœtus sacer, Scipiones, Catonesque, Cremutium excipient ; ipse suum nepotem. » Sed idem, alibi, eadem omnia fore « quæ ante Natalem, » non semel dixit : ergo ignorantia aut oblivio vilium istarum rerum, et cura ac meditatio meliorum. Testimonia igitur ambigua sunt, aut deficiunt : rationem si vides, credam pro aiente parte esse, id est, reminisci et scire. Si enim ab Anima mundi huc avulsæ venerunt, atque ea omniscia ; retinent in ipso corpore notiones eas et scintillas : atque ita Plato μαθήσεις ἀναμνήσεις haud absurde dixit : « Discentias (cum Tertulliano vertam, de Anima cap. 23) reminiscentias esse. » Quidni igitur eadem divinitas et scientia post corpus? Nec facit, si viles curas dicas : cogitant talia, non jam curant, et suis quæque pretiis pendunt. Ad summam, Stoicos non alienos ab hac sententia fuisse, Julius Firmicus mihi adsuadet, fidus eorum assecla et satelles. « Animus, inquit (lib. I, Astron.), suæ originis ac seminis constantiam retinens, omnia quæ difficilia atque ardua putantur, facile divinæ mentis investigatione conse-

Digitized by Google

quitur. Quis in cælo iter maris vidit? quis attritu lapidum scintillam latentis ignis excussit? quis potestates cognovit herbarum? cui se tota natura Divinitatis ostendit, et prodidit, nisi Animo, qui ex cælesti est igne profectus? Ipse computos tradidit, ipse Solis ac Lunæ, ac stellarum cursus, regressus, stationes, societates, augmenta, ortus occasusque monstravit: et in fragilitate terreni corporis constitutus, brevi majestatis suæ recordatione, hæc omnia ut traderet, non didicit, sed agnovit. » Vides Platonica hæc esse: nec ego video quid (posito illo principio originis) possit obduci. Meminisse igitur priorum concludamus, et sine sensuum aut instrumentorum opera scire. Dionysius Halicarnassæus etiam curare nos et nostra Animas facit, atque adeo vota suscipere pro nobis. : « Siquis locus Animas corpore solutas excipiat; non ille subterraneus aut caliginosus meam capiet, nec Oblivionis qui dicitur campus, sed ille sublimis et purus Æther, in quo Deorum filios et Heroas ponunt; quibus illa pietatem tuam renunciabit, et gratiam sibi honoremque habitum, proque iis semper a Diis petet mercedem tibi et præclara præmia. » Quæ postrema, quis abnuet ad scita religionis nostræ esse? Nec ultra insisto, quia Senecæ hæc alibi intacta.

DISSERTATIO XVI.

Divisio Animæ Varronis, et ea breviter explicata.

Finivi etiam Quæstiones super Animo, quas ipse proposuit: alia pauca, magis illustrando, dicam. Animus etsi uniforme quid et simplex est, tamen *Partes* (sic Stoici et Platonici appellant); sive *Facultates* (δυνάμεις Aristoteli); sive, ut scite Varro (quid autem ille non scite?) *Gradus* distinctos quosdam habet. Hos alii atque alii aliter dividunt: Varro hoc modo. Digna enim verba ejus dari, quæ Hipponis antistes libris suis consignavit, et conservavit (de Civit. Dei VII, c. 23): « Varro in libris, de Diis, selectis, tres esse affirmat Animæ Gradus, in omni universaque Natura. Unum, qui omnes partes corporis, quæ vivunt, transit, et non habet Sen-

Digitized by Google

sum, sed tantum ad Vivendum valitudinem (potentiam). Hanc vim in nostro corpore permanare dicit ad ossa, ungues, capillos : sicut in Mundo arbores sine Sensu aluntur, et crescunt, et modo quodam suo vivunt. Secundum Gradum dicit, in quo est Sensus; hanc vim pervenire in Oculos, Aures, Nares, Os, Tactum. Tertium Gradum Animæ esse summum, qui vocatur Animus, in quo Intelligentia præeminet : hoc, præter Hominem, omnes carere mortales. In qua, quoniam homines Deo videntur esse similes; hanc partem Animæ Mundi, dicit Deum, in nobis autem Genium vocari. Sic ergo et Anima Mundi, tres gradus instituens, unam ejus partem dicit esse Lapides et Ligna, et hanc terram quam videmus, quo non permanat Sensus : ut ossa, et ungues Dei. Solem vero, Lunam, stellas, quæ sentimus, quibusque ipse sentit, quæ pervenit in astra, facere Deos; et per eam quod in Terram permanat, Deam Tellurem; quod autem in mare atque Oceanum, Deum esse Neptunum. » Pulchra ista, pro veteri philosophia : et quæ talia merito desiderium suscitant scriptorum Varronis, quæ pessimo publico perierunt. Sed lustremus, et adeamus. *Gradus* appellat, a prastantia; et quia alia facultas aliam, quasi ascensu quodam, excedit. *Partes* qui dicunt, parum proprie loqui videntur, quia « Pars est, quæ subjecto, forma, et functione ab alia parte differt : at Facultas in eodem subjecto est, et plures esse possunt, quantitate tamen non discretæ. Sicut pomi facultates omnes in uno cernuntur; partes aliæ alibi exsistunt (Porphyr. apud Stob.). » At excusantur qui sic locuti, quia etsi « per se quidem Anima partibus careat, tamen corpori partibus constanti est indita, ac varias ejus partes variis functionibus occupat, et eo respectu Partes habet. Neque enim eadem functio caput tenet, et pectus, et jecur. » (Ibid.) Sed his omissis, Varro igitur tres Gradus fecit : Peripateticorum etiam ritu. Unum *Vitæ* tantum, quem θρεπτικὸν Græci, *Alentem* Plinius, hodie *Vegetantem* dicunt. Hunc ipsum *in Mundo* (melius fortasse *Mundi*, vel *Mundano*, nempe corpore) ponit : et arbores, plantas ac talia includit. Nam perseverat in hac comparatione Animæ Mundi, cum Anima Hominis, et utrobique paria ostendit. Tertius autem Gradus animæ, inquit, « est summus, qui Animus voca-

Digitized by Google

tur. » Notemus discrimen inter Animam, et Animum, quod fere priscis Latinis fuit. Nam illa est, qua vivimus, ac sentimus : iste, quo intelligimus sapimusque. Itaque bestiis haud temere veteres dabant. Attius apud Nonium :

Sapimus Animo, fruimur Anima : sine Animo Anima est debilis.

Distinguunt et Epicurei, ac Lucretius pulchre Animum velut *pupulam oculi*, id est, Animæ, facit. Ipsum hoc Philo (lib. III de Opific. Mundi) : « Homini Animum eximium dedit, aliam Animæ animam, et velut pupulam in oculo. » Est quod Homerus (ut Plato notat in Theæteto) ψυχῆς κέαρ dixit, *cor Animæ :* sicut Latini *Mentem animi* sæpe, et sæpissime *Mentem*, Græcum illud Νοῦν exprimentes. Lactantius (lib. VII) : « Non est idem Mens et Anima ; aliud est enim quo vivimus, aliud quo cogitamus. » Sed pergit Varro, isto Animo « omnes carere mortales : » intellige, brutas Animantes. Amplius, hunc Animum in Mundi Anima, Deum esse et dici : « in nobis, Genium. » De *Genio* isto in Manuductione (lib. II, Dissert. XIX), si memoria tenes, adfatim a nobis dictum, et Varronis hunc locum junge. Reliqua in Varronianis lucem a se habent.

DISSERTATIO XVII.

Alia Stoicorum divisio uberior, itemque Senecæ, utraque explicata.

At vero Stoici aliter et plenius multo dividunt : quorum sententias (nam et inter se leviter differunt) quia Tertullianus summatim retulit, ejus verba audies, tum nostram interpretationem. Ait (de Anima, cap. 14) : « Dividitur Anima in partes, nunc in duas a Platone, nunc in tres a Zenone, nunc in quinque et in sex a Panætio, et in septem a Sorano, nunc in octo penes Chrysippum ; etiam in novem penes Apollophanem, sed et in decem apud quosdam Stoicorum, et in duas amplius apud Posidonium, qui a duobus exorsus titulis, Principali quod aiunt ἡγεμονικὸν, et rationali quod aiunt λογικὸν, in duodecim exinde prosecuit. Ita in alias ex aliis

Digitized by Google

Species dividunt Animam. Hujusmodi autem non tam Partes Animæ sunt, quam Vires, et efficaciæ, et Operæ : sicut de quibusdam (Vegetante, Sentiente, Rationali,) et Aristoteles judicavit.» Semina vides, quæ in multam et uberem messem surgant, si colere lubeat et evocare. Levi manu fiat, et qua utile nobis aut opus. Primum, « dividitur a Platone in duas. » Etiam in tres creberrime : sed Plutarchus utrumque dicet, qui fiat (IV de Placit. c.4). « Pythagoras et Plato, summaria quadam ratione Animam statuunt bipertitam, Rationalem et Irrationalem : at pressius et accuratius, tripertitam; nam Irrationalem illam iterum dividunt in Irascentem et Concupiscentem. » Addit, « in tres a Zenone. » Doctissimus Pamelius ambigit an non *a Varrone*, nam Stoici, inquit, octo eas fecerunt. Quod verum est in Physica illa, ut sic dicam, et pro natura tota Animæ, divisione : at ubi Moralis res præ manu, tres etiam partes faciebant cum Platone, « Rationalem, Irascentem sive Animosam, et concupiscentem. » E Seneca mox videbis. Porro, « in quinque et in sex a Panætio. » Idem Pamelius ambigit an non vox defiat, scribendumque « in quinque ab Aristotele. » Et fateor hunc interim sic divisisse : sed quis de Panætio firmiter etiam abnuat, cujus scripta non exstant? Potuit in variis libris variasse, et modo quinque, aliquo adspectu aut causa, modo sex posuisse. De senario numero, est in Nemesii Antistitis libello De Anima (c. 15) : « Zeno Stoicus, inquit, octonarum partium Animam esse censet, partiens eam in Principem facultatem (τὸ ἡγεμονικὸν), in quinque Sensus, et Vocis mittendæ, procreandique vim. Panætius (male editur Panætus) philosophus edendæ Vocis facultatem, motionis ejus qua per se animalia cientur, partem esse vult : et quidem rectissime. Procreatricem vero, non Animæ, sed Naturæ partem. » Duas ergo de octo tollit, sex relinquit. Pergit Tertullianus, « in septem a Sorano. » Nihil ultra scio, aut legi. « In octo penes Chrysippum. » Immo et Zenonem, ut supra Nemesius, et communiter omnes Stoicos. Laertius : « Partes Animæ octo dicunt, quinque Sensus, Seminalem in nobis vim, Vocalem, et Ratiocinantem. » Varro, ut solet, Stoice (VIII de Ling. Lat.) : « Anima divisa in octonas partes, quinque quibus sentimus, sextam qua cogitamus, septi-

Digitized by Google

mam qua progeneramus, octavam qua vocem emittimus. » Cogitandi verbo in λογιστικῇ utitur : quia proprie Latinis *Cogitare* est plura in unum cogere et velut ratiocinari : et *Cogitatio*, διάνοια, non solum νόημα. Amplius, « In decem apud quosdam Stoicorum. » Quos credo addidisse, « Alendi et Movendi vim. » Denique « in duas amplius apud Posidonium. » Quæ istæ, nescio : suspicor tamen addidisse « Irascentem, et Concupiscentem » : atque ita ad eum numerum venisse. In Seneca nostro divisio est nulli harum consona, sed miscella. Ad Lucilium suum (Epist. XCII) : « Inter me teque conveniat, in Animo esse partes ministras, per quas Movemur, Alimurque, propter ipsum Principale nobis datas. In hoc Principali est aliquid Irrationale, et Rationale. Illud huic servit. » Et post pauca : « Irrationalis pars Animi duas habet partes; alteram animosam, ambitiosam, impotentem, positam in Affectionibus; alteram humilem, languidam, Voluptatibus deditam. » Ecce septem hæ sunt partes, « Movendi, Alendi, Ratiocinandi; tum Rationalis, Irrationalis » : iterumque sub ista, « Irascens, Cupiensque. » Sed quid ita duas partes ministras nominat, « Movendi, et Alendi? » Non est Stoicum : atque adeo in octona illa divisione neutra harum infera. Sed credo alios, ut tetigi, fecisse : et Seneca obiter nunc, et ut in exemplum nominat, aliis omissis. Cur autem Stoici non inseruerint, puto factum, quod Naturæ istas et viribus Seminis tribuebant, ab Animo abjungebant. *Ministræ* autem partes bene in bonis libris scribuntur, non *mistæ;* quia, ut ait, ob ipsum Principale sunt datæ. Ita Stoici, apud Stobæum : « Principale imperantis vice fungi, reliquas in ministri loco quamque ducebant. » Est deinde in Seneca, alteram partem « Affectionibus deditam » : intelligit τὸ θύμικον, *Animosum illud et Irritabile*, quod aliter τὸ παθητικόν, Græci dicunt, *in affectionibus positum*, ut noster expressit. Facit et alteram, *Voluptatibus deditam :* τὸ ἐπιθυμητικόν, scilicet quod *Concupiscens* nominamus. Sed notæ utriusque bellæ : una, inquit, « animosa, impotens est; » altera « humilis, languida. » Philo Judæus scita imagine hoc illustret. « In Anima nostra (ait de Agricultura) Equi sunt, et Auriga vel Adscensor. Equi duo, Irascens et Concupiscens : ille velut mas, hæc fœmina. Ille gestiens,

Digitized by Google

solutus et liber esse vult; iste servilis, humilis, vafritie gaudens, domi desidet et pascitur, sed et pascit devoratque. » (Græce hoc argute, οἰκόσιτος καὶ οἰκοφθόρος.) « Auriga autem Animus est, si Prudentiam quidem et Rationem audit: si non audit, Adscensor tantum, sive ἀναβάτης. » Pulchre sane. Si equos hos duos reginus, et Rationis fræno domamus, Aurigæ sumus, digni hoc nomine, et per rectam viam ad optimum Finem imus: sin aliter, Adscensores tantum; sedemus in vehiculo, sed imperiti regere, et

Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

DISSERTATIO XVIII.

Principale Animæ Quid, et Ubi sit? in Corde Stoicis poni.

Absolvi de Partibus: nisi quod explicatius aliquid de ἡγεμονικῷ dicendum videtur, quod *Principale* Seneca vertit: Cicero autem *Principatum*. Ita enim alibi (II de Natur. Deor.): « Principatum id dico, quod Græci ἡγεμονικόν, quo nihil in quoque genere nec potest, nec debet esse præstantius. » Prima igitur et præcipua pars est *Principale*: quam lubet et expedit Plutarchi etiam verbis (IV de Placit. c. 21), pro sensu Stoico, magis revelare. « Stoici inquiunt animæ supremam partem, Principale; id quod facit imaginationes, assensiones, sensus, et appetitiones: atque id Ratiocinationem appellant. » Addit « ab isto Principali septem partes reliquas Animæ enatas esse ac protensas, ut e polypode[1] cirros. Ex his Visum, esse Spiritum qui a principe parte ad Oculos pertingit: Auditum, Spiritum qui ab eadem ad Aures: sic de Sensibus reliquis. Seminalem autem partem, esse Spiritum qui a Principatu ad genitales meatus permeat. Vocalem, Spiritum qui ab eodem ad fauces et linguam. » In istis nota de *Spiritu* ubique dici: scilicet, quia ipsa Anima *Spiritus* iis est: eoque aspectu et *Vocalem et Seminalem* (aliter Panætio visum) ad Animum pertinere. Nota amplius λογισμὸν, id est, *Ratiocinatio-*

[1] Piscis, qui Latine *Multipes*.

Digitized by Google

nem, sive cum Varrone *cogitationem*, Principale dici : non autem ipsum λόγον, sive Rationem, quia illa pars et *Rationale* continet et *Irrationale*. Ascensus enim in ea et judicia, sed non semper recta; depravante opinione et corpore, verum illud rectumque, quod a cælo habet. Est igitur λογική, sive *Rationalis*, quum recta Ratione utitur; est ἄλογος, sive *Irrationalis*, quum Errore. Ut verbo absolvam, non aliud ille Stoicorum λογισμὸς, quam aliorum νοῦς, sive *Mens*, sive *Animus* cum Varrone. Ubi illi sedes? nam reliquas etiam partes in corpore vim alibi atque alibi exerere, et ibi velut incolere scimus : ubi igitur primaria, inquam, sedes? Disputant : et Stoici nostri in *Corde* assignarunt. Laertius : « Principale esse primariam Animæ partem, in qua imaginationes et appetitus fiunt, et unde sermo (an Ratio?) sursum mittitur. Id autem in Corde esse. » Idem Tertullianus (cap. 15), qui « summum in Anima gradum (agnoscis Varronis verbum) Vitalem et sapientialem, quod ἡγεμονικὸν appellant, certo in corporis recessu consecratum » ait, eumque in *Corde*, quoniam et « inspectorem Cordis Deum legimus, et Corde credi ad justitiam, et Corde suo unumquemque reprehendi : » denique hoc ipsum « Chrysippum etiam sapere » affirmat. Nec de Chrysippo tantum Plutarchus : sed, inquit (IV de Plac., cap. 4) : « Omnes Stoici in toto Corde, aut in Spiritu eo qui circa Cor est, Principale ponunt. » Ergo valde mirum, eumdem eodem libro mox scribere (cap. 21), ubi de Stoicis : « Ipsum Principale, sicut et in Mundo, habitat in nostro rotundo Capite. » Profecto non est hic Stoicus, sed Platonicus sensus et pro illo capiendus est loqui. Nam iterum alibi (de Com. Not.), ubi Stoicos carpit, miratur illos « Assensiones, et Visiones, et Artes, et Memorias in Cordis puncto ponere; ubi et principem Animæ partem. » Clara sunt et mens illorum, fontem vitæ et intelligentiæ in Corde esse, loco medio et dignissimo : quem ipsa Natura thorace, præcordiis, undique munivit : quo læso (non ita in aliis partibus) hominem illico perire necessum et exstingui. Ab eo igitur, ut e castello aquarum rivi ducuntur, reliquas Animæ facultates effluere, et suis quasque locis se prodere et usibus servire. Ridet Galenus Chrysippi in hac re argumentum, quod Natura ipsa doceat, et clamet Animi vim illic

Digitized by Google

esse : quoniam sponte homines, quum de se aut illo loquuntur, manum Cordi admovent, Feci, Dixi, Sensi, Non feci, Dixi, Sensi, pronunciantes. Rideat : cur non et Hippocratem suum, qui ita palam (de Corde)? « Cogitatio enim, sive Mens hominis in sinistro ventriculo (Cordis) insita est, et reliquæ Animæ imperat. » Ausonius idem (in Monosyll.) :

> Mens, quæ cælesti sensu rigat emeritum cor :
> Cor vegetum, Mundi instar habens, Animæ vigor ac vis.

Epicurei pariter, e quibus Lucretius (lib. III),

> Consilium, quod nos Animum Mentemque vocamus,
> Idque situm media regione in pectoris hæret,

ponunt, inquam, vel in ipso Corde, aut in Pectore circa. De Stoicis sensisse etiam Lactantium puto, quum Mentem « aut in medulla cerebri hærere » facit (de Opif., cap. 16), quod Plato; « aut in illo sanguine bipertito, qui est inclusus in corde, » quod Nostri.

DISSERTATIO XIX.

Aliquid de præstantia Animi, et ad ejus cultum adhortatio.

Principem jam partem, Quæ sit, et Ubi, vides : o quam merito sic dictam! Animus ille est « dux atque imperator vitæ mortalium : » idem « rector humani generis, agit atque habet cuncta, neque ipse habetur. » (Sallust. Jugurt.) Vis præstantiam, et pæne divinitatem ejus videre? Omnia momento pervadit, sideribus velocior, cogitatione velocior, temporibus velocior. Quid dicam? pæne ubique est. « Corpora, ait Seneca (de Benef. III, c. 20), obnoxia sunt et adscripta dominis : mens quidem sui juris, quæ adeo libera et vaga est, ut nec ab hoc quidem carcere, cui inclusa est, teneri queat, quo minus impetu suo utatur, et in infinitum comes cælestibus exeat. » Quid ais, *comes?* immo antecessor. Tu ipse alibi (II de Benef., cap. 29) : « Animo nihil non eodem, quo intendit, momento pervium est, sideribus velocior, quorum post multa sæcula

Digitized by Google

futuros cursus antecedit. » Addam amplius, Cogitationem ipsam antecedit : quid autem ea celerius? Pulchre Homerus ; de Phæacibus :

> Τῶν νῆες ὠκεῖαι, ὥστε πτερὸν ἢ νόημα·
>
> Quorum sunt celeres naves, velut alituum ala,
> Aut brevis in nobis sensus. (Odyss. H.)

Quod Claudianus imitari voluit, Rapt. Pros. II, 200 :

> Quantum non jaculum Parthi, non impetus Austri,
> Non leve sollicitæ Mentis discurrit acumen.

Denique magis dixi, et dicam, Tempora ipsa antecedit. Præsens hoc quod in lapsu est, præteritum quod lapsum, futurum quod labetur, totum illud assidui motus agmen Animus complectitur, et, ut Cicero ait (II de Fin.) « simul trium temporum particeps est. » Itaque vere Philo (quod deter. potiori insid.) : « Sola Mens, ut omnium ocissima, etiam Tempus ipsum, quo omnia fieri videntur, præcurrit et occupat, viribus occultis, sine Tempore, universum hoc et partes ejus pervagando, pertractando. » Trismegistus hanc celeritatem bene ingerit : « Dic, inquit (cap. 11), Animæ tuæ illo abire, et dicto citius illic erit. Præcipe Oceanum tranare ; celerrime illic erit, non ut e loco in locum delata, sed tanquam jam ibi existens. Jube in cælum evolet : alis non egebit, neque ullum ei obstaculum ; non Solis ardor, non æther, non cæli volutatio, non corpora astrorum : quin omnia pervadens ad extremam Naturam pervolet. Immo et extra eam (siquid extra eam) intueri tibi licet. » Mira et maxima hæc æstimanti sunt : quid reliquæ dotes intelligentiæ, inventionis, memoriæ? Pelagus rerum et laudum : et vere imago ac simulacrum Dei. O attende, et « cogita in te, præter Animum, nihil esse mirabile : cui magno nihil est magnum. » (Sen. Epist. VII.) Quid ista vilia, et terrena, et peritura sunt? fumi. Similitudinem tuam recole, atque item originem : utraque divina est. Ut igitur « radii Solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt unde emittuntur : sic animus ille magnus et sacer, et in hoc demissus ut propius divina nossemus ; conversetur quidem nobiscum, sed hæreat origini suæ » (Sen. Epist. XLI.) Fiat, mi Auditor, et hoc fine

Digitized by Google

Physica ista lustremus : non ut curiosi abditorum inspectores, sed seduli animi cultores, ut dignitate ejus cognita, locum ei suum decusque servemus. Quem locum? Senecæ verbis (Ep. LXV) : ut « quem in hoc Mundo locum Deus obtinet, hunc in homine Animus : » id est, imperet regatque, colatur a nobis, et affectus, cupidines, omnia humana domita habeat ac subjecta. Hæc via ad ultimum Finem, ad Felicitatem, quo Porticus tota, et magnus ejus tubicen ac tibicen Seneca noster, vocant. Huc tende, hanc et istum ama, qua amant Honesta.

Digitized by Google

TABULA

RERUM QUÆ IN HOC QUARTO VOLUMINE PRIMÆ PARTIS SENECÆ

CONTINENTUR.

Pag.

Novi Editoris Præmonitio..... iij

Epistola LXXXIX. Philosophiæ divisio : de luxu et avaritia suæ ætatis..... 3

— XC. Laus philosophiæ : ad illam solius animi curam pertinere..... 14

— XCI. De incendio Lugduni : inde de morte cogitationes..... 41

— XCII. In Epicureos invehitur : nihil voluptatem ad beatitudinem conferre..... 52

— XCIII. Vitam non ex spatio, sed ex actu metiendam. 68

— XCIV. An utilia sint specialia de officiis præcepta?..... 73

— XCV. Solis præceptis virtutem non gigni posse : necessaria esse decreta..... 101

— XCVI. Omnia patienter ferenda..... 132

— XCVII. Et nunc et olim fuisse malos : de vi conscientiæ..... 135

— XCVIII. Bonis externis non confidendum..... 142

— XCIX. Consolatoria in morte filii; non indulgendum dolori..... 149

— C. De Papirio Fabiano philosopho, ejusque scriptis judicium..... 161

Digitized by Google

Pag.

Epistola CI. De morte Senecionis..... 167
— CII. Claritatem post mortem bonum esse..... 174
— CIII. Homini ab homine præcipue cavendum.... 186
— CIV. De invaletudine sua, et caritate in se uxoris : animi mala peregrinatione non sanari : cum priscis et magnis viris vivendum... 188
— CV. Quid vitam securam faciat..... 202
— CVI. An bonum sit corpus ?..... 205
— CVII. Firmandum esse animum contra fortuita et necessaria..... 209
— CVIII. Quomodo audiendi sint philosophi..... 215
— CIX. An sapiens sapienti et quomodo prosit?... 231
— CX. Vana optari, vana timeri, remedium a philosophia petendum..... 238
— CXI. Sophismatibus veram opponit philosophiam. 246
— CXII. Desperat de quodam Lucilii amico reformando..... 248
— CXIII. An virtutes sint animalia? has spernendas esse disputationes..... 250
— CXIV. Eloquentiæ corruptelam e corruptis moribus ortam esse..... 261
— CXV. Describit virtutis pulchritudinem : inde in amorem divitiarum..... 274
— CXVI. Omnino expellendos esse affectus..... 283
— CXVII. An, quum sapientia bonum sit, etiam sapere?..... 287
— CXVIII. Quid sit bonum?..... 300
— CXIX. Divitem esse, qui cupidinibus imperat... 308
— CXX. Quomodo boni honestique notitia ad nos pervenerit..... 315
— CXXI. Omnia animalia habere intellectum sui... 325

Digitized by Google

Pag.

Epistola CXXII. Contra eos qui naturam invertunt..... 336
— CXXIII. Simplici victui assuescendum : spernendos voluptatis laudatores..... 348
— CXXIV. Utrum sensu an intellectu comprehendatur bonum?..... 356
Clarissimi viri *D. Diderot* Testimonium de L. Annæi Senecæ Epistolis LXXXIX–CXXIV..... 367
Fragmenta librorum L. Annæi Senecæ qui interciderunt.... 383
Fragmenta ex veterum libris collecta cum Justi Lipsii notis.. 385
— De superstitione..... 395
Nova Fragmenta, ex Palimpsestis eruta..... 405
L. Annæi Senecæ Epigrammata..... 413
Clarissimi viri *D. Diderot* Testimonium in L. Annæi Senecæ Epigrammata..... 433
Ex L. Annæi Senecæ libris Excerpta quædam, et eidem nonnulla falso tributa..... 435
I. De paupertate liber..... 438
II. De remediis fortuitorum..... 441
III. De quatuor virtutibus..... 448
IV. De moribus..... 458
V. Epistolæ Senecæ et Pauli..... 464

Justi Lipsii Physiologiæ Stoicorum Libri III, L. Annæi Senecæ aliorumque veterum scriptis, in primis Quæstionibus Naturalibus illustrandis..... 481

LIBER PRIMUS.

Dissertatio I. Aditus in sermonem, aliquid de ordine in docenda Philosophia juxta Stoicos. Placere quibusdam, et nobis a Physicis ordiri.... 483
— II. Physica laudata. Naturam communem et nostram eo ducere : fructum etiam invitare.. 485

Digitized by Google

Pag.

DISSERTATIO III. Physicæ partitio ; et a Principiis ordiendum videri, primumque a Deo et divinis ; quæ pars Theologia Naturalis dicta..... 487

— IV. Duo rerum Principia Stoicis esse, Efficiens et Patiens : illud, Deum ; hoc, Materiam... 490

— V. Ea ipsa, Naturas appellari : sed eminenter, Deum. Itemque Mundum in hoc nomen venire..... 492

— VI. Definitio Communis Naturæ, id est Dei. Ignem esse, et dici Stoicis, atque etiam priscis. 494

— VII. Aliæ definitiones Dei, in quibus, Spiritus, Animus, Mens, Ratio dicitur, et per omnia diffundi..... 497

— VIII. Mundum ipsum Deum etiam Stoicis dici, sed proprie tamen ejus Animam..... 499

— IX. Obscura aut impenetrabilis Dei notitia : sermones ancipites ; attribui tamen quædam recte a Stoicis et primo unitatem..... 502

— X. Eumdem Bonum et Beneficum esse ; et hanc velut propriam ejus notam, et nomen... 505

— XI. Denique Deum Providum et curatorem omnium esse, atque etiam singulorum. Qui aliter, rejecti..... 507

— XII. E Providentia Fatum consequi ; quid illud? et quomodo libertatem Deo non tollat..... 511

— XIII. Objectiones contra Providentiam et Bonitatem Dei : quæsitumque primo, Unde Naturalia mala?..... 515

— XIV. Secundo quæsitum, Unde Interna mala, id est, Peccata? Stoicos etiam a Fato et Deo removere : et quomodo..... 518

Digitized by Google

Pag.

Dissertatio XV. Alia responsio nostra, et firmior, super istis. Distincta Mala Supplicii et Delicti : et quibusque suus auctor assignatus 522

— XVI. Tertio quæsitum de Malis Externis : et responsum. Videri etiam minima illorum a Deo esse 525

— XVII. Triplex objectio contra Fatum ; ordine solvuntur singulæ 528

— XVIII. Genios etiam esse, Dei et Providentiæ ministros ; eorum genera, et sedes, ac de Heroibus primo, Laribusque 531

— XIX. De Geniis proprie dictis, Bonis Malisque. Singulis eos esse, item locis, et regionibus : et eorum curæ, aut opera 535

— XX. Pluscula etiam De Geniis. De origine, de malitia, de varietate munerum : et quædam huic rei e Sacris 542

— XXI. De Loco Dei obiter, qui ubique est, sed conspicua tamen sede in Cælis 548

LIBER SECUNDUS.

Dissertatio I. Anteloquium ; de Morte aliquid, et eam cogitationem utilem ad vitam et robur animi esse 553

— II. Materia prima, alterum Principium, descripta ; Æternam esse ; Non augeri, non minui ; Non item pati 555

— III. An non plura Principia ? et de Ideis dictum eæque assertæ 558

Digitized by Google

Pag.

Dissertatio IV. De Corpore, quid Stoicis? late accipi, et omnem essentiam includere. Quænam etiam eorum, pro nostris scholis et sensis, nugamenta..... 561

— V. Deum et Materiam Corpora esse Stoicis: et quatuor dumtaxat proprie Incorporea.... 564

— VI. De Mundo, optimo maximoque corpore. Varia vocis significatio. Differt ab Universo: quid Totum Stoicis: itemque de Vacuo..... 566

— VII. Definitio Mundi. Civitatem dici, itemque Templum: eæque imagines explicatæ..... 569

— VIII. Factum esse Mundum a Deo, hominum causa: et breviter, quomodo sit factus... 571

— IX. In Vacuo Mundum librari. Vere natum videri: et quare forma ejus circiter..... 576

— X. Animal eum esse, sensu et Ratione præditum. Partes ejus libatæ. Ipsam animam, Deum esse..... 578

— XI. Divisio Mundi prima, et secunda. Elementa quatuor esse, et in se invicem commutare. 582

— XII. De Elemento Ignis, sive Æthere. Stoicis Ignem ibi statui: atque illum, aut in illo, Deum..... 586

— XIII. Ætheris præstantissimum Solem videri: regem siderum: et esse Mundanæ animæ ἡγεμονικόν. De Luna additum..... 588

— XIV. De Astris in genere. Rotunda esse, ex æthere conflata; ideoque iguea, et vaporibus pasci. Eadem futurorum conscia... 592

Digitized by Google

Pag

Dissertatio XV. Aer, et ejus divisio, primo Frigidum Stoicis esse. 597

— XVI. Aqua, et præcipua ejus pars Mare. Id terram circumit, init, subit, vinculum ejus et irrigatio. 598

— XVII. Duplicem Oceanum esse, eumque Terram quadrifariam partiri, ex sensu veterum, haud prorsus vano. 602

— XVIII. De Terra. Matrem dici, et Animal; unde sustentetur firmeturque. 605

— XIX. Stabilis ea, an moveatur? itemque de Novo orbe, sive America, an veteres gnari fuerint?. 608

— XX. Unus, an plures Mundi? idem an æternus? esse, et non esse. 613

— XXI. Dupliciter interit, Aqua et Igne. Primum de Aqua, sive Cataclysmo. 615

— XXII. De Ignis interitu, qui Ecpyrosis dicta. Quando, Quomodo, Qua gratia fiat?. . . . 618

— XXIII. Christianos etiam hujus sententiæ, sed divisæ, esse: item Epicureos, et Heraclitum ante omnes: neque omnes tamen Stoicos. . 624

— XXIV. De Tempore adtextus; quid et quam breve, aut nihil, sit: tenendum utiliter, et asserendum. 625

LIBER TERTIUS.

Dissertatio I. Vestibulum et ingressus. De occupationibus aliquid; et inter eas quoque philosophandum. 631

Digitized by Google

Pag.

Dissertatio II. Hominem parvum Mundum esse : et breviter ejus præstantia. 633

— III. Nosce teipsum, hoc fine utiliter edictum. . . 635

— IV. De primo Hominis ortu variantes sententiæ. Stoicorum approbata, et explicata. 638

— V. Homines primi an majores, et paulatim deinde minores? atque obiter an Gigantes?. 643

— VI. E Semine Homines propagari : et illud definitum. Viri genitabile habent, non item fœminæ : et de vi Spiritus. 645

— VII. Semen tamen corpus modo Stoicis producere, et Animæ receptaculum parare ; ipsam extrinsecus insinuari ; idque post Partionem. 648

— VIII. E Cælo et Æthere Animum advenire, a Stellis, ab ipso Deo : et pluscula sublimiter, ac nimis, a Stoicis dicta. 651

— IX. Ipsum itaque Animum æthereum Ignem esse, simul etiam Spiritum. 555

— X. Animam a partu Stoicis venire : sed verius nobis a formatione fœtus. 656

— XI. Eam longævam, non Æternam iisdem ; neque omnes etiam, et trepide aut ambigue loqui. 658

— XII. De migratione Animarum in corpora. Plures ita sensisse, non tamen Stoicos. 661

— XIII. Animam corpus Stoicis esse, itemque Tertulliano. 663

— XIV. Ubi Anima separata? et quid agat? In Lunæ orbe, aut circa esse, ac contemplari. 664

Digitized by Google

Pag.

Dissertatio XV. De Reminiscentia Animæ, aut Memoria, quum a corpore abivit..... 668

— XVI. Divisio Animæ Varronis, et ea breviter explicata..... 669

— XVII. Alia Stoicorum divisio uberior, itemque Senecæ, utraque explicata..... 671

— XVIII. Principale Animæ Quid, et Ubi sit? in Corde Stoicis poni..... 674

— XIX. Aliquid de præstantia Animi, et ad ejus cultum adhortatio..... 676

FINIS QUARTI VOLUMINIS PRIMÆ PARTIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google